



BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
35 D
29
C.38.g.

VITA
S. RAYMVNDI
DE PENIAFORT

A VETVSTO SCRIPTORE
Olim breuiter collecta, nunc

A FRANCISCO PENIA ROTÆ AVDITORE
notis illustrata, & duobus libellis aucta.



Conuentus Stæ Mariæ de scala

ROMAE,
Apud Hæredes Nicolai Mutij MDCI.

SVPERIORVM PERMISSV.

VITA
S. RAYMVNDI
DE PENIAFORT


A VETVSTO SCRIPTORE

[illegible]

A FRANCISCO PENIA ROTÆ AVDITORE

notis illustrata, & duobus libellis aucta.





ROMAE,

Apud Hæredes Nicolai Mutij M D C I.

SVPERIORVM PERMISSV.

PERILLVSTRIBVS,
ADMODVM MAGNIFICIS,
PRVDENTIBVS, PIISQVE
BARCINONIS CONSILIARIIS

FRANCISCVS PENIA ROTÆ AVDITOR.
Salutem.



ANCTVM Raymundum de Peniafort, quem communi lege naturę mater genitum edidit patrię, & Barcino vestra, clara Hispanię Tarraconensis Ciuitas optimis moribus, & literis humanioribus exornauit, & Bononia celeberrima Italiæ vrbs, bonarum artium cultrix, & literarũ omnium, sed inprimis Iuris Pontificij atque Cæsarei frequens quasi emporium, doctorem egregium vniuerso orbi efformauit, & Ordo Prędicatorum suo quasi gremio exceptum, sanctissimis institutis imbutum, omnium virtutum corusco lumine fulgentem, cunctis fidelibus imitandum proposuit, Roma tandem Catholicę Religionis, & fidei Magistra & custos, post multa sæcula Christianæ Reipublicæ colendum obtulit; cum Pontifex CLEMENS æthereus clauiger, post multis argumentis eiusdem viri sanctitatem exploratam, & innumera (quibus claruit) miracula comprobata, tandem solemni ritu con-

ſecrauit, & cælo ciuem illatum Pontificia auctoritate diffiniuit. Hæc cum Romę peragerentur vniuerſus orbis in Vrbe lætabatur; Hiſpania, quia inſigni ſanctificationis honore cumulari conciuem ſuum videbat; Italia, quoniam quem ante aliquot ſæcula doctorem pepererat, clarum nunc ſanctitatis exemplum, inſignemq. pœnitentiæ Miniſtrum prædicari cernebat; Gallia, Germania, cæteræque Europæ Prouinciæ, in quibus Chriſtiana pietas hominum pectora ad cæleſtium contemplationem erigit, diuino etiam quodam gaudio perfundebantur, quia quem olim Ordinis Prædicatorum generalem Magiſtrum viſitantem, & Euangelium prædicantem ſuſceperant, nunc interceſſorem apud Deum in cælo regnantem propitium habere credebant. Quod ſi his quaſi virtutum igniculis excitati mortales eo vehementius, ardentiusq. vbique ad Raymundum colendum, ac venerandum concitantur, quo cum propius olim vel in ſuis Academijs, vel Ciuitatibus habuerunt; quid Vos, Patres Conſiliarij, agere decet, quorum patriam Raymundus natiuitate cohoneſtauit, litterarum peritia illuſtrauit, ſanctitatis exemplis erudiuit, & morte clarificauit? Habent cæteri populi, cæteræque nationes ſolas, quas Beati Raymundi pictas colant imagines, aut exiguos, quos de ſepultura eductos venerentur pulueres, & tamen incredibili propterea lætitia efferuntur: Vos, Patres, non imagines ſolum, aut pulueres, ſed ſacras illius habetis Reliquias, in quibus Spiritus ſanctus, frequentibus miraculis in veſtrum potiſſimum beneficium editis, illius facit vbique ſanctimoniam coruſcare. Quid quantumve pro tam immenſis beneficijs debeatis Deo, Vos ipſi prudenter, aſſidueq.

ſidueq. cogitate, & cum omni humano munere maius id eſſe iudicaueritis, debitas Deo, & Sancto Raymundo cõciui olim veſtro gratias perſoluite: perſoluite etiam CLEMENTI VIII. Pontifici Maximo, & pijſſimo, quia quod tot ſæculis; Reges noſtri, atque maiores peroptarunt, nec aſſequi vnquam potuerunt, nunc tandem ſingulari munere Dei, Vicarij ſui beneficio, aſſecuti ſumus. Narrate hoc filijs veſtris, & iniungite illis, vt ſimiliter mirabilia hæc narrent filijs ſuis, vt omnis poſteritas veſtra, veſtræque vrbis Ciues, hæc ipſa beneficia memoria repetentes, & Sancti Raymundi vitam, actionesq. meditantes, eum totis viribus imitentur, & cum litteris pietatem, ſanctitatemque coniungant, & pro CLEMENTE VIII. qui tam inſigni munere veſtram Ciuitatem cumulauit, aſſidue, perpetuoque Deum miſericordem, & propitium deprecentur: Prædicatorum item Ordinem, ex quo talem collegiſtis fructum, tâm pretioſum hauſiſtis theſaurum (vt viros pios, prudentesque, & beneficiorum memores decet) aſſiduis beneficijs, fauoreque proſequimini, vt ſingulis ſæculis, & ætatibus ſimiles Sancto Raymundo producat alumnos, quales iam patriam veſtram producere ſolitam Seuerus, & Eulalia Martyres, alijque Sancti Barcinonenſes conteſtantur; quibus nunc tutelarem Raymundum merito adiungitis: cuius ego vitam, præcipuas actiones, & quædam magis conſpicua miracula (etſi grauibus occupationibus, quibus aſſidue premor, eſſem diſtentus) eo potiſſimum nomine deſcribenda decreui, & tribus his libellis comprehenſa vobis nuncupare, vt vos, conciuesque veſtri, quaſi in limpidiſſimo quodam ſpeculo, ea cernentes imitaremini, atque vt ex his

labo-

laboribus summa fide à me ex actis præcipue Canonizationis excerptis, incorruptius, sinceriusque quàm ex aliorum fortassis scriptis, qui his præsidijs caruerunt, veritatem cognosceretis. Cum enim ad acta eiusdem Canonizationis ordinanda, iudicandaq. vna cum duobus alijs Rotę Auditoribus à Sanctissimo Domino Nostro CLEMENTE VIII. delectus fuerim, certius, euidentiusque potui veritatem inuenire, inuentamq. litterarum monumentis consignare. Valete. Romæ idibus Iunij Anno MDCI.

PIO

PIO LECTORI.

SANCTI Raymundi vitã ab antiquo scriptore breuiter collectam exhibuit nobis simul cũ alijs antiquis monumentis ad eiusdẽ Raymundi res gestas spectantibus, Monasterium Sãctæ Catherinæ Barcinonen. Ordinis Prædicatorũ: nam cum Sanctißimus Dominus Noster CLEMENS VIII. anno M D LXXXXV. libẽter se eũ virũ in Sãctorum Catalogum relaturum significasset, si & vitæ sanctimonia, & miracula Sanctitatis non obscura indicia ita suasissent, & Cardinales congregationi sacrorum Rituum præfecti, apud quos fel. recor. Sixtus Papa V. Canonizationum causas agendas constituit, quibusdam Cathaloniæ Episcopis, datis ad illos litteris, iniunxissent, vt quos testes Ordo Prædicatorum produxisset, diligenter interrogarent, & quæ inueniri possent probationum instrumenta ad hanc causam pertinentia fideliter conscripta, Romam transmitterent: illi sedulam diligentiam adhibentes, inter cætera Raymundi vitam in Archiuo Monasterij Sanctæ Catherinæ repertam, transmittendam curarunt. Asserebat tabellio, qui conscribendis actis adhibitus cuncta rimatus fuerat, codicem in membranis manuscriptum ligneis tabellis opertum, vitam hanc continentem, ob vetustatem atramenti vix retinuisse colorem, eumque iam anno M CCC LI. ab alia quadam scriptura fuisse transcriptum. Quoniam autem Rotæ Auditores Seraphinus Oliuarius Razzalius, Petrus Franciscus Gypsius, et ego Frãciscus Penia, quibus idem S. D. N. CLEMENS VIII. videndorum, ac iudicandorum actorum negotium commiserat, eumdem vitæ librum admirati, pariter ac ob vetustatem venerati in Relatione, quàm super hac canonizatione celebranda conscripsimus, eidem non dubiam fidem adhibendam censuimus, propterea nihil penitus immutando, sed notis obscura illustrando (quia antiqui libri auctor breuiter quædam indicauerat potius, quàm copiose docuerat) in lucem dare decreui; præsertim cum nec stylus esset adeo rudis, vt piæ ac Christianæ aures facile ferre non possent. Ex titulis, seu inscriptionibus singulis capitibus appositis patebat 39. sectionibus fuiße comprehensam, quibus nos solum numerum addidimus, & sæpe in margine, apertioris intelligentiæ gratia, paulo copiosius argumentum, & in fine cuiuslibet capitis notas interdum breues, interdum vero magis copiosas, vt materia subiecta postulabat. Quis hu-

ius li-

ius libelli fuerit auctor, incertum, quamuis sint qui velint, à Nicolao Eymerico viro docto, & pio (qui post Nicolaum Rossell ad dignitatem Cardinalitiam euectum ad annum Domini M CCC LX. in Regnis & dominijs Regis Aragoniæ officium generalis Inquisitoris exercuit) fuisse conscriptum, eo potissimum argumento ducti, quod in Conuentu Gerunden. inter opera Eymerico tributa contineretur, & tabellio, qui superioribus annis eam vitam inde extraxerat, id ipsum indicare videretur; verius tamen esse putabam, vetustiorem aliquem scriptorem eam nobis reliquisse, cum in Archiuo Conuentus Barcinonensis iam anno M CCC LI. ab alia scriptura vetustiore transcripta assereretur. Nec refragabatur, quod in Conuentu Gerunden. inter Eymerici opera, volumine primo reperiretur; quoniam idem tabellio illam vnà cum altera Fratris Dalmatij Monerij ab Eymerico collectam asserebat: vnde non licebat inferre, ab illo fuisse conscriptam: quod si compositam etiam propterea affirmare quis voluerit, non repugnabo. Sed quisquis fuerit scriptor, ille quidem pius, prudens, & veridicus fuisse ex nostris notis manifeste comprobabitur. Hanc vetusti Auctoris vitam vno libello in ordine primo cum notis opportunis edidimus; sed quoniam nullum in eo miraculum post mortem Beati Viri factum recensebatur, secundum librum ex processibus, & actis canonizationis fideliter collectum, miracula continentem addidimus; cui tertium de actis canonizationis annectendum putauimus, in quo alte repetitis initijs, quid Aragoniæ Catholici Reges, quid Archiepiscopus Tarraconensis, & comprouinciales Episcopi, & vniuersus Prædicatorum Ordo, & Barcinonis Consules singulis sæculis exoptauerint, & à Sede Apostolica postulauerint, seruata temporum serie, recensuimus: ac denique quantum fieri potuit, dilucide canonizationis acta prosecuti ostendimus S. D. N. CLEMENTEM VIII. omnia ad Sanctorum canonizationem à sacris Canonibus, & libris Ritualibus S. R. E. præcepta, & constituta diligenter, & religiose in hac Canonizatione obseruasse; vt non sit propterea dubitandum in ijs, quæ deinceps, diuina disponente prouidentia, in Ecclesia Romana celebrabuntur Sanctorum Canonizationes, Ritus in hac obseruatos, tuto posse pro regula deseruire.

PRAE-

PRAEFATIO
VETVSTI LIBRI VITÆ B. RAYMVNDI,



CCENSAM Lucernam diuinitus in ſecreto quondam profundo humilitatis cubiculo latitantem, nō ſinit iam diuinæ virtutis circumfulgēs claritas amplius occultari. Hæc eſt Lucerna ardens & lucens Venerabilis Pater frater Raymundus de Peniafort Magiſter quondam Ordinis Prædicatorum, Hiſpanus origine, natione Cathalanus, cuius vitam coram Deo, & hominibus gratioſam, concomitantibus, & ſubſequentibus miraculis diuinæ gratiæ magnificentia multipliciter approbauit.

¶ Hiſpanus origine, natione Cathalanus.] *RAYMVNDVM de Peniafort Hiſpanum fuiſſe origine, nemo negauit: natione vero Cathalanum affirmant viri graues.* Raymundus de Peniafort natione Cathalanus, Patria Barcinonenſis.

Ptolomæus de Luca, lib. 21. hiſtoriæ Scholaſticæ, cap. 29.

Leander Albertus, lib. 1. de viris illuſtribus Ordinis Prædicatorum, in Raymundo, III. Magiſtro illius Ordinis Generali.

Ferdinandus del Caſtillo, parte 1. hiſtoriæ generalis Sancti Dominici, lib. 2. cap. 17. vbi Barcinonem patriam habuiſſe expreſsit.

Marcus Antonius Sabellicus in poſteriori parte hiſtoriarum enneade 9. lib. 6.

Laurentius Surius tomo 1. de probatis Sanctorum hiſtorijs, die 6. Ianuarij.

Et Ioannes And. in proœmio Decretal. §. Rex. il. 1. ſuper verbo, Raymundum.

A ¶ Cu-

Raymundũ Sanctitate vitæ, & miraculis claruisse.

¶ Cuius vitam coram Deo, & hominibus gratiosam, concomitantibus, & subsequentibus miraculis, &c.] *Raymundum vitæ sanctimonia, & coruscatione miraculorum insignem, Deo, & hominibus placuisse testantur, tum toto hoc libello Vetustus scriptor, tum vno etiam consensu, quotquot huius Beati viri meminerunt.*

Auctores Raymundi sanctitatem testificãtes.

Ex multis nobiliores quosdam illius sanctitatis testes, vt huic loco lux interpretationis afferatur, recensere visum est.

Archiepiscopus Tarraconensis, & nouem eius suffraganei in Concilio Tarraconensi anno 1279. congregati, scriptis litteris ad Nicolaum Papam III. quibus humiliter supplicabant, vt in Sanctorum Catalogum Raymundum referre dignaretur, egregio testimonio miram illius sanctitatem commendarunt.

Idemque rursus anno 1318. testificati sunt Archiepiscopus Tarraconensis, & octo suffraganei in alio Tarraconensi Concilio congregati, missis litteris ad Ioannem XXII. pro eadem Raymundi Canonizatione apud eum, & Sedem Apostolicam intercedentes eius sanctitate, quam vno etiam consensu celebrantes dignis laudibus extulerunt nobiles scriptores ex omnibus ferè Christiani Orbis Prouincijs.

Ptolomæus de Luca, lib. 21. historiæ Scholasticæ, cap. 29. eum appellat virum maximæ Sanctitatis.

Sanctus Antoninus par. 3. Cronicorum. tit. 23. cap. 12. Raymundum dicit fuisse humilitatis eximiæ, & magnæ sanctitatis, & miraculis claruisse.

Raphael Volaterranus, lib. 21. commentariorum vrbanorum, post enarratas aliquot primarias huius Raymũdi actiones concludit dicens, eum post abdicatum magistratum, priuatim, & vitæ Sanctitate, & consilio cunctos iuuisse.

Leander Albertus, lib. 1. de viris illustribus Ordinis Prædicatorum agens de hoc viro tertio illius Ordinis Magistro Generali, eum vitam egisse sanctissimam, & in studijs assiduis, & meditationibus occupatam asserit.

Marcus Antonius Sabellicus posteriore historiarum parte, ænneade. IX. lib. 6. inter viros ingenio, & Sanctitate claros, quos Gregorius IX. in precio habuit, primo loco enumerat hunc Raymundum Barcinonsem.

Antonius Senensis Lusitanus in Chronico Fratrum Ordinis Prædicatorum Raymundum hunc vocat iuris Canonici doctorem excellentem, & Theologum præclarum, & vitæ Sanctimonia perquam venerandum.

Hieronymus Surita Regni Aragonẽsium Chronistes, lib. 3. Annalium, cap. 94. narrans Beati viri obitum ann. 1275. affirmat Sanctitatem, & Religionem Raymundi in vniuerso Orbe Christiano fuisse celebratam approbatam, & in veneratione habitam ab omnibus Romanis Pontificibus, qui suo tempore post Gregorium IX. Ecclesiæ Catholicæ præfuerunt.

Idem Surita, lib. 2. Indicum rerum ab Aragoniæ Regibus gestarum, tum

an. 1236. tum an. 1270. tum in primis anno, 1275. quàm illustris fuerit Raymundus lumine Sanctitatis, his verbis breuiter significauit : anno 1275. Sacro Epiphaniæ die Raymundus Peniafort Barcinone in cœnobio Prædicatorum è vita excedit, cuius summæ Religionis, & veteris Sanctitatis nullum illustrius exemplum illa tempora in Hispania tulere.

Bernardinus Gomezius Miedes Episcopus Albarazinensis, lib. 19. de vita, & rebus gestis Iacobi Regis Aragonum eius nominis primi.

Ioannes Mariana, lib. 13. de rebus Hispaniæ, cap. 22.

Ferdinandus del Castillo, par. 1. historiæ generalis Sancti Dominici, lib. 2. cap. 17. & 18.

Frater Natalis magister generalis Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis captiuorum.

Alphonsus Villegas in Flore Sanctorum Hispana lingua conscripto, & plerique alij, quos breuitatis studio consulto omittendos putaui, virum hunc litteris clarum, & pietate, ac Sanctitate insignem fuisse, vno consensu, licet inter sese locis, & temporibus longè distantes, memoriæ prodiderunt.

Rotæ quoque Auditores in relatione super eius Canonizatione, parte 2. articulo 2. tum ex hoc, tam egregio tot excellentium virorum testimonio, tum ex pluribus alijs argumentis censuimus, adeo Raymundi Sanctitatem extitisse probatam, vt nullus esset dubitationi locus, quin Sedis Apostolicæ auctoritate in Sanctorum Catalogum referri potuisset.

De puerili ætate.
Cap. I.



EX militari quidem progenie trahens originem, parentum nobilitatẽ honestissimis moribus reddidit clariorem. In annis enim puerilibus cor ei senile videbatur inesse, abiectisq. mundanæ conuersationis illecebris, disciplinæ, atque doctrinæ se totum gratis subijciens, in breui tempore sic profecit, quod cum esset viginti annorum, vel circa competenter in liberalibus artibus

De puerili ætate Beati Raymundi, honesta eius conuersatione, & fœlici pgressu in literarũ humaniorum studijs.

instructus in ciuitate Barcinonensi plurimos huiusmodi artibus, absque salario instruebat, & sanctæ couersationis exemplo in moribus informabat,

Raymūdus genere nobilis.

¶ Ex militari quidem progenie, &c.] *Raymundum in Aragoniæ Reges originem retulisse, scripsit Leander Albertus, lib. 1. de viris illustribus Ordinis Prædicatorum, quem Surius, & nonnulli alij sequi videntur; quorum sententiæ adstipulantur antiqua insignia familiæ de Peniasort, quæ præter duas pineas a dextris, sinistrisque super duabus rupibus collocatas, præferunt quatuor baculos rubros aureo in scuto positos, qui Regum Aragonensium insignia quodam tempore manserunt, vt testatur Hieronymus Blancas Cæsaraugustanus Regni illius inclyti historicus in Aragonensium rerum commentarijs, in Ranimiro II. Aragonum Rege X. anno 1136. & 1137.*

Hic tamen auctor ex militari, idest, equestri, siue nobili progenie illum traxisse originem more Cathaldnorum loquutus, qui viros nobiles, militares vocant, simpliciter annotauit; quod nos verius esse opinamur, vt indicant pineæ propria familiæ de Peniasort insignia, quas ex priuilegio arbitramur insertas baculis rubris insignibus Regijs, eo potissimum nomine, quod illius maiores, Regibus Aragoniæ tempore potissimum bellorum, quæ tum assidue, tum acriter contra Saracenos gerebant, fidelem nauassent operam, magnoque studio inseruijssent.

Multi præterea viri graues, & nobiles, quorum testificationes in acta relatas diligenter perspeximus, commemorabant, natiuum solum nobilium parentum Raymundi, adhuc hodie conspici non longe ab oppido, cui nomen est Villa franca de Penades, XX. fere milliaribus à Ciuitate Barcinonensi distante, in cuius Territorio in Parochia Sanctæ Margaritæ visitur adhuc rusticum prædium vulgo appellatum, Peniasort, constantique fama receptum illud ipsum prædium, vetustosque parietes parentum, maiorumque Raymundi suisse domicilium, & einsdem Raymundi natalem domum.

Raymundi natiuitas circiter annū Domini 1175.

Quo anno natus sit Raymundus, siue in Ciuitate Barcinonensi, siue in patrio domicilio de Peniasort, non est satis exploratum: cæterum cum consentienti omnium testimonio obierit anno M. CC. LXXV. & suæ ætatis quasi centesimo, vt testatur vetustus vitæ ipsius scriptor, paulo post cap. xxxviij. consequens est, illum natum circiter annum, M. C. LXXV. sub Pontificatu Alexandri Papæ III. quod diuina prouidentia contigisse videtur, vt quo potissimum tempore omnia Schismatibus miscebantur propter quorundam audaciam, & perfidiam, qui fauente Federico Imperatore Sedem Apostolicam arripere nitebantur, & res, & personæ Ecclesiasticæ propter ademptam, aut violatam libertatem,

De Stu-

& immunitatem graues patiebantur iniurias, ille nasceretur, qui & illustri vitæ Sanctitate, & celebri Doctrina, ac iuris in primis Canonici peritia, vna cum alijs præstantibus viris, qui eodem sæculo floruerunt, opem esset aliquando tantis calamitatibus allaturus.

De Studio eius. Cap. II.

DEINDE diuina prouidentia ordinante, quæ sola nouerat, quanta de ipsius studio vtilitas poterat Ecclesiæ prouenire, profectus est Bononiam, vbi studuit diligenter tam in iure Canonico, quam Ciuili. Tandem ad honorem Cathedræ magistralis meruit promoueri; qui per triennium ibi regens in iure Canonico, ita doctor extitit gratiosus, quod plurimi præcipue nobiles, & literati, ad eius scholas libentissime confluebant. Bononienses vero ciues diligentius attendentes, quod tantus magister à suis auditoribus salarium non petebat, sed quod gratis à Deo acceperat, gratis dabat, ordinauerũt ipso magistro penitus ignorante, quod sibi à communitate annis singulis copiosum subsidium præberetur, vt prædicta Ciuitas tam gratioso Magistro minime priuaretur. De omnibus autem qualitercumq. acquisitis, Deo, & Clerico, in cuius parochia morabatur, decimas offerebat fideliter & deuotè.

De studio S. Raymũdi

Bononię dat operã vtrique iuri.

doctor creatus, gratis docet.

Senatus Bononiẽsis decernit ei salarium.

De omnib⁹ acquisitis Raymũdus soluit decimas.

¶ Profectus est Bononiam, &c.] *Idem Leander Albertus, lib. 1. de viris illustribus Ordinis Prædicatorum, & Laurentius Surius à Leandro mutuatus die 6. Ianuarij, & Ferdinandus del Castillo parte 1. historiæ generalis Sancti Dominici, lib. 2. cap. 17. sed paulo contractius, & obscu-*

& obscurius, ita vt illi ab his potius lucem accipiant.

Quo anno Raymũdus Bononiam studiorum causa profectus fuerit.

Iam ex serie superioris narrationis, & notationis colligitur, Raymundum Bononiam profectum, annum circiter M. CC. cum enim natus fuerit anno M. C. LXXV. & ex auctore vitæ supra cap. 1. constet, vsque ad annum ætatis suæ xx. in patria humanioribus literis operam dedisse, & eas gratis inibi alios docuisse, quod per aliquot annos eum præstitisse est verisimile: postea autem Bononiam profectum, consequenter Raimundum eo ferè tempore relicta Hispania, & anno ætatis circiter xxv. vt studijs iuris incumberet, Bononiam aduentasse.

Bononia iuris Romani professione claret.

Erat tunc iam Bononia celebris ob iuris potissimum Romani (quod ciuile vocant) professionem, & studia, ad eamque ex omnibus Christiani ferè orbis, in primis autem ex Hispania, Gallia, Anglia, Germaniaque confluebant, quicunque hæc iuris studia decreuerant, profiteri; cum enim singulari Dei beneficio, ac prouidentia, Anno M.C.XXVIII. ius ciuile ex Malfitanæ Vrbis direptione in Italiam Pisas, ab ipsis Pisanis, victoribus esset relatum (vnde codices, quibus continebatur, Pandectæ primum Pisanæ; deinde Florentinæ, quoniam inde Florentiam peruenerãt, vocati sunt) Itali tunc in primis vero Bononienses omnium bonarum artium assidui, & diligentes cultores, cognita iuris prudentiæ Romanæ (quæ in illis ipsis pandectis à Iustiniano Imperatore concinnatis, continebatur) maiestate, grauitate, & vtilitate, fugatis Barbaris longobardorum legibus, Academias publicas primi aperuerunt, in quibus magni nominis, & auctoritatis viri Romanas leges interpretarentur. vita itaque tunc functo circiter annum Domini M.C.XC. Irnerio, qui primum ius Romanum Bononiæ non sine laude fuerat professus, cum frequentius iam Bononiæ iuris prudentiæ studium increbescere cœpisset, Hugolinus, Bulgarus, Martinus, Placentinus, Ioannes, & alij (vt in libro de vitis recentiorum iureconsultorum Fichardus scribit) floruerunt: quibus adduntur Aldericus, siue Albericus (alius ab Alberico de Rosate, qui longo post tempore claruit) Columbus, Fasolus, & Ioannes Bosianus Cremonensis, qui Azonem Bononiensem discipulum habuit, virum iurisprudentia reliquis ætatis suæ iureconsultis longe præstantem, quam publicè etiam Bononiæ professus est. Hos igitur Raymundus tales, tantosque viros audire tunc potuit, ac facile illos breui tempore, vel superasse, vel æquasse, argumento est Senatus Bononiensis iudicium, qui de publico ærario illi constituit stipendium, ne tali magistro priuaretur.

Qui primi, & præcipui legũ professores Bononiæ.

Quos præceptores Raymundus habuerit.

¶ De omnibus autem qualitercunque acquisitis, &c. decimas offerebat.] *Quæstionis olim fuerat & nunc est, An doctor de collecta, vel aduocatus de patrocinio, vel mercenarius de eo, quod lucratur, decimas soluere teneatur: & graues Doctores iuris auctoritate muniti, in cap. decimæ 16. quæst. 1. in cap. non est, de decimis, & alibi sæpe, affirmati-*

matiuam sententiam amplectentes de omni negocio, & lucro decimas persolui debere censuerunt, Glos. in dicto cap. decimæ 16. quæst. 1. in verbo, negocio. *Canonistæ in dicto cap. non est, quibus addendus Dominicus Sotus, qui quæstionem declarat, lib. 9. de iustitia, & iure, quæst. 4. artic. 2. & Petrus Rebuffus, tract. de decimis, quæst. 8. Beatus Raymundus ipso facto istam opinionem comprobabat; quam deinde factus monachus defendit in summa (de qua paulo post dicemus) tit. de decimis, non procul ab initio. Versic.* Debent dari decimæ, *& Versic.* Item de negotijs, & artificijs.

De reditu eius à studio, & gratia, & honesta conuersatione. Cap. III.

TVNC Dominus Berengarius de Palatiolo Barcinonensis Episcopus de Romana Curia rediens, multis precibus, & instantijs obtinuit ab eodem, vt cum eodem Domino Episcopo ad natale solum, & ad Ecclesiam Barcinonensem, vbi nutritus fuerat, remearet; in qua vnanimiter à domino Episcopo, & à toto capitulo in canonicum liberaliter est receptus. quadam præpositura sibi addita, quæ vacabat. Qui cultum cupiens ampliare diuinum, obtinuit à domino Episcopo. & à capitulo, vt in festo Annunciationis Dominicæ, fieret festum duplex: & ipse de bonis præpositura suæ in festo prædicto dabat portionem Canonicis talem, qualis ei dari in alijs totis duplicibus consueuit. obtinuit insuper, vt hoc perpetuo seruaretur. Proficiens autem de virtute, in virtutem, se omnibus amabilem exhibebat; omnesq. tam Clerici, quàm Laici, & maxime Prælati, & Principes eidem reuerentiam exhibebant;

Raymūdus Epi Barcinonēsis rogatu, relicta Bononia Barcinonē reuertitur.

Recipit canonicatum cum præpositura.

Suadet & obtinet ab Epo, vt festū Annunciationis Dñicæ sub officio duplici perpetuo ibi celebretur.

bebant; qui existens in sæculo corpore, conuersatione tamen honesta, intuentium animos ad vitam cælibem iugiter inuitabat.

Quo tépore Raymũdus ex Gymnasio Bononiẽsi Barcinonem sit reuersus.

¶ Tunc Dominus Berengarius de Palatiolo, &c.] *Hæc Raymundi reuersio in Hispaniam (hortante Berengario de Palatiolo Episcopo Barcinonensi) circiter annum Domini, M.CC. XVIII. aut M.CC. XIX. cõtigisse videtur; quod nobis facilè suasit liber antiquus per Nicolaum Rossell Cardinalem Sancti Sixti Ordinis Prædicatorum Romæ confectus Anno Domini M.CCC. LVII. qui nunc in Archiuio Monasterij S. Catharinæ Barcinone asseruatur, in quo scriptum est, Berengarium de Palatiolo Episcopum Barcinonensem, qui fuit pater fratrum in prouincia illa, obtinuisse à Beato Dominico conuentum Fratrum Prædicatorum, quem adduxerat ex ciuitate Bononiæ ad ciuitatem Barcinonensem, & Raymundum (qui vt paulo post dicemus Religionẽ Dominicanã fuit professus an. M.CC.XXII.) dicere solitum, quòd quando ipse ingressus fuit ordinem, iam fuerant Fratres antea Barcinone per tres annos, & quòd conuentus Fratrum Prædicatorum inceperat esse in ea ciuitate anno Domini M.CC. XIX.*

Epi hortatu Raymundus in patriam reuertitur.

¶ Multis precibus & instantijs obtinuit ab eodem &c.] *Episcopi ergo precibus persuasus, dimisso gymnasio Bononiensi Barcinonem reuertitur Raymundus non præcepto summi Pontificis coactus, vt scripsit Ferdinandus del Castillo par. 1. historiæ generalis S. Dominici lib. 2. cap. 17.*

Canonicus non Archidiaconus fuit Raymundus in Ecclesia Barcinonensi.

¶ In Canonicum liberaliter est receptus, quadam præpositura sibi addita, quæ vacabat.] *Canonicum Ecclesiæ Barcinonensis fuisse Raymundum affirmat hic vitæ auctor, quod etiam agnouit Vincentius Iustinianus Antistius Prædicatorij Ordinis Doctor eximius libello de Beato Raymundo, cap. 3. quamobrem non est consentiendum Ferdinando del Castillo, nec alijs eum sequutis, asserentibus Archidiaconum illius Ecclesiæ fuisse creatum.*

In Ecclesia Barcinonẽsi Raymundo hortante de Annũciatione Dñicæ celebratur festũ duplex.

¶ Qui cultum cupiens ampliare Diuinum, obtinuit à domino Episcopo, & à Capitulo, quod in Festo Annunciationis Dominicæ fieret festum duplex &c.] *Hoc ad ardentem deuotionem Raymundi, qua Beatam Mariam Virginem quæ salutem attulit mundo, prosequebatur, pertinere videtur: nec fuit indocta petitio, quoniam Sanctorum ab Ecclesia canonizatorum quasdam festiuitates colendas populo indicere, ad Episcopos spectare dignoscitur. cap. 1. de consecr. distin. 3. vbi Turrecremata nu. 30. super verbo, festiuitates.*

¶ De

Atq. ab hoc initio (antequã Apostolica auctoritate in Ecclesia vniuersali celebrandum proponeretur) emanaße creditur in Ecclesia Barcinonensi ordinatio celebrandi festum Annuntiationis Beatæ Mariæ Virginis, tanquàm duplex maius die 25. Martij, vt apparet ex Breuiario Barcinonensi, vbi cautum est, quòd si hoc festum inciderit in aliqua Dominica Quadragesimæ, etiam de Passione, aut infra hebdomadam ante dominicam Palmarum, eodem die celebretur cum commemoratione quadragesimæ: Si verò inciderit in Dominica Palmarum transferendum est in crastinum; & si in eadem crastina die inciderit, ibidem celebretur. Verùm, occurrente dicto festo à feria 2. Hebdomadæ sanctæ vsq; ad Dominicam in Albis inclusiuè transferendum est in feriam secundam post dictam Dominicam in Albis, & ibi solemniter celebretur, & à populo etiam iterum colatur, à moto quocunq; alio festo in hac die celebrando.

De ingressu eius in Ordinem Prædicatorum. Cap. IV.

EO tempore Fratres prædicatores venerunt nouiter Barcinonem, quorum conuersationem honestam considerans diligenter, & insuper fructum prædicationis, quem in populo per eos Dominus faciebat, exemplo eius, qui cum diues esset, pauper pro nobis factus est, & se totum in salutem contulit animarum, prædictus Frater Raymundus arridentem sibi mundum sapienter irrisit, relinquens corporaliter mundi gloriam, quam iam animo contemnebat, & in die parasceues Fratrum prædicatorum ordinem est ingressus: quod quidem plurimis ad ingrediendum similiter prędictum ordinem, exemplum, & causa extitit inductiua: nam tunc temporis multi clerici litterati nobiles genere, ac morũ honestate præclari ad exemplũ, & Prædicationẽ eius, Prædicatorũ Ordinẽ sunt ingreßi.

Raymund. sacram prędicatorum religionem profitetur.

Raymundi pfessio anno 1222.

¶ Eo tempore Fratres Prædicatores venerunt Barcinonem.] Iacobus Ferran in officio, quod in festo huius beati viri recitatur, lectione 1. Raymundum scribit suscepisse habitum Dominicanum in Barcinone anno M. C C. X I X. Feria vj. in parasceue: Verius tamen esse putamus, quod annotauit Nicolaus Cardinalis Rossell in libro, cuius superiori capite mentionem fecimus, Raymundum, scilicet anno Domini M. CC. XXII. in die Parasceues eam religionem fuisse professum, quod ipsum rursus apparet annotatum in alio peruetusto libro manuscripto membraneo, qui asseruatur in monasterio sanctæ Catharinæ Barcinonensis, in quo describuntur nonnulla anniuersaria, & professiones aliquorum fratrum ordinis sancti Dominici. Series præterea rerum tunc gestarum idem apertius videtur comprobare: quoniam, si vt paulo antea ostensum fuit, fratres prædicatores Barcinonis esse ceperunt anno Domini M. C C. X I X. hoc est, tribus annis antequam Raymundus eum ordinem profiteretur, vt ipsemet affirmabat; consequens fit, illum omnino prædicto anno M. CC. X X I I. monachatum iniuisse.

Fratres prædicatores Barcinonis esse cæperunt anno 1219.

Deniq. cum omnes consentiant Raymundum professum Barcinonis, non est ferendum, quod scripsit Ferdinandus del Castillo, parte 1. historiæ generalis sancti Dominici, lib. 2. cap. 17. eum Lutetiæ parisiorum suscepisse habitum, idq. anno M. CC. XVIII. vtrumq. enim longe à vero abest.

Qua de caussa Raymundus Monachatum sit professus.

¶ Quorum conuersatione honestam consideranes, &c.] Caussæ, quibus inductus Raymundus Prædicatorum ordinem est professus, fuerunt, conuersatio honesta Fratrum, qui suo exemplo, & laudabili vitæ instituto intuentium animos ad eam rem inuitabant: fructus prædicationis, qua arcebant a vitijs, & ad virtutes auditores alliciebant: fuga seculi & gloriæ & rerum mundanarum contemptus: quas non prorsus ineleganter refert auctor hoc loco.

Merito ergo dissentimus à Petro de Palude lib. 4. sent. dist. xv. quæst. 2. art. 2. concl. 1. & à Leandro Alberto lib. 1. de viris illustrib. Ordinis Prædicator. quos sequuti videntur Iacobus Ferran lectione 1. in officio Beati Raymundi, Laurentius Surius die 6. Ianuarij. Ferdinandus del Castillo par. 1. Histor. General. S. Dominici lib. 2. cap. 17. & Thomas de Trugillo, Tom. 2. Thesauri concionatorum, in festo Beati Raymundi Confessoris, & quidam alij, qui hanc commemorant caussam, ob quam togam Religionis induerat, quia forte dissuaserat cuidam adolescenti plurimis rationibus sanctæ conuersationis ingressum: quapropter deinde conscientia exagitatus, quod illi dissuaserat, ipse amplexus est, videlicet relictis mundi illecebris, fauore, & gloria, cum omnium admiratione ordinem Prædicatorum est professus: satis enim miramur, vnde hoc haurire potuerint, cum nos, qui plurima antiquitatis monumenta perlegimus, & processus ad vi-

tam, mores, & miracula B. Raymundi spectantes, satis copiosos euoluimus; nec vmbram quidem huiusmodi causæ reperire potuerimus.

Quod quidem plurimis ad ingrediendum similiter prædictũ ordinem, & exemplum, & causa extitit. Habent hoc quasi peculiare viri nobiles, & insignes, vt suo exemplo plurimum prosint, vel noceant; solent enim semper homines, vt ait Herodianus, lib. 1. Histori. Romanæ in Marco Imperatore, vitam virorum principum æmulari: & Plutarchus in Numa ait, homines facilè per viros potentes, & pios, & Deorum cultores ad pietatem efformari, cum ciues facillimè, & promptissime ad principum virorum mores se conforment; & propterea prudenter censuit Archidiaco-nus in cap. qui contra, de quo est, & quem laudat Andreas Tiraquellus tract. de Pœnis temperan. aut remitten. cau. 31. num. 25. nobiles in fide, & pietate errantes plus, quàm ignobiles, aut certè æquè secundum formam Iuris esse puniendos.

Magnorum virorũ exẽpla plurimum prodesse, & nocere solent.

Eodem præterea facto, Raymundus multùm honoris, & existimationis contulit Ordini Prædicatorio in Hispaniam recenter inuecto; magni enim incrementi causa fuit; multamq. apud homines vniuersæ eius Prouinciæ beneuolentiam conciliauit, illa publica professio, cùm valdè homines mirarentur virum nobilem, ætate maturum, iurisprudentiæ peritia insignem, Ordine Canonicum, vita, & moribus incorruptũ, & qui præterea parentũ fauore, qui gratia, & auctoritate apud Reges Aragoniæ pollebant, conscendere poterat ad Illustres, & valde conspicuas in Ecclesia dignitates, omnibus tamen istis relictis, atque contemptis, voluntariam amplexum paupertatem, vestem humilitatis induisse.

ob Raymũdi professionem Ordo Prædicatorius magnũ suscepit incremẽtum.

De Summa de casibus, quam fecit. Cap. V.

IN diebus illis Frater Suggerius primus Prior Prouincialis in Hispania, veniens Barcinonem, intelligens prædicti fratris Raymũdi peritiam, & veram scientiam Iuris, rogauit eũ, eidem in remissionem peccatorum iniungendo, vt ad informationem, & directionem Fratrum, & omnium confessiones audientium, vt consilia saluta-

Raymund' sui Ordinis Prouinciali rogante summã cõposuit de casibus cõscientiæ.

ria confitentibus possent dare, summam de casibus iuris, qui solent in foro pænitentiæ frequenter occurrere, compendiosam, & vtilem compilaret; cuius precibus, & mandatis prædictus frater Raymundus, sicut filius obedientiæ, humiliter acquieuit.

Viri graues affirmant Raymundũ summã cõposuisse.

¶ Summam de casibus iuris, &c.] *Raymundum, summã scripsisse de casibus conscientiæ, omnes fere quotquot illius viri meminere, testantur:*

Ptolomeus de Luca lib. 21. Historiæ Scholasticæ, cap. 29.

Sanctus Antoninus parte 3. Chronicorum. tit. xxiij. cap. 11. §. 2. vers. In moralibus. vbi affirmat ipsam quasi primum in Foro Conscientiæ summam composuisse, eamq. Raymundinam appellatam.

Balthazarus Vuerlinus Colmariensis ad Abbatem Tritthemium de scriptorib. Ecclesiast. additione. 2.

Leander Albertus lib. 1. de viris Illustribus Ordinis Prædicator. In Raymundo, & eum sequutus Laurentius Surius die. 6. Ianuarij.

Ferdinandus del Castillo parte. 1. Historiæ generalis S. Dominici lib. 2. cap. 17.

Thomas de Trugillo, tomo 2. Thesauri concionatorum, in festo Beati Raymundi, & alij.

Raymundi summam in hoc genere fuisse primam.

Frequenti vsu tunc receptam illam summam testatur præcitato loco S. Antoninus; nec mirum, quia præterquamquod illa prima fuit quæ in hoc genere à viro tam celebri prodijt in lucem, vt Antoninus, & Ferdinandus del Castillo agnouerunt, propter singularem præterea eruditionem omnium virorum doctorum consensum meruit: ab eaq. tamquam à perenni & vberrimo fonte, quicunq. deinceps (qui fuerũt numero multi) summos conscripserunt mutato solum fere Ordine, tum allegationes iuris, tum casuum decisiones, & grauissimarum dificultatum solutiones acceperunt. Testantur hoc potissimum frequentes istorum summistarum allegationes, qui Raymundum præferunt; quod ipsum antiquos canonum interpretes fecisse sæpe obseruaui, deniq. quanta Raymundi fuerit auctoritas vnus Baldus significauit super Feudis. tit. de pace tenenda. & eius violatoribus. nu. 16. vbi ad condemnandam pugnam duelli tamquam illicitam solius Raymundi auctoritate nititur, cuius & cognomen expressit in hæc verba; Et nota quod de Iure Canonico ista pugna est omnino prohibita, vt plene notatur per Raymundum de Peniafort in tractatu suo de duello siue monomachia, quod idem est dictu, & ibi videas. *Hactenus Baldus, quibus verbis Raymundi summam respexit, vbi copiose de duello disputauit.*

Baldus vsus Raymundi auctoritate.

Quo tempore eam summam Raymundus composuerit, num antequam venisset Romam, & Decretales Pontificum epistolas in vnum volumē sub Gregorio ix. ad annum Domini M. CC. XXXV. redegisset, an vero post collectionem Decretalium, quæstionis est; & quamuis non desint coniecturæ, quibus id opus antequam Romam venisset, peractum videri possit: verius tamen esse censeo, quod Leander Albertus, & eum sequutus Laurentius Surius affirmarunt, Raymundum post Epistolas Decretales in vnum congestas summam de Casibus Conscientiæ, opus videlicet insigne, & omni admiratione, & obseruatione dignum edidisse. quod maxime verum esse ostendit res ipsa: cum Raymundus in summa alleget, & citet multos Gregorij ix. Canones ex illis locis & titulis, sub quibus nunc constituuntur in Decretalibus, qui nec erant nec esse quidem poterant in alijs Decretaliū antiquioribus collectionibus. & mihi valde fit verisimile Barcinonis in Hispania, vt obediret suo Prouinciali, opus incboasse, Romæ aut perfecisse, aut prosequutum fuisse, idq; post absolutam Decretalium collectionem.

Raymundū summā perfecisse post collectas Decretales

Eidem Raymundi summæ, cuius initium est: Quoniam vt ait Hieronymus secunda post naufragium tabula, &c. *Ioannes de Friburgo Ordinis Prædicatorum indicem & apparatum seu glossas valde doctas, & vtiles addidit, antequam opus suum, quod summam Confessorum appellauit, confecisset; quas nos vna cum summa Raymundi in lucem edere properamus.*

Ioannes de Friburgo glossas addidit Raymūdi summæ.

Roganti autem cur cum hæc Raymundi summa prima in hoc genere fuerit, & Reipublicæ litterariæ adeo vtilis, & olim vsu recepta, numquam impressa prodierit in lucem, respondemus id quidem huic viro contigisse, quod plerisq; alijs insignibus superioribus sæculis ante inuentam artem impressoriam euenisse nouimus, nempe illorum opera obliuione pæne sepulta aut iacuisse, aut penitus interijsse: dum posteri maiori diligentia vsi, similium argumentorum libros edentes, suis obtrusis, reliquos à quibus suas composuerint sarcinas, alto silentio inuolui compulerint.

Postremo illud obseruandum, non esse huius Raymundi summam illam, quæ Raymundi nomine conscripta versibus circumfertur impressa in vrbe Argentina anno M. D. IIII. Raymundus enim noster non versu, sed prosa scripsit, quam versificator quisquis ille fuit, satis inepte contraxit; & sapientem Raymundum ineptia sua fere ineptire coegit.

Non esse Raymundi summam, quæ versib. circunfertur impressa.

De hu-

De humili sequela D. Cardinalis. Cap. VI.

Cardinalis Sabinus Legatus Apostolicus Raymundum assumit suæ legationis Socium.



Rescente fama eius, & virtutum aromatibus redolente, nec non & doctrinæ sanctæ consilijs rutilante, Dominum Sabinum Cardinalem Legatum in Hispania à latere Domini Papæ Gregorij ix. contigit aduenire: qui audita fama dicti Fratris Raymundi, tam laudabili, & eiusdem industria tam prouida, tam discreta, eundem assumpsit in suæ legationis strenuum adiutorem, & humilem obsecutorem: nam per Hispaniam in tota legatione humiliter eum sequens, nec equitare, nec cibaria Ordinis mutare aliquatenus voluit consentire: sed præcedens cum socio peditando veniens ad locum, quo venturus erat Dominus Cardinalis populum faciens conuocari, absoluebat excommunicatos, confessiones audiebat, & prædicabat, & cætera salutis remedia populo impendebat.

Raymund° iter faciens nec equitat nec cibaria sui ordinis mutat.

Expertus igitur dominus Cardinalis, quod dictus Frater Raymūdus famam suam virtutibus superabat, tam preciosum thesaurum, tamquam legatus fidelis domino Papæ Gregorio præsentare pro magno xenio proponebat. Sed ipso Fratre Raymundo venire ad curiam humiliter renuente, rediens ad curiam Dominus Sabinus ipsius conuersationē, & famam laudabilem, & humilitatem præcipuam virtutum custodiam ceterarum, domino Papæ studuit nuntiare.

Legatus Pōtifici exponit Raymūdi virtutes.

¶ Dominum

¶ Dominum Sabinum Cardinalem legatum in Hispania, à latere Domini Papæ Gregorij. ix. contigit aduenire: &c.] *Ptolomeus de Luca lib. 21. Histor. Scholasticæ cap. 29. Leander, Albertus, lib. 1. De Viris Illustrib. Ord. Prædic. Laurentius Surius, cæterique consentiunt, Raymundum Legati huius fuisse comitem in Hispania; quo autem tempore, & qua potissimum causa eò profectus fuerit, breuiter dicere oportet, vt hic locus intelligatur.*

Leander Albertus, & eum secutus Surius aiunt, Raymundum accitum fuisse in socium à legato Pontificis Maximi Anno euoluto, simul ac pro more votum emisit: unde necesse est fateantur, eam legationem Anno. M.CC. XXIII. aut M.CC. XXIV. contigisse, quoniam Raymundus, vt in Superioribus ostensum fuit, Anno M. CC. XXII. Prædicatorum Ordinem est professus, quo tempore non Gregorius. ix. sed Honorius iij. Ecclesiæ Catholicæ præerat; cum ergo Cardinalem Sabinum Legatum à Gregorio ix. in Hispaniam missum legamus, & apud Onuphrium Panuinium in Epithome Pontificum Romanorum, & Alphonsum Giaconū in Gregorio ix. reperiamus, eundem Gregorium Ann. Dominicæ Natiuitatis M. CC. XXVII. Pontificatus sui Anno primo, die 15. Kalen. Octob. in prima Cardinalium Ordinatione, primo loco creasse Ioannem Episcopum Cardinalem Sabinum, quem misit legatum in Hispaniam; consequens est eum saltem non prius quam Anno M. CC. XXVII. eo peruenisse: quāquam verius sit, illum Anno mox sequenti M. CC. XXVIII. aut Anno M. CC. XXIX. Legationis munus in Hispania obire cæpisse, vt ex sequentibus apparebit. Legatus in Hispaniam professus nō anno 1223. sed anno 1228.

Fuerat ille Natione Gallus; Monachus Cluniacensis de Abbatis Villa, vulgo Gallicè Abbeuille, Diæcesis Ambianensis, Abbas Monasterij Sancti Petri de Abbatisuilla, deinde Archiepiscopus Bisuntinus, vir in diuinis scripturis eruditissimus, quas in Gymnasio Parisiensi publice longo tempore docuerat. Quis fuerit ille Legat.

Quam autem ob causam in Hispaniam missus sit, auctores non satis conueniunt; Ptolomeus de Luca lib. 21. Histor. Scholastica, cap. 29. Et Alphōsus Giaconus in Gregorio ix. affirmant illum in Hispaniam fuisse missum ad prædicandum Crucem contra Saracenos, quos Hispaniæ Reges studio Christianæ Religionis propagandæ, acri vbiq. bello premebant, eaq. in re Romani Pontifices singulare, & assiduum studium adhibebant, Thesauros Ecclesiæ Indulgentiarum largitionibus impartientes, omnibus Catholicis, qui Crucis signo assumpto, in id bellum pia fortitudine armati proficiscerentur. Cur is Legatus in Hispaniam sit profectus.

Horum opinionem confirmant litteræ Gregorij ix. eidem legato directæ, quibus dabatur facultas concedendi bellantibus indulgentias consuetas, in hæc verba:

Ex Regesto Gregor. ix. asseruato in Bibliotheca Vaticana Anni Secūdi fol. 98. 98. pag. 2. cōstitutione 84.

Gregorius., &c. Ioanni Episcopo Sabinen. Apostolicæ Sedis Legato.

Fiducialiter fidei tuæ committimus vices nostras, qui amore flagrans, & flagrans odore virtutum, perfectus scientia, & prouidentia circunspectus, sic irreprehensibilem te in tuis actibus exhibes, quod nihil de te nisi Deo placitum suspicemur. Vt igitur quod intendis, ad honorem Dei perfectius exequi valeas, præsentium tibi auctoritate concedimus, vt si exercitum in illis partibus contingat fieri contra Mauros, omnibus in succursum venientibus contra eos, indulgentias facias consuetas. Datum Perusij. ij. Idibus Februar. Pontificatus, nostri Anno secundo.

Scriptas vero fuisse constat initio Anni M. CC. XXIX. nam Gregorium ix. Anno M. CC. XXVII. renuntiatum fuisse Pontificem paulo antea docuimus.

Petrus Antonius Beuter, lib. 2. Chronicor. Hispaniæ, cap. 21. & Hieronymus Surita Regni Aragoniæ Chronistes lib. 3. Annaliam. cap. 3. eum Cardinalem in Hispaniam profectum, asserunt ad dirimendum Matrimonium, quod aliquot annis antea Iacobus Aragoniæ Rex eius nominis primus cum Elionora Alphonsi Regis Castillæ filia, Canonico impedimento obstante, in gradu prohibito contraxerat; legatum vero magno apud Turiasonem (Tarazonam vulgus appellat) Episcoporum numero congregato. iij. Kal. Maij. Anno M. CC. XXIX. Vt idem rursus Surita docet, lib. 1. Indicum, sententia lata, locū fuisse diuortio pronuntiasse.

Cui opinioni aliæ eiusdem Gregor. ix. litteræ eidem Cardinali Legato super hac ipsa causa missæ adstipulantur, quæ ita habent:

Ex eodem Regest. Gregor. ix. ann. 2. const. 83. fol. 98.

Gregorius, &c. Ioanni Episcopo Sabinen. Apostolicæ Sedis Legato.

Cum Generale Concilium inhibitione Copulæ coniugalis in tribus vltimis gradibus, reuocata, eam in alijs voluerit districte seruari, nec sit deserendum homini contra Deum: Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad separandum contractum coniunctionis illicitæ inter Regem, & Reginam Aragonum post idem Concilium subsecutæ, super quo etiam iamdudum bo. me. Honorius Papa prædecessor noster sua scripta direxit, iuxta statuta procedas Concilij supradicti; non obstantibus litteris huiusmodi facto contrarijs à Sede Apostolicâ impetratis. Verum apud Regem eundem cures efficere, vt Reginæ pro sustentatione sua honestam prouisionem studeat assignare; cum alias graue de ipsorum separatione timeatur scandalum prouenire. Ceterum super alio Articulo ad præsens non

vidimus

vidimus procedendum. Datum Perusij. viij. idus Februar. Pontificatus nostri anno. 2.

Sunt etiam, qui arbitrentur Cardinalem Sabinum visitandarum, & reformandarum Ecclesiarum gratia in Hispaniam missum; solebant enim superioribus seculis, post celebrata Concilia Generalia visitatores, & reformatores ad singulas Diœceses destinari, vt eorum industria decreta Conciliorum in eis reciperentur, Cardinalemq. hunc Sabinensem ideo profectum, vt Concilij Generalis Lateranensis sub Innocentio iij. Pontifice Maximo Romæ, Anno M. CC. XV. Celebrati, decreta in Prouincia Tarraconensi recipienda, aut instauranda curaret; adducuntq. ad hoc persuadendum rationes non contemnendas; primam quia Barcinonensem Ecclesiam visitauit, atq. ordinauit, vt constat ex eiusdem Cardinalis Sabinensis constitutione, quæ habetur in libro constitutionum capitularium maioris Ecclesiæ Barcinonensis edita xiii. Kalen. Octobris. Anno. M. CC. XXIX.

Alteram, quia exploratum est, eundem Legatum 4. Kalen. Aprilis eiusdem anni M. CC. XXIX. Prouinciale Concilium in Ciuitate Ilerdensi celebrasse, præsentibus, & sibi adsistentibus Venerabilib. in Christo Patribus S. Tarraconensi Archiepiscopo. B Barcinonensi, G. Gerundensi, G. Vicensi, P. Vrgellensi, B. Ilerdensi, P. Dertusensi, & G. Oscensi Episcopis, necnon & multis Abbatibus, & alijs Ecclesiarum Prælatis Prouinciæ Tarraconensis, in quo multas constitutiones edidit, quæ sub diuersis titulis collocatæ nunc circunferuntur in volumine constitutionum Conciliorum Tarraconensium, atq. imprimis, lib. 1. tit. 2. De constitutionib. constat magna ex parte eò respicere illius Prouincialis Concilij Ilerdensis constitutiones, vt Statuta Sacri Generalis Concilij Lateranensis, quæ magna ex parte non sine graui periculo erant neglecta, diligentia pleniore obseruarentur. & quæ contra ipsum Generale Concilium temerè fuerant inducta, studiosè corrigerentur. Istorum sententiam suadet primum potestas, & iurisdictio legatorum à latere, qui vigore suæ legationis reformare mores, & excessus corrigere possunt. c. quoniam. 1 8. dist. Petrus Andreas Gammarus lib. 8. De Off. & Potest. Legati de lat. tit. De Potest. Lega. in legib. & Statutis conden.

Rursus extat, rescriptum eiusdem Gregorij. ix. eidem legato directum, cui generaliter videtur iniungere, vt suæ legationis officium laudabiliter exequatur, in hæc verba.

Gregorius, &c. Ioanni Episcopo Sabinen. Apostolicæ Sedis Legato.

Ex eodem Gregor. ix. Ann. 2. cōstit. 82. fol. 98. pag. 2.

NOn esset necesse te de commissa tibi sollicitudine commendare, quia opera, quæ facis testimonium perhibent veritati: Verum in gratiarū

Ex Regesto Gregor. ix. asseruato in Bibliotheca Vaticana Anni Secũdi fol. 98. 98. pag. 2. cõstitutione 84.

Gregorius, &c. Ioanni Episcopo Sabinen. Apostolicæ Sedis Legato.

Fiducialiter fidei tuæ committimus vices nostras, qui amore flagrans, & flagrans odore virtutum, perfectus scientia, & prouidentia circunspectus, sic irreprehensibilem te in tuis actibus exhibes, quod nihil de te nisi Deo placitum suspicemur. Vt igitur quod intendis, ad honorem Dei perfectius exequi valeas, præsentium tibi auctoritate concedimus, vt si exercitum in illis partibus contingat fieri contra Mauros, omnibus in succursum venientibus contra eos, indulgentias facias consuetas. Datum Perusij. iij. Idibus Februar. Pontificatus nostri Anno secundo.

Scriptas vero fuisse constat initio Anni M. CC. XXIX. nam Gregorium ix. Anno M. CC. XXVII. renuntiatum fuisse Pontificem paulo antea docuimus.

Petrus Antonius Beuter, lib. 2. Chronicor. Hispaniæ, cap. 21. & Hieronymus Surita Regni Aragoniæ Chronistes lib. 3. Annaliam. cap. 3. eum Cardinalem in Hispaniam profectum, asserunt ad dirimendum Matrimonium, quod aliquot annis antea Iacobus Aragoniæ Rex eius nominis primus cum Elionora Alphonsi Regis Castillæ filia, Canonico impedimento obstante, in gradu prohibito contraxerat; legatum vero magno apud Turiasonem (Tarazonam vulgus appellat) Episcoporum numero congregato. iij. Kal. Maij. Anno M. CC. XXIX. Vt idem rursus Surita docet, lib. 1. Indicum, sententia lata, locũ fuisse diuortio pronuntiasse. Cui opinioni aliæ eiusdem Gregor. ix. litteræ eidem Cardinali Legato super hac ipsa causa missæ adstipulantur, quæ ita habent:

Ex eodem Regest. Gregor. ix. ann. 2. const. 83. fol. 98.

Gregorius, &c. Ioanni Episcopo Sabinen. Apostolicæ Sedis Legato.

Cvm Generale Concilium inhibitione Copulæ coniugalis in tribus vltimis gradibus, reuocata, eam in alijs voluerit districte seruari, nec sit deserendum homini contra Deum: Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad separandum contractum coniunctionis illicitæ inter Regem, & Reginam Aragonum post idem Concilium subsecutæ, super quo etiam iamdudum bo. me. Honorius Papa prædecessor noster sua scripta direxit, iuxta statuta procedas Concilij supradicti; non obstantibus litteris huiusmodi facto contrarijs à Sede Apostolicâ impetratis. Verum apud Regem eundem cures efficere, vt Regina pro sustentatione sua honestam prouisionem studeat assignare; cum alias graue de ipsorum separatione timeatur scandalum prouenire. Ceterum super alio Articulo ad præsens non

vidimus

vidimus procedendum. Datum Perusij. viij. idus Februar. Pontificatus nostri anno. 2.

Sunt etiam, qui arbitrentur Cardinalem Sabinum visitandarum, & reformandarum Ecclesiarum gratia in Hispaniam missum; solebant enim superioribus sæculis, post celebrata Concilia Generalia visitatores, & reformatores ad singulas Diœceses destinari, vt eorum industria decreta Conciliorum in eis reciperentur, Cardinalemq. hunc Sabinensem ideo profectum, vt Concilij Generalis Lateranensis sub Innocentio iij. Pontifice Maximo Romæ, Anno M. CC. XV. Celebrati, decreta in Prouincia Tarraconensi recipienda, aut instauranda curaret; adducuntq. ad hoc persuadendum rationes non contemnendas; primam quia Barcinonensem Ecclesiam visitauit, atq. ordinauit, vt constat ex eiusdem Cardinalis Sabinensis constitutione, quæ habetur in libro constitutionum capitularium maioris Ecclesiæ Barcinonensis edita xiii. Kalen. Octobris. Anno. M. CC. XXIX.

Alteram, quia exploratum est, eundem Legatum 4. Kalen. Aprilis eiusdem anni M. CC. XXIX. Prouinciale Concilium in Ciuitate Ilerdensi celebrasse, præsentibus, & sibi adsistentibus Venerabilib. in Christo Patribus S. Tarraconensi Archiepiscopo. B Barcinonensi. G. Gerundensi, G. Vicensi, P. Vrgellensi, B. Ilerdensi, P. Dertusensi, & G. Oscensi Episcopis, necnon & multis Abbatibus, & alijs Ecclesiarum Prælatis Prouinciæ Tarraconensis, in quo multas constitutiones edidit, quæ sub diuersis titulis collocatæ nunc circunferuntur in volumine constitutionum Conciliorum Tarraconensium, atq. imprimis, lib. 1. tit. 2. De constitutionib. constat magna ex parte eò respicere illius Prouincialis Concilij Ilerdensis constitutiones, vt Statuta Sacri Generalis Concilij Lateranensis, quæ magna ex parte non sine graui periculo erant neglecta, diligentia pleniore obseruarentur, & quæ contra ipsum Generale Concilium temerè fuerant inducta, studiosè corrigerentur. Istorum sententiam suadet primum potestas, & iurisdictio legatorum à latere, qui vigore suæ legationis reformare mores, & excessus corrigere possunt. c. quoniam. 18. dist. Petrus Andreas Gammarus lib. 8. De Off. & Potest. Legati de lat. tit. De Potest. Lega. in legib. & Statutis conden.

Rursus extat, rescriptum eiusdem Gregorij. ix. eidem legato directum, cui generaliter videtur iniungere, vt suæ legationis officium laudabiliter exequatur, in hæc verba.

Gregorius, &c. Ioanni Episcopo Sabinen. Apostolicæ Sedis Legato.

Ex eodem Gregor. ix. Ann. 2. cōstit. 82. fol. 98. pag. 2.

NOn esset necesse te de commissa tibi sollicitudine commendare, quia opera, quæ facis testimonium perhibent veritati: Verum in gratiarū

Ex Regesto Gregor. ix. asseruato in Bibliotheca Vaticana Anni Secūdi fol. 98. 98. pag. 2. cōstitutione 84.

Gregorius, &c. Ioanni Episcopo Sabinen. Apostolicæ Sedis Legato.

FIducialiter fidei tuæ committimus vices nostras, qui amore flagrans, & flagrans odore virtutum, perfectus scientia, & prouidentia circunspectus, sic irreprehensibilem te in tuis actibus exhibes, quod nihil de te nisi Deo placitum suspicemur. Vt igitur quod intendis, ad honorem Dei perfectius exequi valeas, præsentium tibi auctoritate concedimus, vt si exercitum in illis partibus contingat fieri contra Mauros, omnibus in succursum venientibus contra eos, indulgentias facias consuetas. Datum Perusij iij. Idibus Februar. Pontificatus nostri Anno secundo.

Scriptas vero fuisse constat initio Anni M. CC. XXIX. nam Gregorium ix. Anno M. CC. XXVII. renuntiatum fuisse Pontificem paulo antea docuimus.

Petrus Antonius Beuter, lib. 2. Chronicor. Hispaniæ, cap. 21. & Hieronymus Surita Regni Aragoniæ Chronistes lib. 3. Annaliam. cap. 3. eum Cardinalem in Hispaniam profectum, asserunt ad dirimendum Matrimonium, quod aliquot annis antea Iacobus Aragoniæ Rex eius nominis primus cum Elionora Alphonsi Regis Castillæ filia, Canonico impedimento obstante, in gradu prohibito contraxerat; legatum vero magno apud Turiasonem (Tarazonam vulgus appellat) Episcoporum numero congregato. iij. Kal. Maij. Anno M. CC. XXIX. Vt idem rursus Surita docet, lib. 1. Indicum, sententia lata, locū fuisse diuortio pronuntiasse. Cui opinioni aliæ eiusdem Gregor. ix. litteræ eidem Cardinali Legato super hac ipsa causa missæ adstipulantur, quæ ita habent:

Ex eodem Regest. Gregor. ix. ann. 2. const. 83. fol. 98.

Gregorius, &c. Ioanni Episcopo Sabinen. Apostolicæ Sedis Legato.

CVm Generale Concilium inhibitione Copulæ coniugalis in tribus vltimis gradibus, reuocata, eam in alijs voluerit districte seruari, nec sit deferendum homini contra Deum: Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad separandum contractum coniunctionis illicitæ inter Regem, & Reginam Aragonum post idem Concilium subsecutæ, super quo etiam iamdudum bo. me. Honorius Papa prædecessor noster sua scripta direxit, iuxta statuta procedas Concilij supradicti; non obstantibus litteris huiusmodi facto contrarijs à Sede Apostolicâ impetratis. Verum apud Regem eundem cures efficere, vt Reginæ pro sustentatione sua honestam prouisionem studeat assignare; cum alias graue de ipsorum separatione timeatur scandalum prouenire. Ceterum super alio Articulo ad præsens non

vidimus

vidimus procedendum. Datum Perusij. viij. idus Februar. Pontificatus nostri anno.2.

Sunt etiam, qui arbitrentur Cardinalem Sabinum visitandarum, & reformandarum Ecclesiarum gratia in Hispaniam missum; solebant enim superioribus sæculis,post celebrata Concilia Generalia visitatores, & reformatores ad singulas Diœceses destinari, vt eorum industria decreta Conciliorum in eis reciperentur, Cardinalemq. hunc Sabinensem ideo profectum, vt Concilij Generalis Lateranensis sub Innocentio iij. Pontifice Maximo Romæ, Anno M. CC. XV. Celebrati, decreta in Prouincia Tarraconensi recipienda,aut instauranda curaret;adducuntq. ad hoc persuadendum rationes non contemnendas; primam quia Barcinonensem Ecclesiam visitauit, atq. ordinauit, vt constat ex eiusdem Cardinalis Sabinensis constitutione, quæ habetur in libro constitutionum capitularium maioris Ecclesiæ Barcinonensis edita xiii. Kalen. Octobris. Anno. M. CC. XXIX.

Alteram, quia exploratum est, eundem Legatum 4. Kalen. Aprilis eiusdem anni M. CC. XXIX. Prouinciale Concilium in Ciuitate Ilerdensi celebrasse, præsentibus, & sibi adsistentibus Venerabilib. in Christo Patribus S. Tarraconensi Archiepiscopo. B Barcinonensi.G. Gerundensi, G.Vicensi, P. Vrgellensi, B.Ilerdensi, P. Dertusensi, & G. Oscensi Episcopis, necnon & multis Abbatibus, & alijs Ecclesiarum Prælatis Prouinciæ Tarraconensis, in quo multas constitutiones edidit, quæ sub diuersis titulis collocatæ nunc circunferuntur in volumine constitutionum Conciliorum Tarraconensium, atq. imprimis, lib. 1.tit.2. De constitutionib. constat magna ex parte eò respicere illius Prouincialis Concilij Ilerdensis constitutiones, vt Statuta Sacri Generalis Concilij Lateranensis, quæ magna ex parte non sine graui periculo erant neglecta, diligentia pleniore obseruarentur. & quæ contra ipsum Generale Concilium temerè fuerant inducta, studiosè corrigerentur. Istorum sententiam suadet primum potestas, & iurisdictio legatorum à latere, qui vigore suæ legationis reformare mores, & excessus corrigere possunt. c.quoniam.18.dist. Petrus Andreas Gammarus lib. 8.De Off. & Potest. Legati de lat.tit. De Potest. Lega. in legib. & Statutis conden.

Rursus extat, rescriptum eiusdem Gregorij.ix. eidem legato directum, cui generaliter videtur iniungere, vt suæ legationis officium laudabiliter exequatur,in hæc verba.

Gregorius, &c.Ioanni Episcopo Sabinen. Apostolicæ Sedis Legato.

Ex eodem Gregor.ix. Ann.2. cõstit.82. fol. 98.pag. 2.

NOn esset necesse te de commissa tibi sollicitudine commendare, quia opera, quæ facis testimonium perhibent veritati: Verum in gratiarũ

Ex Regesto Gregor. ix. asseruato in Bibliotheca Vaticana Anni Secūdi fol. 98. 98. pag. 2. cōstitutione 84.

Gregorius., &c. Ioanni Episcopo Sabinen. Apostolicæ Sedis Legato.

Fiducialiter fidei tuæ committimus vices nostras, qui amore flagrans, & flagrans odore virtutum, perfectus scientia, & prouidentia circunspectus, sic irreprehensibilem te in tuis actibus exhibes, quod nihil de te nisi Deo placitum suspicemur. Vt igitur quod intendis, ad honorem Dei perfectius exequi valeas, præsentium tibi auctoritate concedimus, vt si exercitum in illis partibus contingat fieri contra Mauros, omnibus in succursum venientibus contra eos, indulgentias facias consuetas. Datum Perusij iij. Idibus Februar. Pontificatus nostri Anno secundo.

Scriptas vero fuisse constat initio Anni M.CC. XXIX. nam Gregorium ix. Anno M.CC. XXVII. renuntiatum fuisse Pontificem paulo antea docuimus.

Petrus Antonius Beuter, lib. 2. Chronicor. Hispaniæ, cap. 21. & Hieronymus Surita Regni Aragoniæ Chronistes lib. 3. Annaliam. cap. 3. eum Cardinalem in Hispaniam profectum, asserunt ad dirimendum Matrimonium, quod aliquot annis antea Iacobus Aragoniæ Rex eius nominis primus cum Elionora Alphonsi Regis Castillæ filia, Canonico impedimento obstante, in gradu prohibito contraxerat; legatum vero magno apud Turiasonem (Tarazonam vulgus appellat) Episcoporum numero congregato. iij. Kal. Maij. Anno M. CC. XXIX. Vt idem rursus Surita docet, lib. 1. Indicum, sententia lata, locū fuisse diuortio pronuntiaße. Cui opinioni aliæ eiusdem Gregor. ix. litteræ eidem Cardinali Legato super hac ipsa causa missæ adstipulantur, quæ ita habent:

Ex eodem Regest. Gregor. ix. ann. 2. const. 83. fol. 98.

Gregorius, &c. Ioanni Episcopo Sabinen. Apostolicæ Sedis Legato.

Cvm Generale Concilium inhibitione Copulæ coniugalis in tribus vltimis gradibus, reuocata, eam in alijs voluerit districte seruari, nec sit deferendum homini contra Deum: Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad separandum contractum coniunctionis illicitæ inter Regem, & Reginam Aragonum post idem Concilium subsecutæ, super quo etiam iamdudum bo. me. Honorius Papa prædecessor noster sua scripta direxit, iuxta statuta procedas Concilij supradicti; non obstantibus litteris huiusmodi facto contrarijs à Sede Apostolica impetratis. Verum apud Regem eundem cures efficere, vt Reginæ pro sustentatione sua honestam prouisionem studeat assignare; cum alias graue de ipsorum separatione timeatur scandalum prouenire. Ceterum super alio Articulo ad præsens non

vidimus procedendum. Datum Perusij. viij. idus Februar. Pontificatus nostri anno. 2.

Sunt etiam, qui arbitrentur Cardinalem Sabinum visitandarum, & reformandarum Ecclesiarum gratia in Hispaniam missum; solebant enim superioribus sæculis, post celebrata Concilia Generalia visitatores, & reformatores ad singulas Diœceses destinari, vt eorum industria decreta Conciliorum in eis reciperentur, Cardinalemq. hunc Sabinensem ideo profectum, vt Concilij Generalis Lateranensis sub Innocentio iij. Pontifice Maximo Romæ, Anno M. CC. XV. Celebrati, decreta in Prouincia Tarraconensi recipienda, aut instauranda curaret; adducuntq. ad hoc persuadendum rationes non contemnendas; primam quia Barcinonensem Ecclesiam visitauit, atq. ordinauit, vt constat ex eiusdem Cardinalis Sabinensis constitutione, quæ habetur in libro constitutionum capitularium maioris Ecclesiæ Barcinonensis edita xiii. Kalen. Octobris. Anno. M. CC. XXIX.

Alteram, quia exploratum est, eundem Legatum 4. Kalen. Aprilis eiusdem anni M. CC. XXIX. Prouinciale Concilium in Ciuitate Ilerdensi celebrasse, præsentibus, & sibi adsistentibus Venerabilib. in Christo Patribus S. Tarraconensi Archiepiscopo. B Barcinonensi. G. Gerundensi. G. Vicensi, P. Vrgellensi, B. Ilerdensi, P. Dertusensi, & G. Oscensi Episcopis, necnon & multis Abbatibus, & alijs Ecclesiarum Prælatis Prouinciæ Tarraconensis, in quo multas constitutiones edidit, quæ sub diuersis titulis collocatæ nunc circunferuntur in volumine constitutionum Conciliorum Tarraconensium, atq. imprimis, lib. 1. tit. 2. De constitutionib. constat magna ex parte eò respicere illius Prouincialis Concilij Ilerdensis constitutiones, vt Statuta Sacri Generalis Concilij Lateranensis, quæ magna ex parte non sine graui periculo erant neglecta, diligentia pleniore obseruarentur. & quæ contra ipsum Generale Concilium temerè fuerant inducta, studiosè corrigerentur. Istorum sententiam suadet primum potestas, & iurisdictio legatorum à latere, qui vigore suæ legationis reformare mores, & excessus corrigere possunt. c. quoniam. 18. dist. Petrus Andreas Gammarus lib. 8. De Off. & Potest. Legati de lat. tit. De Potest. Lega. in legib. & Statutis conden.

Rursus extat, rescriptum eiusdem Gregorij. ix. eidem legato directum, qui generaliter videtur iniungere, vt suæ legationis officium laudabiliter exequatur, in hæc verba.

Gregorius, &c. Ioanni Episcopo Sabinen. Apostolicæ Sedis Legato.

Ex eodem Gregor. ix. Ann. 2. cõstit. 82. fol. 98. pag. 2.

NOn esset necesse te de commissa tibi sollicitudine commendare, quia opera, quæ facis testimonium perhibent veritati: Verum in gratiarũ actiones

Ex Regesto Gregor. ix. asseruato in Bibliotheca Vaticana Anni Secundi fol. 98. 98. pag. 2. cõstitutione 84.

Gregorius, &c. Ioanni Episcopo Sabinen. Apostolicæ Sedis Legato.

Fiducialiter fidei tuæ committimus vices nostras, qui amore flagrans, & flagrans odore virtutum, perfectus scientia, & prouidentia circunspectus, sic irreprehensibilem te in tuis actibus exhibes, quod nihil de te nisi Deo placitum suspicemur. Vt igitur quod intendis, ad honorem Dei perfectius exequi valeas, præsentium tibi auctoritate concedimus, vt si exercitum in illis partibus contingat fieri contra Mauros, omnibus in succursum venientibus contra eos, indulgentias facias consuetas. Datum Perusij iij. Idibus Februar. Pontificatus, nostri Anno secundo.

Scriptas vero fuisse constat initio Anni M. CC. XXIX. nam Gregorium ix. Anno M. CC. XXVII. renuntiatum fuisse Pontificem paulo antea docuimus.

Petrus Antonius Beuter, lib. 2. Chronicor. Hispaniæ, cap. 21. & Hieronymus Surita Regni Aragoniæ Chronistes lib. 3. Annaliam. cap. 3. eum Cardinalem in Hispaniam profectum, asserunt ad dirimendum Matrimonium, quod aliquot annis antea Iacobus Aragoniæ Rex eius nominis primus cum Elionora Alphonsi Regis Castillæ filia, Canonico impedimento obstante, in gradu prohibito contraxerat; legatum vero magno apud Turiasonem (Tarazonam vulgus appellat) Episcoporum numero congregato. iij. Kal. Maij. Anno M. CC. XXIX. Vt idem rursus Surita docet, lib. 1. Indicum, sententia lata, locũ fuisse diuortio pronuntiasse. Cui opinioni aliæ eiusdem Gregor. ix. litteræ eidem Cardinali Legato super hac ipsa causa missæ adstipulantur, quæ ita habent:

Ex eodem Regest. Gregor. ix. ann. 2. const. 83. fol. 98.

Gregorius, &c. Ioanni Episcopo Sabinen. Apostolicæ Sedis Legato.

Cum Generale Concilium inhibitione Copulæ coniugalis in tribus vltimis gradibus, reuocata, eam in alijs voluerit districte seruari, nec sit deferendum homini contra Deum: Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad separandum contractum coniunctionis illicitæ inter Regem, & Reginam Aragonum post idem Concilium subsecutæ, super quo etiam iamdudum bo. me. Honorius Papa prædecessor, noster sua scripta direxit, iuxta statuta procedas Concilij supradicti; non obstantibus litteris huiusmodi facto contrarijs à Sede Apostolicâ impetratis. Verum apud Regem eundem cures efficere, vt Reginæ pro sustentatione sua honestam prouisionem studeat assignare; cum alias graue de ipsorum separatione timeatur scandalum prouenire. Ceterum super alio Articulo ad præsens non

vidimus

vidimus procedendum. Datum Perusij. viij. idus Februar. Pontificatus nostri anno. 2.

Sunt etiam, qui arbitrentur Cardinalem Sabinum visitandarum, & reformandarum Ecclesiarum gratia in Hispaniam missum; solebant enim superioribus sæculis, post celebrata Concilia Generalia visitatores, & reformatores ad singulas Diœceses destinari, vt eorum industria decreta Conciliorum in eis reciperentur, Cardinalemq. hunc Sabinensem ideo profectum, vt Concilij Generalis Lateranensis sub Innocentio iij. Pontifice Maximo Romæ, Anno M. CC. XV. Celebrati, decreta in Prouincia Tarraconensi recipienda, aut instauranda curaret; adducuntq. ad hoc persuadendum rationes non contemnendas; primam quia Barcinonensem Ecclesiam visitauit, atq. ordinauit, vt constat ex eiusdem Cardinalis Sabinensis constitutione, quæ habetur in libro constitutionum capitularium maioris Ecclesiæ Barcinonensis edita xiii. Kalen. Octobris. Anno. M. CC. XXIX.

Alteram, quia exploratum est, eundem Legatum 4. Kalen. Aprilis eiusdem anni M. CC. XXIX. Prouinciale Concilium in Ciuitate Ilerdensi celebrasse, præsentibus, & sibi adsistentibus Venerabilib. in Christo Patribus S. Tarraconensi Archiepiscopo. B Barcinonensi, G. Gerundensi, G. Vicensi, P. Vrgellensi, B. Ilerdensi, P. Dertusensi, & G. Oscensi Episcopis, necnon & multis Abbatibus, & alijs Ecclesiarum Prælatis Prouinciæ Tarraconensis, in quo multas constitutiones edidit, quæ sub diuersis titulis collocatæ nunc circunferuntur in volumine constitutionum Conciliorum Tarraconensium, atq. imprimis, lib. 1. tit. 2. De constitutionib. constat magna ex parte eò respicere illius Prouincialis Concilij Ilerdensis constitutiones, vt Statuta Sacri Generalis Concilij Lateranensis, quæ magna ex parte non sine graui periculo erant neglecta, diligentia pleniore obseruarentur. & quæ contra ipsum Generale Concilium temerè fuerant inducta, studiosè corrigerentur. Istorum sententiam suadet primum potestas, & iurisdictio legatorum à latere, qui vigore suæ legationis reformare mores, & excessus corrigere possunt. c. quoniam. 18. dist. Petrus Andreas Gammarus lib. 8. De Off. & Potest. Legati de lat. tit. De Potest. Lega. in legib. & Statutis conden.

Rursus extat, rescriptum eiusdem Gregorij. ix. eidem legato directum, cui generaliter videtur iniungere, vt suæ legationis officium laudabiliter exequatur, in hæc verba.

Gregorius, &c. Ioanni Episcopo Sabinen. Apostolicæ Sedis Legato.

Ex eodem Gregor. ix. Ann. 2. cõstit. 82. fol. 98. pag. 2.

NOn esset necesse te de commissa tibi sollicitudine commendare, quia opera, quæ facis testimonium perhibent veritati: Verum in gratiarũ

uctiones assurgimus creatori, qui animum tuum rationis lumine illustrauit, & sincerum, & pium tibi inspirauit affectum; ita quod tanquam oleum effusum sit in illis partibus nomen tuum, sicut à multis iugiter id testantibus perhibetur; & specialiter dilectus filius Frater Vuillelmus nobis, & fratribus nostris retulit viua voce.

Desiderantes autem, vt pote qui personam tuam speciali dilectionis prærogatiua complectimur, vt de bono in melius, & de virtute proficias in virtutem, Fraternitatem tuam hortamur, per Apostolica scripta mandantes, quatenus solitam adhibens diligentiam, & sollicitudinem consuetam susceptæ pro Christo legationis officium laudabiliter, sicut hactenus, exequaris, ità quòd fructus prouentus, qui de tuo labore speratur, & inde glorificetur Dominus, & eius Ecclesia honoris, & exaltationis suscipiat incrementum. Datam Perusii. 8. Id. Febr. Pont. nostri Anno 2.

Ex prædictis constat, singulos memoratos Doctores varias causas profectionis Legati in Hispaniam recensentes verum dixisse, cùm satis probatum fuerit, eum singularum prædictarum egisse negotia causarum; sed verius esse asserere propter istas omnes simul causas in Hispaniã destinatum: easq. egisse quidem, siue Iure iniunctæ sibi legationis, siue Iure facultatis, & Iurisdictionis specialiter à Sede Apostolica sibi concessæ: Eum verò prudenter admodum fecisse, suæ legationis socium Raymundum aßumendo, qui propter insignem Iuris peritiam, & in causa Matrimoniali consilium, & in prædicanda Cruce contra Saracenos auxilium opportunum, & in reformandis moribus, & collapso Ecclesiarum statu instaurando, Canonicum præsidium poterat exhibere; idque factum non Anno M. CC. XXIII. vt Leander Albertus, & Surius voluisse videntur, sed anno omnino M. CC. XXIX.

Iam illud obiter obseruandum est, in antiquis monumentis, præsentim manuscriptis, hunc Cardinalem non Sabinum, sed Sabinensem Episcopum appellari: est autem Episcopatus Sabinensis vnus de sex Romani Pontificis suffraganeis; Vnde minus appositè Hieronymus Surita lib. 3. Annalium, cap. 3. & Ferdinandus del Castillo, par. 1. Historiæ Generalis S. Dominici, lib. 2. cap. 17. de hoc legato agentes, eum vocant Cardinalem, seu Episcopum S. Sabinæ.

Mos legatorũ ad principes remeantium.

¶ Tam preciosum thesaurum Legatus fidelis Domino Papæ Gregorio præsentare pro magno xenio proponebat.] Mos est virorum Principum, vt cum ex longinquo aliquo itinere reuertuntur, pretiosa quædam secum deferre studeant, quæ vel maioribus Principibus, vel amicis liberaliter donent; quæ tunc chariora esse solent, cùm rariora sunt, & in loco, vbi donantur, non facilè consueuerunt reperiri. Legatus itaque Apostolicus, vir impensè doctus, & religione præclarus, quamuis ab Hispania reuersurus, vasa aurea, vel argentea mira arte elaborata, aut equos,

& id genus alia secum adducere, quæ Romano Pontifici offerre potuisset, illis relictis, vnum Raymundum instar pretiosi thesauri secum adducere curauit, quòd postquàm, Raymundo renuente, obtinere non potuit, Pontifici tamen significauit.

Auctor verò Græco, Romanoq. more locutus legatum indicat desiderasse, tanquàm xenium Pontifici offerre.

Iam Diuinæ Prouidentiæ arcana consilia admirari licet, & profunda humilitate venerari, cùm hac ratione lucernam in Monasterio S. Catharinæ Barcinonensis latitantem reperiendam ab æterno constituerit, vt in maximo, altissimoq. Sedis Apostolicæ candelabro collocata, quæ sua Doctrinæ luce vni vrbi fulgebat, vniuerso vtilius, ac decentius præluceret orbi.

¶ Sed ipso fratre Raymundo venire ad Curiam humiliter renuente, &c.] Ptolomeus de Luca in Histor. Scholastica. cap. 19. Legatum Apostolicum secum adduxisse Raymundum ad Romanam Curiam asseruit, ità enim scribit: Qui [scilicet legatus] Fratrem Raymundum in suam assumens societatem, & probitatem considerans secum ad Curiam adduxerat; & de ipso Summo Pontifici in suo reditu multa virtuosa retulerat. hac ille. Raymund° non venit Rom am cũ legato, sed postea vocatus à Papa.

Verius tamen est modestiæ, ac humilitati tanti viri congruentius, Raymundum inuitatum à Legato Apostolico venire ad Curiam renuisse; accitum verò, & iussum à Romano Pontifice id onus subijsse, vt rectè annotauit Ferdinandus del Castillo, par. 1. Historiæ General. S. Dominici, lib. 2. cap. 17. versic. y acabada esta.

De vocatione ipsius ad Curiam Romanam. Cap. VII.

CONsiderans Dominus Papa Gregorius, quàm fructuosa, & iocunda eius futura esset præsentia, cuius absentis fama tantis virtutum aromatibus redolebat, cum suis litteris sollicite accersiuit. Raymund° vocatus accedit ad Romanam curiam.

Quo Anno accitus fuerit Raymundus, & quo tempore Romam vocatus venerit, ex Legati Sabinensis itinere, & rebus gestis breuiter, & verè licebit colligere.

Legatus Anno M. CC. XXIX. nempe 4. Kalen. Aprilis, in fine Mensis Martij Legat° Apostolicus in

fine Anni 1229. reuersus in Italiam.

sis Martij, Ilerdæ Concilium Prouinciale celebrauit; vt apparet ex annotationibus superioris capitis, vers. Alteram, quia exploratum est.

Idem in fine Mensis Aprilis, videlicet, iij. Calendas Maij, eiusdem Anni apud Turiasonem, sententiam super diuortio Regum tulit, vt constat ex Surita, lib. 1. Indicum, rerum ab Aragoniæ regibus gestarum, Anno M. CC. XXIX. vers. vobis Domine legate. *In fine, & ex notis superioris capitis. vers.* Petrus Antonius Beuter.

Raymund⁹ anno 1230. venit Romam.

Rursus xiij. Calendas octob. Ecclesiam Barcinonensem ordinauit, vt constat ex constitutione eiusdem legati, de qua paulo antea fecimus mentionem, vers. Sunt etiam qui arbitrentur. *quo tempore videbatur iam expeditus à negotijs reditum in Italiam parasse, & propterea verisimile esse, non nisi in fine Anni M. CC. XXIX. Romam reuersum. Quare vix credere possumus in tanta temporis breuitate Raymundum curiam venire potuisse. Sed verisimilius est illum omnino accessisse initio Anni M. CC. XXX.*

De ipsius obedientia, & benigna receptione. Cap. VIII.

Raymund⁹ Benigne à Pōtifice susceptus.

QVi tamquam filius obedientiæ, Domini Papæ mandatis, quibus resistere fas non erat, obtemperat, venire finaliter acquieuit. Dominus autem Papa Gregorius ipsum benigne suscipiens, considerata eius conuersatione sancta, scientia probata, & prouidentia circunspecta, ipsum Capellanum, & pænitentiarium instituit, & in Confessorem suum specialem inter alios praelegit. Qui Domino Papæ frequenter iniungebat loco pænitentiæ, vt pauperes habentes in curia diuersa negotia, qui propter indigentiam, quandoq. ab aliquibus repelluntur, misericorditer expediret, & in suis iustis petitionibus exaudiret. Qui huiusmodi pænitentiam deuote suscipiens, eidem Fratri Raymundo fiducialiter committebat, vt eos iuxta

Pontifex Raymundū constituit suum Capellanum, pænitentiarium, & cōfessorē specialem.

Raymund⁹ loco pœnitētiæ Papæ iniungebat, vt pauperes expediret.

suam

ſuam prouidentiam circunſpectam ſine moræ diſpendio expediret. Propter quod Dominus Papa Gregorius, quandocunque ſibi ſcribebat abſenti, eum patrem pauperum in ſuis ſalutationibus nominabat.

¶ Ipſum Capellanum, & Pænitentiarium inſtituit.] *Idem aſſirmant Leander Albertus, lib. 1. de viris Illuſtrib. Ordinis Prædicator. in tertio magiſtro illius Ordinis Generali, & Ferdinandus del Caſtillo, parte 1. Hiſtoriæ Generalis S. Dominici, lib. 2. cap. 17. & Thomas de Trugillo, tomo 2. Theſauri Concionatorum in feſto Beati Raymundi Confeſſoris, die 6. Ianuarij. Sed nullum Illuſtrius, aut certius huius rei haberi poteſt teſtimonium, quamquod ipſemet perhibuit Gregorius, ix. in proœmio Decretalium vbi Raymundum Capellanum, & Pænitentiarium ſuum appellauit.*

Sed occaſione horum verborum inquirendum eſt hic paulo diligentius, quid ſibi velint hæc, Raymundum fuiſſe inſtitutum Papæ Capellanum, & Pœnitentiarium. quotquot enim Raymundi vitam ſcripſerunt, ſignificare videntur, duas præcipuas tunc Raymundo fuiſſe collatas dignitates, ſeu officia, quæ tunc primaria in Romana Curia habebantur.

Quod attinet ad primum de Capellano, id Rotæ Auditorem referre non ineptè poteſt affirmari: res enim ſuperioribus ſæculis ità ſe habebat. Rebus Romanæ Eccleſiæ auctis, ex vniuerſo ferè orbe ad Romanū Pontificē gentes confluebant, controuerſiaq. tùm de beneficijs Eccleſiaſticis, tùm de rebus alijs frequenter ad Romanam Curiam, vel Iuris diſpoſitione, vel natura causarum, vel principum remiſsione, vel litigantium conſenſu deferebantur. erat enim mira maiorum noſtrorum erga Sedem Apoſtolicam deuotio, ac pietas tanta, vt à Romano Pontifice profecta reſponſa ab ipſo Petro reddita arbitrarentur. Has cauſas Pontifex ſeorſum à Senatu per ſeipſum in Capella ſua audire ſolebat; cæterùm, quoniam pro illarum expeditione conſulere ſæpe oportebat viros doctos, & iuris peritiſsimos; ideo ſuo arbitrio eos eligebat, quibus cauſarum committeret examen, quos à Capella vbi cauſæ audiebantur, & cognoſcebantur, Capellanos vocare ſolebat, vnde, & hodie quoq. Rotæ Auditores Romani Pontificis Capellani ſumus, & vocamur, & in Capella Pontificis inſeruimus. Raymund. Papæ Capellanus id eſt, Rotæ Audit. creatus.

Hi præſtanti prudentia viri, & iuris antiſtites pro controuerſijs dirimēdis conſtituti antè Sixti iv. tempora incerto numero erant, quandoq. enim num. 14. & 20. excedebant; Sixtus tamen iv. vt Gomezius, alijq. teſtantur circa annum. 1472. ad duodecimum reſtrinxit, qui numerus ex eo tempore, vſque ad præſentem diem in Romana curia inuiolabiliter eſt retentus, & cum Auditores creantur, & in locum, vel promotorum ad Epiſcopatum

scopatum, vel Cardinalatum substituuntur, Sacri Palatij Auditores, & Pontificis Capellani constitui dicuntur. Ludouicus Gomezius, in proœmio regularum Cancellariæ, quæstione prima, Octauianus Vestrius. lib. 2. introductionis Iudicior. Romanæ aulæ, capit. 17. & inibi Nicolaus Antonius Grauatius.

Nec refert Monachum fuisse Raymundum, & propterea isto Auditorum Rotæ Officio, iure sibi obsistente, fungi minime potuisse. cap. monachi. 16 quæst. 1. quoniam cùm esset Iuris peritissimus, & causis decidendis secundum Iuris Sanctiones valde idoneus, & accommodatus, facilè, iubente Pontifice id munus potuit exercere, cùm etiam ex solius Abbatis Imperio id fieri potuisset. dicto cap. Monachi, vbi id adnotauit gloss. & Doctores. 16. quæst. 1. ac Rota etiam profiteatur simplicem Moncabum posse esse Episcopi Officialem, & sententias ab eo latas valere. Rota decis. 3. de offic. Vicar. in antiq. incipit. Nota quod Monachus. Quod Latius prosequitur Ioannes Segura, in directorio Iudicum Ecclesiasticorum. par. 1. cap. 12.

pænitentiariæ officiũ magnum, & antiquissimũ in Ecclesia Dei.

Pænitentiariorum Officium vetustissimum est in Ecclesia Romana, ac simul planè cum ipsa Ecclesia exortum; cùm enim Iesus Christus Dominus noster redempturus venisset peccatores, ac Petro interroganti respondisset, nedum peccantibus Fratribus septies, sed septuagies etiam septies, id est quotiescunq. peccassent, & pænitere voluissent, esse parcendum, protinus ab initio nascentis Ecclesiæ pænitentiæ ritus fuit institutus: Sacerdotes electi, & forma quædam non modò peccata Sacerdoti secretò confitendi, sed etiam pænitentiæ præscriptæ pro qualitate, & quantitate peccatorum, vt docent Origenes Homelia. 2. & 15. in leuiticum. Sozomenus, lib. 7. Histor. Ecclesiasticæ, cap. 16. Socrates, lib. 5. cap. 19. Nicephorus. lib. 12. cap. 28. Romana verò Ecclesia cæterarum toto orbe Christiano diffusarum caput, & Magistra, ad quam ex omnibus Christiani orbis prouincijs recepturi pænitentiam, & peccatorum remissionem confluebant peccatores, diligenter semper curauit, vt adessent viri delecti, qui pænitentium audirent peccata, & salutares iniungerent pænitentias, considerata semper qualitate, & grauitate peccatorum. Atque hinc videmus tot exortos Canones pænitentiales, certam, & præfinitam pænitentiam vnicuiq. peccato præscribentes; quos maiori ex parte retulit. Burchardus toto, lib. 19. Decretorum, & Marianus Victorius in libello. De Antiquis Pænitentijs, vbi diligenter etiam recensuit Canones Conciliorum, qui de pænitentijs diuersis temporibus, & in diuersis prouincijs lati sunt, ac superioribus etiam annis Antonius Augustinus Archiepiscopus Tarraconensis, qui fuerat insignis Rotæ Auditor Canones Pænitentiales cum notis edidit, ex quibus apparet hunc semper ritum in Ecclesia Romana inuiolabiliter obseruatum, vt essent viri graues designati, qui pænitentijs iniungendis præessent.

Tum

Tum verò postea institutum Pænitentiariorum Collegium, & summus pænitentiarius institutus, ac publica lege Ecclesiæ sancitum, vt mortuo etiã Pontifice officium pænitentiariorum daret, Clement. ne Romani. §. eo. t. sunt prouiso. De elect. estq. hodie Romæ insigne Pænitentiariorum Collegium apud S. Petrum. Item in Ecclesiis Patriarchalibus S. Ioannis Lateranensis, & S. Mariæ Maioris, quibus omnibus præest Cardinalis, quem maiorem Pænitentiarium vocant, vt Gomezius in proœmio Regularum Cancellariæ quæst. 1. & Octauianus Vestrius, lib. 1. introductionis Iudiciorum Romanæ aulæ cap. 2. atque ibidem Grauatius adnotarunt.

Pænitentiariorum collegium, & summus pænitentiari' in eo constitutus.

Et quamquam obseruatione constanti nunc receptum sit maiorem Pænitentiarium Cardinalem semper esse solere, antiquioribus tamen sæculis alij insignes viri, quamuis Cardinales non essent, summi Pænitentiarij, qui cæteris præessent, constituebantur. Cùm verò hic auctor ait, Raymundum Pænitentiarium fuisse institutum, intelligi potest, vel summum Pænitentiarium fuisse delectum, vel in Collegium Pænitentiariorum fuisse cooptatum. & quamuis in hac re nihil certa fide constitutum inuenerim, verisimilius existimo summum Pænitentiarium fuisse creatum, quod mihi persuadet tum insignis viri huius peritia, & probitas, tum clauis, quam manu gestat, vt indicat eius effigies in vetusto marmore sculpta.

Raymund' pænitẽtiarius creat'.

Illud autem commentum, quod Sozomenus, lib. 7. cap. 16. & Socrates lib. 5. cap. 19. Histor. Ecclesiasticæ retulerunt, assérentes quodam tempore visum fuisse Ecclesiæ, vt presbyteri, qui in singulis Ecclesiis Pænitentiæ præerant, tollerentur, egregiè confutarunt Latinus Latinius Viterbiensis, & Ioannes Hasselius peculiari tractatu, contra eam opinionem super facto Nectarij edito, quod obiter adnotare placuit, ne quis Sozomeni, vel Socratis auctoritate decipiatur.

Qui Domino Papæ frequenter iniungebat, &c.] *Romanum Pontificem posse sibi eligere, quem voluerit Confessorem, cui in foro Pænitentiali subiciatur, explorati Iuris est, & docet præ cæteris Hostiensis in Sũma tit. de Pænit. & Remis. §. cui. Papa. Gregorium autem ix. Raymundũ assumpsisse Confessorem specialem, testatur hic auctor, in quo illud mihi videtur obseruatione dignissimum, quod de pænitentia Papæ iniungenda obseruabat, nempe, vt expediret pauperes, quod maximè pertinet ad Summi Pontificis officium, ex quo illud generale documentum omnibus Confessarijs Principum imprimis virorum, viua semper memoria retinendum colligitur, vt pænitentibus suis eas pænitentias iniungant, quibus officia sua exerceant, & profiteantur: hoc enim malum solet vehementer Rempublicam perturbare, quod Principes, & Magistratus relictis proprijs officijs, quibus si diligenter incumberent, status Reipublicæ melius dirigeretur, ad ea solent animum conuertere, quæ ad eos minimè spectant. Summis ergo Pontificibus*

Quales pænitentias Raymund' papæ iniungeret.

Principum virorũ confessor. quales eis pænitentias iniũgere debeant.

vt Pontificia, & Regibus, vt Regia, & ceteris similiter, vt sua tractent officia, iniungendum est; ne confessarij cum ipsis, quibus sunt à secretis consciētiæ, in hoc articulo reperti negligentes, grauem Dei incurrant offensam.

¶ Eum patrem pauperum in suis salutationibus nominabat.] *Hinc occasione sumpta Leander Albertus lib. 1. de viris Illustribus Ordinis Prædicator. Et eum secutus Laurentius Surius in huius viri vita scripserunt, Raymundum factum etiam pauperum causarum expeditorem. Quod ita accipiendum censemus, vt hoc loco auctor explicauit, non quod fuerit constitutus pauperum aduocatus, quasi eorum causas ratione peculiaris officij (cui in Romana curia aduocatus pauperum præficitur) in iudicijs tueretur.*

De compilatione Decretalium.

Cap. IX.

Gregorius, ix. Raymundo iniungit, vt compilationem faciat Decretalium.

DEliberatione habita diligēti, quo modo prolixitas, & inordinatio Decretaliū reduceretur ad rectum ordinē & compendium vtile toti mundo, tunc Dominus Papa Gregorius præfato Fratri Raymundo huiusmodi compilationem commisit principaliter faciendā: qui tamquā filius obedientiæ confidens de misericordia Iesu Christi fideliter, & humiliter, humerum suum tanto submisit oneri, & labori. Mira res; suscipiebat humiliter obedientiæ onera, tamquā leue iugum Domini, & suaue: sed dignitatum fugiebat honores, exemplo Domini, qui voluntarius crucem portauit impositam, sed fugit, cum quæreretur, ad regnum.

¶ De compilatione Decretalium.] *Omnes qui vel Raymundi, vel Gregorij ix. vitam conscripserunt, aut alio consilio de collectionibus Decretalium alibi egerunt, consentiunt Gregorium ix. Beati huius Raymundi opera id opus perfecisse; cuius rei nulla certior probatio afferri potest, quā*

quæ desumitur ex eiusdem Gregorij testimonio in proœmio Decretalium, vbi ait se per Fratrem Raymundum capellanum, & pænitentiarium suum Decretales Epistolas in vnum volumen prouidisse redigendas.

Vt autem amplius hic locus de compilatione Decretalium Historiæ lumine illustretur, in gratiam eorum, qui notitia antiquitatis destituuntur, dicendum breuiter censui de antiquis Decretalium antiquarũ collectionibus, vt quantum hæc Gregoriana, labore & industria Raymundi concinnata, cæteris præstet, lector intelligat.

Multas ergo similes Decretalium Pontificiarum collectiones factas cognoscimus; & vt à Gratiani tempore exordiamur, qui canonum collectionem Anno Domini M. C. inchoauit, & M. C. L. absoluit, cùm assidua Sedis Apostolicæ Iurisdictio, & audientia nouas quotidie ederet constitutiones, nouasq. Concilia; quod maximè sub Alexandro. 3. accidit ad Annum M. C. LXX. & multa à Gratiano viderentur ex antiquis Concilijs, & Decretalibus omissa, primus post tēpora Gratiani Bernardus Circa Præpositus Papiensis mox Fauentinus Episcopus nouas illas Decretales in vnũ corpus redegit, & in libros, titulosq. distinxit sicut legitur modo Gregorij. ix. & Bonifacij. 8. compilatio, de qua mox dicturi sumus: addiditq. & inseruit multos antiquos Canones, & Epistolas, vt Gregorij primi, & aliorum, vt apparet ex eiusdem Præpositi præfatione, cuius initium est. Iustè iudicate filij hominum. Hanc compilationem primam vocant Henricus Cardinalis Hostiensis, Ioannes And. & Egidius Bellamera; auctor verò Breuiarium extrauagantium appellauit.

Ante compilationem Gregorianam, multas extitisse Decretaliũ Pontificiarum compilationes.

Prima compilatio.

In hac Compilatione Decretales Alexandri. 3. & Lucij. 3. postremum locum obtinent, & vsq. ad Cælestinum iij. perueniunt, cuius tamen Cælestini nullum in ea decretum extat.

Hæc compilatio à priuato homine facta fuit, sine vllius Pontificis decreto, aut mandato: adeò tamen placuisse videtur, vt grauissimi viri Vincentius, Alanus Tancredus, Laurentius, & Rogerius in eam glossemata scripserint, & cæteri deinde cōpilatores eius ordinē, & distinctionē secuti fuerint.

Paucis post annis interpositis Gilbertus atq. Alanus secundam compilationem illa prima paulò copiosiorem, priuata etiam auctoritate edere tentauerunt; cæterum nomen eis præripuit Ioannes quidam Gallensis, siue Vallensis, qui priuata quoq. auctoritate eam perfecit. Hic enim Volterris natus post xij. Annos à prima collectione, eorundem Pontificum, eodem ordine rescripta collegit, addens illa, quæ Cælestinus iij. condiderat, quibus mox addidit glossemata quædam. Eiusdem quoque interpretes fuerunt Hugo Ferrariensis Episcopus ab Innoc. iij. sæpè relatus, & Bernardus Maior Compostellanus.

Secunda compilatio.

Hæ duæ collectiones pertingunt vsq. ad tempora Innocentij iij. nempe ad Annos Domini. M. C. XCVIII.

Tertia compilatio. *Tertiam deinde collectionem, priuata item auctoritate cœpit Bernardus Compostellanus ex Regestis Innocentij iij. eaq. aliquando Romana compilatio dicta est, quòd is eam Romæ fecisset; sed offensi Romani, quod vsu Iudiciorum minus recepta referret, ab eodem Innocentio iij. impetrarunt, vt Pontificia auctoritate aliqua collectio ederetur. Annuit petitioni Pontifex, & ei rei Petrus Beneuentanus Subdiaconus, & Notarius Innocentij. iij. præfectus est Anno 12. eiusdem Innocentij. Atque hoc quidem primum tempore, publica auctoritate facta est collectio Iuris Pontificij: nam superiores omnes, siue decretorum, siue Decretalium collectores priuata auctoritate scripserunt, & propterea rescripta ab eis relata negari poterant, nisi ab Scriniarijs Romanæ Ecclesiæ comprobarentur.*

Huius collectionis interpres (vt ait Ioãnes And. Paulus Hungarus fuit.

Sed ego in Bibliotheca Vaticana vetustum Codicem antiquarum compilationum vidi, quem R. P. D. Caligarius ab Anagnia Romam detulerat, in quo istarum collectionum interpretes apparent fuisse Laurentius, Vincẽtius, Alanus, Rogerius, Iacobus, Tancredus, sed copiosissimè omniũ Tancredus eas est interpretatus. Is Bononiẽsis Archidiaconus fuit, floruitq. sub Honorio iij. ad annos Dñi M.CC.XXV. apud quẽ maximo in bonore fuit.

Hanc collectionem Innocentius. 3. vniuersis Magistris, & Scholaribus Bononiæ commorantibus cum hac præfatiuncula direxit: Deuotioni vestræ insinuatione præsentium innotescat, Decretales Epistolas à dilecto filio P. Magistro Subdiacono, & Notario nostro compilatas, fideliter, & sub competentibus titulis collocatas; in nostris vsq. ad xij. annum contineri Registris: quas ad cautelam vobis sub Bulla nostra duximus transmittendas, vt eisdem absq. quolibet dubitationis scrupulo vti possitis, cùm opus fuerit tàm in Iudicijs, quam in Scholis.

Quarta cõpilatio. *Quartam compilationem idem Innocentius iij. edidit: cùm enim tertia illa, de qua paulò ante diximus, eas tantùm constitutiones complecteretur, quas Innocentius vsq. ad xij. sui Pontificatus Annum ediderat, sicut ipsemet in principio eiusdem compilationis præfatur; sederit autem in Pontificatu annos 18. & menses 7. nempè vsq. ad annum Domini 1216. & posterioribus sui Pontificatus temporibus diuersas ad diuersos Epistolas conscripserit omni Iuris doctrina refertas (erat enim vir vndequaq. doctissimus) conuocarit etiam postremo sui Pontificatus tempore Lateranense Concilium, quod Anno Domini. M.CC.XV. Romæ celebrauit, in quo idem Pontifex Capita LXXI. omnem disciplinam, & Ecclesiasticam gubernationem continentia ediderit: ideo aliud volumen posterioribus eius constitutionibus, & Lateranensis Concilij Canonibus fuit deputatum.*

Hæc fuit quarta compilatio.

Eam Tancredus ordinasse videtur.

Eius

Eius interpres Vincentius fuisse dicitur: Alij Ioannem, & Iacobum, & Robertum, siue Rogerium fuisse putant.

Post Innocentium. 3. Honorio iij. a d ann. M.CC.XVI. ad Sedem Pontificiam euecto, quinta compilatio de eiusdem Honorij constitutionibus coagmentata, eius iussu & mandato confecta est. Quinta cōpilatio.

Tancredus Bononiensis Archidiaconus eam collegisse videtur, sicut apparet ex epistola eiusdem Honorij ad Tancredum hunc in ipsius quintæ compilationis principio collocatam.

Gregorius Nonus Honorij tertij proximus successor prædictas compilationes, seu volumina, cum singula item volumina quinq. libris distincta essent in vnum volumen, idq. quinq. libris distinctum, redigi iussit; & hæc fuit sexta compilatio, quæ breuiter omnia, quæ intra. 80. plus minus annos à varijs Pontificibus Romanis decreta sunt, complectitur ab Alexandro iij. in quo desinit Gratianus, ad Gregorium ix. Sexta compilatio Gregoriana.

Adiectæ sunt huic compilationi multæ constitutiones Gregorij ix. vt apparet ex ipsa constitutionum serie, & titulis, seu inscriptionibus.

Quo anno cæptum sit opus, incertum cæterum. cùm supra cap. 7. ostenderimus Raymundum non nisi initio anni M. CC. XXX. Romam peruenisse, non potuit id opus ante illum annum inchoari. siue igitur hoc anno, M. CC. XXX. siue anno mox sequenti. M. CC. XXXI. inchoatum sit, illud certum est, non antè annum M. CC. XXXIV. fuiße perfectum, nam tres annos in ea compilatione facienda fuisse consumptos, fama est. Hæc cōpilatio ichoata ann. 1230 aut 1231.

Collectione itaque summo Raymundi labore, assiduisq. peracta vigilijs, atq. iterum, iterumq. diligenter considerata, lecta, atque relecta, & cum Gregorio Pontifice, sicut fieri oportebat, sæpè collata (futurum enim erat, vt ex hac sacrorum Canonum collectione Pontificia auctoritate confecta, vniuersus Christianæ Reipublicæ status in causis præsertim Ecclesiasticis dirigendis constitueretur, atq. stabiliretur) de illa publicanda, mox est actū.

Antonius Contius in margine proœmij Decretaliū adnotauit, Gregorij Epistolam, quam scripsit Doctoribus, & Scholaribus Bononiæ commorantibus, quibus direxit Decretaliū opus, datā fuisse anno Christi M.CC.XXX. Cæterùm in ea re fuiße hallucinatum ostendit ipsamet Epistola, quam habuimus ex Regesto Gregorij ix. quod est in Bibliotheca Vaticana, ex quo apparet datam fuisse Pontificatus sui anno 8. idest, anno M. CC. XXXV. nam Gregorius ix. anno M. CC. XXVII. Pontifex est renuntiatus: errori causam præbuit omissio temporis, quo scripta fuit illa Epistola, tempus enim in Epistola Decretalibus præfixa desideratur; eam verò integram sicut habetur in Regesto Gregorij ix. hic recensere placuit. Et publicata ann. 1230

Gregorius Episcopus seruum seruorum Dei, dilectis filijs Doctoribus, & Scholaribus vniuersis Parisijs commorantibus.

Ex Regesto Gregor. ix. anno viij. const. 218. fol. 206.

Rex pacificus pia miseratione disposuit sibi subditos fore pudicos, pacificos, & modestos, sed effrenata cupiditas sui prodiga, pacis æmulæ, mater litium, & materia Iurgiorum tot quotidie noua litigia generat, vt nisi Iustitia conatus eius sua virtute reprimeret, & quæstiones ipsius implicitas explicaret, ius humani fœderis litigatorum abusus extingueret, & dato libello repudij, concordia extra mundi terminos exularet; ideoq. lex proditur, vt appetitus noxius sub iuris regula limitetur, per quam genus humanum, vt honeste viuat, alterum non lædat, ius suum cuiq. tribuat, informatur. Sanè diuersas constitutiones, & Decretales Epistolas prædecessorum nostrorum in diuersa dispersas volumina, quarum aliquæ propter nimiam similitudinem, & quædam propter contrarietatem, nonnullæ etiam propter sui prolixitatem, confusionem inducere videbantur, aliquæ verò vagabantur extrà volumina prædicta, quæ tanquàm incertæ frequenter in Iudicijs vacillabant, ad communem, & maximè studentium vtilitatem per Dilectum filium Fratrē RAYMVNDVM, Capellanum, & pænitentiarium nostrum, in vnum volumen, resecatis superfluis, prouidimus redigendas; adijcientes Constitutiones nostras, & Decretales epistolas, per quas nonnulla, quæ in prioribus erant dubia, declarantur. Volentes igitur, vt hac tantùm compilatione vniuersi vtantur in Iudicijs, & in scholis, districtius prohibemus, ne quis præsumat aliam facere absq. auctoritate Sedis Apostolicæ speciali. Datum Spoleti. Nonis Septembris. Pontif. nostri Anno octauo.

In eundem modum; scriptum est pluribus alijs.

Ex supradicta inscriptione, seu salutatione apparet Parisiensi tunc Academiæ tanquàm primariæ, directam fuisse Gregorianam istam compilationē, quia sola hæc epistola in Regesto scripta apparet: Bononiensi verò, ac cæteri eodem modo fuiße rescriptum, vt in eodem Regesto in fine eiusdem Epistolæ indicatur.

Atq. ita tandem datum est Christianæ Reipublicæ nobile, fæcundum, & egregium opus, quo nullum vnquam illustrius in eo genere, limatius, aut vtiliùs prodiuit.

Iam quorum Pontificum, & Conciliorum decreta in hac compilatione recenseantur, non est huius inspectionis ostendere; quemadmodum nec nostrum est hic de cæteris compilationibus postea subsecutis videlicet Bonifaciana, & Clementina aliquid disserere.

Quo modo humiliter Archiepiscopatum renuit. Cap. X.

VAcante namq. Tarraconensi Ecclesia Dominus Papa Gregorius de persona ipsius prouidit in Archiepiscopũ supradictæ Ecclesiæ, vt susciperet, in virtute obedientiæ iniungendo: Sed in hoc nullo modo voluit consentire, quin potius, vt ipse Fratribus referebat, adeo fuerunt eius viscera conturbata, quod arreptus à febre continuo per triduum mente, & corpore fuit in maximo cruciatu; donec Domiuus Papa post multam ipsius, & quorundam Cardinalium instantiam importunam, absoluendo eum, ab huiusmodi officio, & obedientia liberauit: hoc ei tamen iniungens, quod ipse qui in partibus illis de personis babebat notitiam specialem, personam idoneam nominaret, de qua posset eidem Ecclesiæ vtiliter prouideri. Tunc Frater Raymundus nominauit Dominum. G. de Montegrino, de quo valde vtiliter est prouisum Ecclesiæ supradictæ: nam cum esset nobilis genere, & strenuus opere, insulam quandam Saracenorum nomine Euizã, cum potenti nauigio, & strenua multitudine armatorũ capiens, eidẽ Ecclesiæ acquisiuit,

Archiepiscopatũ Tarraconensẽ oblãtum humiliter recusat: & Papa eius desiderio indulget.

Raymũdus Guilielmũ de Mongriu pponit põtificiTarraconensem Archiepiscopum eligendum.

Item castrum Bonum in finibus Cataloniæ situm (quod nidus hæreticorum tunc tẽporis dicebatur, vbi quendam Fratrem Prædicatorem Inquisitorem Hæreticorum, veneno Hȩretici occiderunt) capiẽs, quamuis intus esset Hæreticorum, & credentiũ eis

maxima

al. eduxit. maxima multitudo, deduxit eos viriliter, & potenter: quorum quidam ad perpetuum carcerem, quidam vero sunt propter hæresis perfidiam, ad incendium condemnati.

Raymund' non Baccharensem, aut Barcinonensem Ecclesiam, sed Tarraconẽsem renuit.

¶ Vacante Ecclesia Tarraconensi, &c.] *in eo libello, quem de vita Beati Raymundi, Anno M. CCC. LVII. Scribi curauit in curia Romana Cardinalis Rosell, ita scriptum extat:* Raymundus de Peniafort vir eximiæ sanctitatis, et Spiritu sapientiæ plenus, renuit Archiepiscopatum Braccharensem, et Tarraconensem, etc. *Quod de Tarraconensi scribitur, verum plane est, sed quod asseritur de Braccharensi nescio, quanta fide nitatur; licet in vetusto codice acta capitulorum generalium ordinis Prædicatorum continente, idem sit notatum.*

Leander Albertus, lib. 1. de Viris Illustrib. Ordinis Prædicator. In hoc Raymundo tertio magistro illius ordinis Generali, & Leandrum secuti Laurentius Surius, & Thomas de Trugillo, tomo 2. Thesauri concionator. in festo beati Raymundi, & quidam alij; præsulem Barcinonensem à Gregorio ix. Raymundum creatum, eumq. humiliter illam dignitatem missam fecisse affirmant. Nos tum propter vetusti libri vitæ auctoritatẽ, tum propter Historiam hoc loco indicatam, quam mox Paulo clarius explicabimus, Tarraconensem Ecclesiam vltro sibi semel oblatam, vltro renuisse, verius esse putamus.

¶ Tunc Frater Raymundus nominauit dominum. G. de Montegrino, etc.]

Guilielmus de Mõgriu præsul Tarraconensis electus yuiçam insulã eripit de manibus Saracenorum Ann. 1235.

Petrus Antonius Beuter, lib. 2. Chronicorum Hispaniæ, cap. 21. in fine, & Hieronymus Surita, lib. 3. Annalium, cap. 20. & Bernardinus Gomezius Miedes, lib. 10. cap. 5. De Rebus gestis, Iacobi primi Aragonũ Regis, agentes de expugnatione insulæ de yuiça, *ità scribunt. Guilielmus de Mongriù Sacrista Ecclesiæ Gerundensis, qui fuerat electus Archiepiscopus Tarraconensis, petiturus consensum, Regem adiuit, à quo amplius tunc obtinuit, vt sibi, suis, & familiæ suæ sumptibus, donec Apostolicæ litteræ suæ prouisionis Romæ expediebantur, Insulam* yuiçam *expugnare, & è manibus Saracenorũ ereptam, Christo restituere permitteretur. Rege ergo annuẽte Guilielmus copiosa, ac bene munita parata classe, multoq. optimè armato milite completa, vnà cum Hunnio Sancio, & Petro Portugalliæ Infante, qui paucis antè diebus ad Regiam venerat, pium bellũ aggressus, triumpho de hoste reportato, insulã obtinuit, ex cuius decimis Sacristaniam primariam Ecclesiæ Tarraconensis dignitatem, idem Guilielmus ditauit, atq. dotauit. Insula vniuersa in spiritualibus*

tualibus Archiepiscopo Tarraconensi parente, in temporalibus verò Coronæ Regni Aragoniæ remanente subiecta.

Hæc cùm attestante Surita præcitato loco anno 1235. *gesta fuerint, optimè consentiunt his, quæ hoc loco obscurè ab auctore vitæ Raymundi indicantur. nam cùm vel anno M.CC.XXXIV. vel initio subsequentis. M.CC.XXXV. Raymundo fuerit oblatus Archiepiscopatus Tarraconẽsis, & ille laudato Guilielmo de Mongriù conferendum curauerit, tanta videtur adesse consensio, vt omnis obscuritatis nebula facilè depellatur.*

Iam obiter aduertendum est, hanc Insulam, quæ nunc vulgo yuiça *dicitur, à Plinio, lib. 3. cap. 5. aliisq. vetustis scriptoribus, Ebusum appellari, esseq. vnam de Pityusis, vt optime obseruauit Ortelius in Thesauro Geographico, & Bernardinus Gomezius Miedes, lib. 10. cap. 5. de Rebus gestis Iacobi. 1. Aragoniæ Regis.* Yuiça olim Ebusus.

¶ Item castrum bonum in finibus Cataloniæ situm, etc.] *hoc oppidum in Diœcesi Vrgellensi in finibus Cataloniæ versus Galliam situm dicitur, estq. hodie oppidulum satis exiguum. extant vero adhuc prope montes non contemnendæ arcis vestigia; vt facile credendum sit Hæreticos ibi nidum, & quasi asylum posuisse, vt inde magistros in vniuersam Prouinciã ad Hæretica dogmata prædicãda destinare, & fugientes tuto recipere posset.* Valdenses Hæreticos expulit Guilielmus de Mongriu de Prouincia Cataloniæ.

Quorum autem Hæreticorum id Castrum esset tunc receptaculum, non expressit auctor, cæterum ex Historiarum relatione constat, eos fuisse Valdenses, siue pauperes de Lugduno, quos alio etiam nomine vocari Inzabbatatos memoriæ prodidit Eymericus in Directorio inquisitor. par. 2. quæst. 14. vbi de his nos plura scripsimus, inserentes imprimis nobile, pium, ac Christiano Principe dignissimum rescriptum Alphonsi Regis Aragonum, quo sanciuit, vt valdenses, & cæteri cuiuslibet sectæ hæretici sub grauibus pœnis à regnis suis exularent.


Qui plura de his nosse desiderat, consulat Eymericum, & nos, præcitato loco. Sanctum Antoninum in summa parte 4. tit. 11. cap. 7. §. 2. & eundem parte 3. Historiali. tit. 21. cap. 5. §. 1. Robertum Gaguinum, lib. 6. cap. 3. Annalium Galliæ. Bernardum Lutzemburgum in Catalogo Hæreticor. verbo, pauperes de Lugduno. *Prateolum, lib. 14. cap. 13. de vitis, & sectis Hæreticorum. Aeneam Syluium de ortu, & historia Bohemorum, cap. 35. vbi refert Hussitas, Valdensium sectam, atque insaniam fuisse amplexos.*

Hos ergo Hæreticos vigilantissimus, & fortissimus præsul è Cataloniæ finibus profligauit, & extirpauit, vt non fuerit propterea pœnitendum Raymundi consilium; eum virum Pontifici de præficiendo Archiepiscopo optimo Ecclesiæ Tarraconensi sollicito, proponentis.

De re-

De recessu eius à Romana Curia. Cap. X I.

Raymund' quinquẽnio in Romana curia exacto, ob ægritudinẽ inde recedẽs Barcinonẽ reuertitur.



Eractis autem in Curia quinque annis præfatus Frater Raymundus propter laboris immensitatem, & corporis debilitatem, & præcipue propter vigiliarum excessum, tam in studio, quã in oratione, quam in obsequio domini Papæ, incidit in ægritudinem maximam, & languorem; ita quod medici de curia domini Papæ dixerunt, quod nullatenus secundum cursum naturæ, poterat euadere mortis periculum, nisi ad natiuum aerem celeriter remearet. Instante igitur Fratre Raymundo pro licencia, dominus Papa dixit, licet esset ei eius præsentia valde chara, malo ipsum absentem viuũ, quam præsentem habere mortuum, vel destructum. Licentiatus itaq. à domino Papa, gaudens ad conuentum Barcinonensem, vnde assumptus fuerat, remeauit. Tunc dictum est veraciter, & signanter de ipso à pluribus fide dignis: vir iste qualis intrauit Romanam curiam, talis exijt: quia reuera nec eminentia gratiarum, nec fauoris aura, nec sibi oblatæ dignitatis ambitio, ipsius animum ab humilitatis constantia potuit immutare.

Raymund' Anno 1235 Roma recessit.

¶ Peractis autem in Curia, &c.] *eundem Raymundi reditum ad natale solum indicant obscure tamen Leander Arbertus, & Surius, & pauló apertius Ferdinandus del Castillo, parte 1. Historiæ Generalis Ordinis S. Dominici, lib. 2. cap. 7. nemo tamen explicat quo Anno Roma recesserit; quod tamen nobis non fuit difficile indicare: cum enim paulo antea ostenderimus eum Anno M. CC. XXX. Romam profectum, & hinc constet in-*

tegro

tegro quinquennio in ea cōmoratum, consequens fit anno M. CC. XXXV, inde recessisse.

Iam obseruanda hoc loco est, & egregio encomio Pontificis benignitas, & charitas commendanda, qui Raymundi incolumitatem vsibus proprijs pratulerit; præsertim cum principes, qui vt plurimum suis desiderijs indulgent, ea priuatorum commodis anteponere soleant.

Quomodo mortuo, vel morienti obtinuit à Domino *spatium confitendi.* *Cap.* XII.

Raymund⁹ in itinere semimortuo mirabiliter restituit sensuū vsum, vt tēpus haberet peccata cōfitendi.

TEmpore, quo redibat Frater Raymūdus de curia, contigit, vt applicaret ad portum, qui dicitur Tossa, viæ suæ comites habens Fratres quatuor. factum est autem vt ibidem eo existente, homo quidam loci eiusdem incola nomine Barcelò de Faro, dum in loco satis vicino messibus colligendis operam daret, in tantam subito incideret ægritudinis vehementiam, quod loquendi officio, ac potestate priuatus, nec motu, nec sensu corporis aliquo vteretur; itaut naturæ iam virtute prostrata, pene ab omnibus quasi mortuus putaretur. Hic à circunstantibus, in quadam nauicula collocatus ad dictū portum, quò Fratres applicuerant, est delatus; ad quem Frater Raymundus rogatus accedens cum socijs, & alijs diuersis personis non paucis, infirmum ipsum altis vocabat vocibus, quasi, qui alium excitaret, interrogans eum, an vellet confessionem suorum facere peccatorum. ad hoc infirmus nullum dedit respōsum, vt pote, qui nec intelligere, nec loqui poterat, sensibus, & viribus corporis destitutus, in tantum

De receſſu eius à Romana Curia.
Cap. X I.

Raymund⁹ quinquẽnio in Romana curia exacto, ob ægritudinẽ inde recedẽs Barcinonẽ reuertitur.



Eractis autem in Curia quinque annis præfatus Frater Raymundus propter laboris immenſitatem, & corporis debilitatem, & præcipue propter vigiliarum exceſſum, tam in ſtudio, quã in oratione, quam in obſequio domini Papæ, incidit in ægritudinem maximam, & languorem; ita quod medici de curia domini Papæ dixerunt, quod nullatenus ſecundum curſum naturæ, poterat euadere mortis periculum, niſi ad natiuum aerem celeriter remearet. Inſtante igitur Fratre Raymundo pro licencia, dominus Papa dixit, licet eſſet ei eius præſentia valde chara, malo ipſum abſentem viuũ, quam præſentem habere mortuum, vel deſtructum. Licentiatus itaq. à domino Papa, gaudens ad conuentum Barcinonenſem, vnde aſſumptus fuerat, remeauit. Tunc dictum eſt veraciter, & ſignanter de ipſo à pluribus fide dignis: vir iſte qualis intrauit Romanam curiam, talis exijt: quia reuera nec eminentia gratiarum, nec fauoris aura, nec ſibi oblatæ dignitatis ambitio, ipſius animum ab humilitatis conſtantia potuit immutare.

Raymund⁹ Anno 1235 Roma receſſit.

¶ Peractis autem in Curia, &c.] *eundem Raymundi reditum ad natale ſolum indicant obſcure tamen Leander Arbertus, & Surius, & paulò apertius Ferdinandus del Caſtillo, parte 1. Hiſtoriæ Generalis Ordinis S. Dominici, lib. 2. cap. 17. nemo tamen explicat quo Anno Roma receſſerit; quod tamen nobis non fuit difficile indicare: cum enim paulo antea oſtenderimus eum Anno M. CC. XXX. Romam profectum, & hinc conſtet in-*

tegro

tegro quinquennio in ea cõmoratum, consequens sit anno M. CC. XXXV, inde recessisse.

Iam obseruanda hoc loco est, & egregio encomio Pontificis benignitas, & charitas commendanda, qui Raymundi incolumitatem vsibus proprijs prætulerit; præsertim cum principes, qui vt plurimum suis desiderijs indulgent, ea priuatorum commodis anteponere soleant.

Quomodo mortuo, vel morienti obtinuit à Domino spatium confitendi. *Cap.* XII.

TEmpore, quo redibat Frater Raymũdus de curia, contigit, vt applicaret ad portum, qui dicitur Tossa, viæ suæ comites habens Fratres quatuor. factum est autem vt ibidem eo existente, homo quidam loci eiusdem incola nomine Barcelò de Faro, dum in loco satis vicino messibus colligendis operam daret, in tantam subito incideret ægritudinis vehementiam, quod loquendi officio, ac potestate priuatus, nec motu, nec sensu corporis aliquo vteretur; itaut naturæ iam virtute prostrata, pene ab omnibus quasi mortuus putaretur. Hic à circunstantibus, in quadam nauicula collocatus ad dictũ portum, quò Fratres applicuerant, est delatus; ad quem Frater Raymundus rogatus accedens cum socijs, & alijs diuersis personis non paucis, infirmum ipsum altis vocabat vocibus, quasi, qui alium excitaret, interrogans eum, an vellet confessionem suorum facere peccatorum. ad hoc infirmus nullum dedit respõsum, vt pote, qui nec intelligere, nec loqui poterat, sensibus, & viribus corporis destitutus, in tantum

Raymund' in itinere semimortuo mirabiliter restituit sensuũ vsum, vt tẽpus haberet peccata cõfitendi.

E quod

quod nec simplicem aquam recipere,nec per Capillos tractus potuit excitari. Tunc Frater Raymundus plus animæ,quàm corporis compassus miseriæ, Fratres suos, & alios, qui secum aderant, efficaciter induxit, vt à domino peterent pro infirmo spatium, & gratiam confitendi, ipse etiam flexis genibus totum se contulit ad orandum. Mox vt ab oratione surrexit, de misericordia Dei concepta fiducia, iterum vocauit infirmum nomine suo dicens Barçelò vis confiteri? qui euigilans oculos aperire cœpit, quos clausos,velut mortuus,prius habuerat: & respondit, volò domine, & hoc ipsum multũ desideraui. Concedentibus igitur alijs confessus est Fratri Raymundo, & ei super salute animæ suæ per longum temporis spatium collocutus. His expletis accesserunt, qui secesserant, & Fratre Raymundo iuxta infirmum stante, ac super ipsius confessione testimonium perhibente, qui confessus fuerat, aliud nihil post confessionis verba loquutus, obdormiuit in Domino,reddens spiritum creatori.

Probatio miraculi per duos Sacerdotes.

HVic miraculo licet multi præsentes fuerint,qui super hoc testari potuissent,prætermissis alijs, duorum Sacerdotum testimonium iuramento firmatum per officialem domini Gerunden. Episcopi receptum est, & scripto mandatum sicut in eius litteris continetur eius sigilli munimine roboratis, quarum tenor talis est:

Littera

Litteræ Officialis domini Episcopi Gerundensis.

REligioso, ac Reuerendo viro Fratri Benedicto de Boscho Priori fratrum Prædicatorum Barcinonæ P. de Balneolis Officialis Domini Episcopi Gerunden. Salutem in Domino sempiternam.

Recepto testimonio duorum Sacerdotum super quodam miraculo, quod propter meritum bo. me. venerabilis patris Fratris Raymundi de Peniafort, quondam dignatus est Dominus operari, ipsum testimonium sub sigillo nostro vobis mittimus interclusum; parati in his, & in alijs semper facere, dante Deo, quod vobis, & ordini vestro cedat ad laudem, gloriam, & honorem; supplicantes vobis, vt meritis & orationibus prædicti venerabilis patris, & vestri cõuentus, ac vestris nos cõmedare curetis.

¶ Quomodo mortuo, &c.] *Tum ex serie totius huius libri continentis vitam B. Raymundi, tùm ex hoc potissimum loco videtur colligi hoc fuisse primum miraculum precibus, & meritis B. Raymundi editum: quamuis enim verisimile sit alia prius virũ beatum miracula à Domino impetrasse, hoc tamen primum eße videtur literis mandatum: factum est autem Raymundo iam à curia egresso.* Primũ Raymundi miraculum literis mandatum.

Iã Auditores Rotæ, quibus actorũ iudicandorũ cura a sede Apost. cõmissa fuit, in secunda parte relationis super Canonizatione huius Beati hoc verè fuisse miraculũ censuimus; quamuis enim non putauerimus collocandum in secunda classe, seu ordine miraculorum, de qua S. Thomas, part. 1. quæst. 105. artic. 8. & 1. 2. quæst. 113. artic. 10. & lib. 3. Contra gentiles, c. 101. quia non constitit nobis hunc infirmum reuera fuisse mortuum, & reuocatum ad vitam, ad tertiam tamen classem referendum esse pronuntiauimus, quia considerato statu huius infirmi, & ægritudinis grauitate, beneficio naturæ in tàm breui temporis spatio non potuit sine vllis medicamentis, & humano præsidio sensum integrum, & loquendi officium recuperare. Rotæ Auditores hoc miraculum comprobarunt.

Diximus etiam in hoc facto apertè conspici verã rationem miraculi, cùm propter vtilitatem, & salutem spiritualem huius ægroti, misericors Deus ex merito B. Raymundi illi concesserit tempus confitendi: hac enim ratione

vera miracula distingui à signis malorum, nempe vtilitate, & fine docuerunt S. Thomas, par. 1. quæst. 114. artic. 4. Ad sec. argumentum, & Alfonsus Tostadus in exodum, cap. 7. quæst. 11. versi. sed differunt signa.

De ipsius honesta conuersatione, & humilitate. Cap. XIII.

Raymundi honesta cōuersatio, & ꝓfunda humilitas.



Ediens igitur Barcinonem Frater Raymundus, recepta conualescentia corporis aliquali, quietis tranquillitatē sibi congratulans obtinuisse post tātas sollicitudines & labores, cœpit vacare libere contemplationi, & factus est religionis, & sanctæ conuersationis speculum vniuersis. Audito igitur eius aduentu, confluit diuersarū cōditionum hominum multitudo requirentium confidenter ab eodem, pro diuersis casibus, & negotijs emergentibus, consilium salutare: quos omnes tam maiores, quam minores, sinu lætissime suscipiens charitatis, se omnibus affabilem, & amabilem exhibebat; omnibus prout poterat satisfaciens secundum gratiam à Domino sibi datam.

Raymūdus fere sexagenari⁹ reuertitur Barcinonem.

¶ Rediens igitur Barcinonem, &c.] *anno videlicet M. CC. XXXV. vt in superioribus fuit ostensum: quo tempere grandæuus erat iā Raymundus, & ætate prouectus: nam cùm docuerimus eum circiter annum Domini. M. C. LXXV. natum, ad Sexagesimum tunc annum proximè accedere videbatur.*

Virorum sāctorum non potest diu latere aduentus, & ꝑsentia.

¶ Audito igitur eius aduentu, confluit, &c.] *Non potest virorum Sanctorum diu latere præsentia: & licet ipsi ardenti studio se occultare nitantur, permittente tamen, ac volente Deo ad vtilitatem aliorum, sæpè inuiti euulgari coguntur, ità vt nec terra possint, nec mari celari: hoc enim habet sanctitas quasi proprium, vt instar suffituum, & odoramentorum diffundat sese, ac hominum penetret aures, sicut olfactum suaues odores.*

Sal-

Saluator enim noster Iesus Christus (vt in vita S. Antonij ait magnus Athanasius) glorificantes se glorificat, & seruientibus sibi, non tantùm Regna cælorum, sed etiam hic in ipsis montium secretis latere cupientibus, famæ tribuit nobilitatem, vt & ipsi fruantur laude meritorum, & cæteri eorum prouocentur exemplis. Maximus ille Eremita, & verè Sanctimoniæ speculum Hilarion, vt in eius vita Sanctus testatur Hieronymus, quò se magis occultare volebat, magis, ac magis prodebatur, ità vt etiam à Dæmone, qui Romæ torquebat hominem, aduentus eius in Siciliam, fuerit prænuntiatus. Id ipsum multis aliorum exẽplis, quæ breuitatis causa consultò prætermitto, doceri potest. Raymundus itaq. non omnino, quam volebat, consecutus est, post recessum ab vrbe, quietem & tranquilitatem, quia famam Sanctitatis, & egregiæ doctrinæ ipsius vbiq. peruolitans promiscuam hominum multitudinem excitabat, vt ad ipsum inuisendum, consulendumq. certatim confluerent.

Quod potestati sibi concessæ renuntiauit. Cap. XIV.



Oncesserat autem sibi Dominus Papa Gregorius, quod potestatem Pænitentiarij, quam prius habuerat in Romana Curia, ligandi videlicet, & soluendi, absens etiam retineret. Sed ipse attendens nimiam populorum frequentiam ad se vndiq. confluentem, Romanæ Curiæ, ac matri Ecclesiæ deferens, tantam potestatem, noluit retinere, nisi quatenus pertineret ad Fratres sui ordinis, & Minores. Nihilominus tamẽ Dominus Papa Gregorius, & cæteri Romani Pontifices succedentes sibi ardua illarum circunstantium terrarum negotia fiducialiter committebant; vt Episcoporum confirmationes, seu prouisiones de Episcopis, & Abbatibus faciendas. In litteris autem suis summi Põtifices ostendebant ei specialem gratiam, & fauorem,

Raymũdus potestati sibi a summo Põtifice cõcessæ renũtiauit.

Romani põtifices grauia negocia Raymundo committebant.

rem,

vera miracula distingui à signis malorum, nempe vtilitate, & fine docuerunt S. Thomas, par. 1. quæst. 114. artic. 4. Ad sec. argumentum, & Alfonsus Tostadus in exodum, cap. 7. quæst. 11. versi. sed differunt signa.

De ipsius honesta conuersatione, & humilitate. Cap. XIII.

Raymundi honesta cōuersatio, & ꝓfunda humilitas.



Ediens igitur Barcinonem Frater Raymundus, recepta conualescentia corporis aliquali, quietis tranquillitatē sibi congratulans obtinuisse post tātas sollicitudines & labores, cœpit vacare libere contemplationi, & factus est religionis, & sanctæ conuersationis speculum vniuersis. Audito igitur eius aduentu, confluit diuersarū cōditionum hominum multitudo requirentium confidenter ab eodem, pro diuersis casibus, & negotijs emergentibus, consilium salutare: quos omnes tam maiores, quam minores, sinu lætissime suscipiens charitatis, se omnibus affabilem, & amabilem exhibebat; omnibus prout poterat satisfaciens secundum gratiam à Domino sibi datam.

Raymūdus fere sexagenari⁹ reuertitur Barcinonem.

¶ Rediens igitur Barcinonem, &c.] *anno videlicet M. CC. XXXV. vt in superioribus fuit ostensum: quo tempere grandæuus erat iā Raymundus, & ætate prouectus: nam cùm docuerimus eum circiter annum Domini. M. C. LXXV. natum, ad Sexagesimum tunc annum proximè accedere videbatur.*

Virorum sāctorum non potest diu latere aduentus, & ꝓsentia.

¶ Audito igitur eius aduentu, confluit, &c.] *Non potest virorum Sanctorum diu latere præsentia: & licet ipsi ardenti studio se occultare nitantur, permittente tamen, ac volente Deo ad vtilitatem aliorum, sæpè inuiti euulgari coguntur, ità vt nec terra possint, nec mari calari: hoc enim habet sanctitas quasi proprium, vt instar suffituum, & odoramentorum diffundat sese, ac hominum penetret aures, sicut olfactum suaues odores.*

Sal-

Saluator enim noster Iesus Christus (vt in vita S. Antonij ait magnus Athanasius) glorificantes se glorificat, & seruientibus sibi, non tantùm Regna cælorum, sed etiam hic in ipsis montium secretis latere cupientibus, famæ tribuit nobilitatem, vt & ipsi fruantur laude meritorum, & cæteri eorum prouocentur exemplis. Maximus ille Eremita, & verè Sanctimoniæ speculum Hilarion, vt in eius vita Sanctus testatur Hieronymus, quò se magis occultare volebat, magis, ac magis prodebatur, ità vt etiam à Dæmone, qui Romæ torquebat hominem, aduentus eius in Siciliam, fuerit prænuntiatus. Id ipsum multis aliorum exẽplis, quæ breuitatis causa consultò prætermitto, doceri potest. Raymundus itaq. non omnino, quam volebat, consecutus est, post recessum ab vrbe, quietem & tranquilitatem, quia fama Sanctitatis, & egregiæ doctrinæ ipsius vbiq. peruolitans promiscuam hominum multitudimem excitabat, vt ad ipsum inuisendum, consulendumq. certatim confluerent.

Quod potestati sibi concessæ renuntiauit. Cap. XIV.

COncesserat autem sibi Dominus Papa Gregorius, quod potestatem Pænitentiarij, quam prius habuerat in Romana Curia, ligandi videlicet, & soluendi, absens etiam retineret. Sed ipse attendens nimiam populorum frequentiam ad se vndiq. confluentem, Romanæ Curiæ, ac matri Ecclesiæ deferens, tantam potestatem, noluit retinere, nisi quatenus pertineret ad Fratres sui ordinis, & Minores. Nihilominus tamẽ Dominus Papa Gregorius, & cæteri Romani Pontifices succedentes sibi ardua illarum circunstantium terrarum negotia fiducialiter committebant; vt Episcoporum confirmationes, seu prouisiones de Episcopis, & Abbatibus faciendas. In litteris autem suis summi Põtifices ostendebant ei specialem gratiam, & fauorem,

Raymũdus potestati sibi a summo Põtificecõcessæ renũtiauit.

Romani põtifices grauia negocia Raymundo committebant.

Raymũdus sæpe Romanos Pontifices hortabatur ad vniuersioné infidelium, & alia vniuersali Ecclesiæ vtilia peragenda.


rem, præbentes ei fiduciam, vt auderet eis, de quibus eidem videretur, rescribere confidenter. propter quod eis interdum scribens humiliter, & deuote, ad zelum fidei, & conuersionis infidelium, & cætera spiritualia, præcipue quæ spectabant ad communem vtilitatem, & bonum statum Ecclesiæ, ipsos efficaciter hortabatur.

¶ Concesserat autem sibi Dominus Papa Gregorius, vt potestatem pænitentiarij. &c.] *Ex hoc loco etiam communiri videtur, quod supra cap. 8. dicebamus affirmantes Raymundum à Gregorio ix. summum pænitentiarium fuisse constitutum: hæc enim tam late patens potestas ligandi, atq. soluendi, atq. hic tam frequens ad eum hominum concursus, nihil aliud videntur indicare. quod nec mirum, nec inuerisimile censeri potest; cum maxime decuerit Romanum Pontificem, virum adeo insignem, ac de Sede Apostolica, vniuersaq. Christiana Republica benemeritum, huiusmodi honore cumulare,*

Raymundũ prudéti cõsilio potestati sibi concesse renũciasse.

Modestiam insuper, & prudentiam Beati viri iure optimo laudare oportet, qui Romanæ, Matri Ecclesiæ deferens tantam illam potestatem noluit retinere. animaduertebat enim sedis Apostolicæ dignitati, & existimationi quodammodo detrahi, si pænitentes, qui propter varias causas, & casus sedi eidem reseruatos, Romam petere cogebantur, in medio fere, aut in principio itineris subsistentes Raymundo flecterent genua, quæ Romano ipsi Pontifici, aut summo eius pænitentiario Romæ degenti honestius decentiusq. curuanda forent. Quam potissimum ob causam prudenter Romani Pontifices maiorum institutis, moreq. seruatis, parcius semper destinatis in Prouincias nuntijs facultates, priuilegiaq. concesserunt: ne Prouinciales illis assueti, Aprocrysiarios, quasi summos Pontifices venerantes, Romanam Ecclesiam, sedemq. Petri (quam summa semper religione venerari oportet) quodammodo obliuiscantur.

Deniq. illud, quod ad magnam Raymundi pertinet integritatem, hoc loco etiam animaduertendum est, cum eius fidei, atq. prudentiæ graues res & arduas Romani Pontifices sine hæsitatione committerent, qui vicissim illius admonitiones, & cohortationes æquo animo audientes, nullius imprudentiæ, audaciæ, aut temeritatis vitio tribuebant.



De forma

De forma visitandi Ecclesias. Cap. XV.


D instatiã autem Episcoporum quorundam, omnibus Episcopis,& prælatis formam tradidit vtilissimam, & honestam, secundum quam commissas eis Ecclesias visitarent,& tam clericorum, quam Laicorum saluti,& honestati vtiliter prouiderent.

Raymund[9] Episcopis formulam præscripsit Ecclesias visitandi.

¶ De forma visitandi, &c.] *Hæc non pertinent ad constitutiones ferendas, quasi Raymundus leges tulerit, quas Episcopi visitantes obseruare deberent; ipse enim ferendarum legum potestate carebat, & iam hoc tempore Concilium Lateranense ab Alexandro iij. habitum, cap. 4. & Cõcilium Lateranense ab Innocentio iij. celebratum, cap. 33. multa de visitatione præscripserant: quorum Decreta Raymundus in Gregoriana compilatione inseruerat, cap. cum Apostolus, & cap. procurationes, de censib. Ac certum præterea erat Episcopos singulis annis diœceses suas visitare debere, qua in re illi, non quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi quærere debẽt, prædicationi, exhortationi, correctioni, et reformationi vacãdo, & cultus diuini incremento operam dando: sed de praxi hæc accipienda sunt. Composuerat enim Raymundus formulam, iuxtà quam canonicæ sanctiones ad praxim reducerentur: nempe quomodo quælibet munia, & officia in Ecclesia forent dirigenda, & abusus tollendi: cùm visitatio sit reformatio, & correctio omnium, quæ prælati nouerint in Ecclesiis, seu Clero, & Populo, tàm in capite, quàm in membris, reformanda, & corrigenda. Qua in re dubium non est, quin Raymundus, nedum vtilem, sed penè necessariam operam Episcopis impenderit.*

Quo sensu sit accipiendum Raymundũ formulam Ecclesias visitandi præscripsisse.

De forma mercandi. Cap. XVI.

Mercatorib' prescriptus modus, quo sine peccato mercaturam exercerent.

MErcatoribus etiam formam dedit, quomodo sine peccato possent mercationis officium exercere; vel si forte lucrādi auiditate, vel aliquo casu iniurias alijs irrogassent, quomodo, vel ad quas restituendas iniurias tenerentur.

¶ Mercatoribus etiam,&c.] *In hac quoq. re vehemēter profuit Raymundi industria Reipublicæ mercatorum; nam cum mercaturæ negotium late pateat, nec vlla fere sit magis in orbe frequens exercitatio, nec magis inuoluta, & dolis ac fraudibus obnoxia, (homines enim habendi cupiditate ducti, non admodum inuiti in ista, velut retia, feruntur) vtilissima fuit Beati viri industria, & singulare huiusmodi hominibus contulit beneficium, cum modum illis, regulasq. præscripsit, vt possent sine peccato exercere, negotiū, quod, vt ait S. Gregorius homilia 24. vix sine peccatis exerceri potest.*

Iam partem hanc de licita, vel illicita negotiatione, ac quot potissimum modis mercatio reddatur illicita, Raymundus in summa non omisit: nam lib. 2. tit. de negotijs sæcularib. & vtrum de illicite acquisitis possit fieri Eleemosina, aliquot propositis regulis rem per se late patentem, & vagam breuiter contraxit; & Raymundum sequutus Syluester de Prierio in Summa, verbo, negotiatio. quæst. 2. ad septem modos generales, omnem illicitam negotiationem reducere est conatus.

De Sobrietate. Cap. XVII.

Raymund' sobrius semel in die comedebat.



Obrietas cibi: & potus præcipue, amabilis & continua erat ei. Semel tantum comedebat in die, excepta die Dominica, in qua propter Festiuitatis Dominicæ reuerentiam, bis refici consueuit.

Omnes viri sancti sobrietatē coluerunt.

¶ Sobrietas cibi,& potus,&c.] *Sobrietatē coluerūt omnes viri sancti, quia (vt inquit Chrisostomus, tomo. 1. homilia 10. in Genesim) corpus comprimit, & lasciuias inordinatas refrenat, animam autem clariorem efficit, & sublimem.*

& sublimem. Ponite ante oculos, quotquot agmina sanctorum, sanctarumq. veneratur Ecclesia, eosq. hanc in cibo & potu sobrietatem retinuisse videbitis: quoniam ad pie colendum Deũ sobrietas, & abstinentia viam muniunt, animum præparant, & mentem erigunt. Grauiter reprehendit Ambrosius lib. 10. Epistolarum in epistola ad Ecclesiam Vercellensem eos, qui dicunt nullum esse abstinentiæ, nullum frugalitatis meritum, & delirare eos, qui ieiunijs castigant carnem suam, & menti subditam faciunt: quoniam si hæc deliramenta Paulus putasset, numquàm fecisset, neq. scripsisset. 1. Cor. 9. dicens, Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne cùm alijs prædicauerim, ipse reprobus inueniar. *Longum, ac laboriosum esset sanctorum Patrum testimonia referre, quibus sobrietas commendatur, quo in argumento illud magnum momentum habet, quod omnes omnium bene constitutarum Religionum fundatores iustas leges de illa seruanda diuinitus tulisse creduntur. consule S. Benedicti regulam, cap. 39. & 40.*

Quid sobrietas prestet, Aurelius Prudentius in Psychomachia, cum agit de Luxuria, & sobrietatis pugna breuiter verbis, re autem copiosè demonstrauit his versibus: Sobrietas quid hominibus præstet.

En ego sobrietas (si conspirare paratis)
Pando viam cunctis virtutibus, vt malesuada
Luxuries multo stipata satellite, pœnas,
Cum legione sua Christo sub Iudice pendat.

Quòd autem de vnica in die Raymundi manducatione commemorat auctor, non habet leue fundamentum, cùm primi illi Christi athletæ, grauesq. & fortes contra Dæmones pugnatores hanc ipsam consuetudinem retinuisse dicantur, atq. vt cæteros omittam, de Antonio in eius vita scripsit S. Athanasius, eum semel edere solitum in die post solis occasum, nonnunquam verò biduò, triduòq. ieiunum permanentem, quarta demum die refici: sumebat autem panem, & sal, potumq. aquæ perparuum. Viri sancti olim semel in die manducabant.

Hieronymus quoq. in vita Hilarionis testatur illum quindecim tantum caryeas post solis occasum comedisse. Interdùm, verò vt voluptatum incendia, quæ Dæmon suggerebat, abstinentiæ pondere superaret, herbarum succo, & paucis caryeis post triduum, vel quatriduum deficientem animam solitum sustentare.

¶ Excepta die Dominica.] *non solum ob reuerentiam, sed ob præceptum etiam abstinendum videbatur à ieiunio die Dominico; nam Melchiades summus Ecclesiæ Pontifex ita constituit;* Ieiunium Dominici diei, et quintæ feriæ nemo celebrare debet, vt inter Ieiuniũ Christianorum, et Gentilium, veraciter credentium, et infidelium, atq. Hæreticorum vera, non falsa discretio habeatur. *hac ibi. refertur à Gratiano, in cap. Ieiunium. de consecrat. distinct. 3.* Die Dominico, Sabbato, & quinta feria cur olim sancitum, vt non ieiunaretur

Idem apparet sancitum in Concilio Cæsaraugustano, cap. 2. & habetur in cap. ne quis ieiunet. De Consecrat. distinc. 3. & alibi sæpè; quod etiam vetustius videtur præceptum, & ad Apostolos referendum, cùm in eorum canone. 51. & 53. aliquid huiusmodi sancitum videatur, sed apertius canone 66.

Id quod rursus magna contentione constituisse videtur vi. Synodus Constantinopolitana in Trullo habita, can. 55. quamuis ille canon cum quibusdam alijs non recipiatur, quia matrem Ecclesiarum omnium Romanam Ecclesiam reprehendit.

Cæterum si his diebus, id est, Sabbato, Dominico, & feria quinta ieiunetur ob causam, quam Apostoli, & Maiores nostri sunt detestati, præceptum est, ne ieiunemus; non quidem Sabbato, ne Iudæos imitari videamur, vt rectè censuit Theodorus Balsamon, in 66. Canone Apostolorum.

Non die Dominico, aut feria quinta, ne cum gentilibus, seu paganis cõsentiamus, qui hos dies quasi sacrum Ieiunium celebrabant, vt notarunt censores apud Gratianum, in cap. ne quis ieiunet. De consecrat. dist. 3. si quis enim ritu Iudaico, aut gentilico diebus istis ieiunaret, aut eos veneraretur, & grauiter quidem peccaret, & vel in Iudaismi, vel paganismi suspicionem incurreret, vel Hæreticis Marcionistis consentire videretur, qui (vt ait Epiphanius) hæresi. 42. Sabbatum ieiunabant in inuidiam Dei Iudæorum, qui Sabbato ab omni suo opere quieuit, & propterea meritò sic ieiunantes à censoribus fidei, seu Inquisitoribus, & inquiri possent, & iudicari.

Omnibus diebus sancto proposito ieiunare licet.

Seclusa tamen superstitione, certum est, quemadmodum Epiphanius quoq. affirmat, posse sancto proposito omnibus diebus ieiunari, id quod Sanctos Patres opere sæpè præstitisse legimus; vt adnotatum extat super can. 55. Sextæ Synodi in Trullo, & animaduertit glos. in dicto, cap. Ieiunium. De Consecr. dist. 3. qua de re loquens Theodorus Balsamon super. 66. Canone Apostolorum prudenter scripsit in hæc verba. Excipe autem mihi Diuinos Patres, qui propter exercitationem nonnunquàm ieiunant etiam his diebus: hi enim non condemnabuntur.

Die Dominico quomodo ieiunari cũ merito possit.

Qui autem die Dominica, propter tanti festi celebritatem non ieiunant, quemadmodum Raymundus facere consueuerat, nedum non peccant, sed quandoq. merentur, si id agant ob letitiam vniuerso mundo partam propter venerabilem, & admirabilem, Saluatoris nostri Iesu Christi Resurrectionem, quæ tanto magis præponderat festo Sabbati, quanto Resurrectionis, seu potius reformationis opus, mundi opificio excellentius peculiari ratione existimatur.

De communi loquutione. Cap. XVIII.

IN communi colloquio, verbis & exemplis ædificatorijs affluebat, detractiones audire non poterat, minus loqui: sed absentium omnium erat sedulus aduocatus, & linguas detrahere volentium curialiter compescebat.

Raymund' colloquio grauis, detractiones euitabat.

¶ In communi colloquio, &c.] *Superiori capite de sobrietate Raymũdi in cibo & potu egit auctor: nunc eiusdem sobrietatem, & continentiam in colloquio nobis vtiliter commendat. Sunt multi in cibo quidem, & potu, cæterisq. corporeis voluptatibus abstinentes, sed lingua adeo effrenes, & in colloquio adeo profusi, vt omnis modestiæ obliti videantur. Christiana autem perfectio nedum in cibo, & potu, sed etiam in lingua abstinentiam postulat, quæ in ordine Ecclesiastico maxime requiritur, iuxta illud Malach. cap. 2.* labia Sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirunt de ore eius. *Vnde prudenter S. Bernardus, lib. 2. de consideratione ad Eugenium, cap. 13. inserebat, ab ore Sacerdotum non nugas, non fabulas, nõ verba scurrilia prodire debere, sed ea procul & ab ore, & ab aure releganda; ait enim ita;* inter sæculares nugæ, nugæ sunt: in ore Sacerdotis blasphemiæ.

Christiana pfectio nedum in cibo & potu, sed i colloquio etiam postulat abstinẽtiam, & pſertim in viris religiosis.

Hinc sancti Patres maiores nostri magno semper conatu curauerunt, vt clerici vitam ab omni repræhensione alienam agerent, ne quosquam offenderent, sed potius ad bonum excitarent, vt prudenter animaduertit Theodorus Balsamon super 54. Canone Apostolorum. Qua de re copiosum extat decretum Concilij Lateranensis sub Innocentio iij. cap. 16. quod Raymundus recensuit in Gregoriana compilatione, in cap. clerici. De Vita, & Honest. clericor.

Quod ad detractiones attinet, notanda est, & memoria retinenda Raymundi consuetudo, qui nec audire eas, nec perferre volebat. vtrunq. enim nouerat esse damnabile, quod S. Bernardus breuiter, sed perreleganter docuit his verbis. Porrò detrahere, aut detrahentem audire; quid horum damnabilius sit, non facilè dixerim. *Hactenus Bernardus de Considerat. ad Eugenium, lib. 2. cap. 13.*

Detractiones nec audiendæ sũt, nec perferendæ.

Nihil est viris honestis turpius, quàm aliorum lædere famam, minuere existimationem, & commemoratis sæpè dictis, aut factis eos inauditos, & indefensos per detractiones suo quasi honore, & bono nomine velle priuare,

ac tanto propterea magis commendatione dignum putandum est beati huius viri consilium, qui absentium suscipiebat defensionem, dicendo (videlicet) aut obiecta crimina non esse vera; aut ab inimicis fortassis diuulgari cœpta; aut in dubio in partem meliorem, & quæ delictum excludit, interpretationem esse faciendam.

Hæc à viris religiosis tantò diligentius custodienda sunt, quantò præ cæteris vitam agunt sanctiorem, & à sæcularibus imperfectionibus magis semotam. Sanè magnus ille Abbas Benedictus in regula, cap. 4. inter instrumenta bonorum operum numerat non esse murmuriosum, nec detractorem, & meritò, hoc enim vitium propter quinq. defectus maximè est omnibus, ac præcipuè a religiosis fugiendum.

Vitium detractionis quinq. notabiles habet defect⁹.

Primò quia detractio est graue peccatum charitati repugnans; vndè Iacobus epistola, 1. cap. 4. ait. Nolite detrahere fratres mei: qui detrahit fratri, detrahit legi.

Rursus hoc vitium Deo præcipuè est odibile; Hinc Paulus ad Rom. 1. Susurrones, detractores, Deo odibiles.

Tertiò, idem vitium detractionis est hominibus detestabile, Prouerbior. cap. 24. Cogitatio stulti peccatum est: et abominatio, homo detractor. *Hæc ibi. Ratio in promptu est, quia detractor lædere famã nititur.*

Præterea quoniam detractio ipsi etiam detrahenti plurimùm nocet; cùm necesse sit detractorem, qui multos lædit, multorum in se inuidiam, & odium concitare.

Quintus deniq. defectus est, quoniam detractio, & detrahentem, & auditores inficit. Hinc Hieronymus ait. Tanta est distantia inter fornicantem, et detrahentem, quòd ille, qui fornicatur, se tantùm interficit: ille, qui detrahit, se, et auditores. Bernardus super Cantica: vnus est, qui loquitur, et vnum tantùm verbum profert: & tamen illud vnum verbum, vno in momento multitudinis audientium, dum aures transfigit, animas interficit.

Qui plura de hoc argumento nosse desiderat, legat Turrecrematam super cap. 4. Regulæ S. Benedicti, tract. 33.

De horis, ac officio Diuino. Cap. XIX.

Raymund⁹ deuotè, & attentè officium Diuinum recitabat.

HOras omnes, & totum diuinum officium, siue in choro, siue extra chorum, tractim, & cum deuotione, ac maturitate quadam speciali dicebat, faciendo profundè venias, cauens inter-

interruptionem, & cætera, quæ deuotionem poterant impedire.

¶ Horas omnes, &c.] *Concilium Lateranense sub Innocentio iij. cap. 17. in virtute obedientiæ omnibus prælatis, & clericis districte præcepit, vt diuinum officium nocturnum pariter & diurnum, quantum eis deus dederit, studiose celebrent pariter, & deuote, quibus duobus verbis.* Studiose, *&* deuote, *vt optime interpretatur, glos. in cap. dolentes. de celebrat. Missar. vbi Canon illius Concilij refertur, duo actus in diuino officio rite, & legitime recitando, exprimuntur. Primus respicit officium exterius oris, siuè pronuntiationis, vt scilicet verba non transcurrendo, neq. syncopando, id est imperfectè dictiones pronuntiando proferantur: alter refertur ad interiorem cordis, & mentis attentionem, nempè vt deuotè diuinum officiũ recitetur; vtrunq. actum studiosè seruasse Raymundum in Diuino officio recitando indicatur breuiter hoc loco, cùm tractim, id est perfectè dictiones pronuntiaret, & cordis deuotionem adiungeret.* Sacri Canones quid pcipiant circa officij Diuini recitationem.

Cætera ad hunc locum pertinentia ab his petenda sunt, qui de horis Canonicis scripserunt, ab Alberto de Ferrarijs, Ioanne de Lignano, Nicolao Plouio, Martino ab Azpilcueta Doctore Nauarro, & à Marcello Francolino tractatu, De Tempore Horarum Canonicar.

De oratione secreta, & eius efficacia. Cap. XX.

IN oratione secreta de nocte præcipue frequenter lachrymis affluebat: interdũ vero quamuis occultare se vellet, in secretis locis Ecclesiæ, vel claustri, latere non poterat, quin plorantis singultus interdũ eminus audirentur. Cuius orationis efficacia patet in illis, qui per eius orationum suffragia, curationis beneficia receperunt. Raymund' de nocte orando lacrymabatur.

¶ In oratione secreta, &c.] *Frequentia extant Sacrarum litterarum testimonia, quibus orationis necessitas indicatur. In his est illud Lucæ, cap.* 18. oportet semper orare, & non deficere. *& illud Pauli ad Thessa-* Necessitas, & assiduitas orandi sacris litteris demonstratur.

Thessalonicen. cap. 5. sine intermissione orate. *Dominus quoq. noster Iesus Christus, vt nobis orandi præberet exemplum, nedum ipse orauit, sed orandi etiam formulam præscripsit.*

Cùm autem orationis causa, vt docet S. Thomas, 2.2.quæst.83.art.14. sit charitatis desiderium, ex quo procedere debet oratio, modus, quo vtebatur Raymundus in oratione, satis dilucidè indicat, quanta in Deum, & proximum charitate arderet.

De Febre quartana. Cap. XXI.

Raymund' Elisendem Eymerigā febri quartana laborātem confestim sanat.



Omina Elisinendis Eymeriga pluries pluribus Fratribus enarrauit, quod cũ febre, quæ quartana dicitur, grauiter fuisset afflicta diutius, & circa festũ Natiuitatis Domini prædictæ febris æstu solito grauius vexaretur, cõtigit ad ipsã visitationis causa, & cõsolationis gratia Fratrẽ Raymundum deuenire cum consobrino ipsius dominæ Fratre scilicet Guilıermo pontij sibi socio deputato, qui, vt solitus erat, dulcedine verbi sui eam confortauit, & ad virtutem patientiæ hortabatur. Accepta igitur fiducia de verbis ipsius, & præsentia, cũ deuotione multa, eius vestimenta (vt valuit) apprehendit, instantissime rogans, & postulans ab eodẽ, orationis suæ suffragium, & specialiter vt Dominum precaretur, quod eam à tam vehementi Febris angustia liberaret: cum autem hoc sibi directe concedere noluisset, volens se ab ea verbis suis aliter expedire, nec ipsa, vt sapiens mulier, eius vestimenta vsquequaq. voluisset dimittere, quousque, quod postulauerat, obtineret, concessa sibi ab ipso Fratre Raymundo petitione, & completa oratione, hoc quod cum tanta instantia petiuerat, impetrauit: nã

ab illa

ab illa hora prædictæ febris molestiam numquam sensit, Fratris Raymundi Sanctitati attribuens tam subitæ curæ beneficium, quod accepit.

¶ Accepta igitur fiducia, etc.] *Quod attinet ad hoc factum, id ad tertium miraculorum ordinem referendum est. nam naturæ viribus non potuit febris in tanta temporis breuitate depelli, vt explicant Canonistæ cum Archidiacono in cap. nec mirum. 26. quæst. 5. & Sanctus Thomas, parte. 1. quæst. 105. art. 8. vbi Dominicus Bannes. & 1.2. quæst. 113. artic. 10. & lib. 3. contra Gentiles, cap. 101.* Hæc curatio à febri ad tertium ordinē miraculorū est referenda.

Iam piam etiam nobilis fœminæ importunitatem admirari licet, quæ non prius B. viri pallium dimittere voluit, quàm voti compos efficeretur. Placita hæc Deo sunt, qui & assiduè, & instanter est exorandus, vt nobis, quod petimus per se, aut per viros sanctos largiatur. Simile quid, quod Hilarioni contigisse refert in eius vita Sanctus Hieronymus, hic commemorare placuit; Viginti & duos iam in solitudine Hilarion habebat, *inquit*, annos, fama tantùm notus omnibus, & per totas Palestinæ vuulgatus vrbes: cum interim mulier quædam Eleutheropolitana cernēs despectui se haberi à viro ob sterilitatem (iam enim per annos quindecim nullos coniugij fructus dederat) prima irrumpere ausa est ad Beatum Hilarionem: & nihil tale suspicanti, repente genibus eius aduoluta, Ignosce, inquit, audaciæ, ignosce necessitati meæ. Quid auertis oculos? quid rogantem fugis? noli mulierem aspicere, sed miseram. hic sexus genuit Saluatorem, non habent sani opus medico, sed qui malè habent. Tandem substitit, & post tantum temporis visa muliere, interrogauit causam aduentus eius, & fletuum: & postquàm didicit, leuatis ad cælum oculis, fidere iussit; euntemq. lacrymis prosecutus; exacto anno vidit cum filio. *Hactenus S. Hieronymus.* Pro obtinēdis miraculis assiduè est Deus, et eius Sancti rogandi.

De dolore capitis. Cap. XXII.



Frater Benedictus Romei eiusdem ordinis conuersus, per duos annos, & amplius grauiter capitis dolore vexatus, in tantam incurrerat cerebri debilitatem, quod sonitum, aut quemcunq. tumultū validum Raymund⁹ Benedictū Romeū sui ordinis Cōuersū duobus annis dolore capitis laborantem impositis manib⁹, sanat.

validũ ſine multo grauamine non poterat ſuſtinere. Veniens igitur ad Fratrem Raymundum, inſtanter petijt ab eo, eius pedibus prouolutus, vt manus ſuas ſuper ipſius ſic debilitatũ caput imponere dignaretur: quia per huiuſmodi manuum impoſitionem, confidebat à prædicta capitis moleſtia liberari. Facta igitur manuum impoſitione, tantam inuenit, non ſolum in capite, ſed etiam in toto corpore confortationem, & in ſpiritu dulcedinem, & conſolationem, quod indubitanter credidit, virrutem ab eo exijſſe, quam in mente, & in corpore ipſius meritis recepiſſet. Nam nec prædictus capitis dolor, nec etiam debilitas vlterius eum moleſtauit,

Hoc miraculũ ad tertiũ ordinẽ miraculorũ eſt referendum.

¶ Frater Benedictus Romei, &c.] *hoc etiam factum inter miracula reponendum, ad tertiam ſaltem claſſem, ſeu ordinem miraculorum eſſe referendum non eſt dubium, ope enim naturæ is ſanitatis effectus, tam exiguo temporis interuallo produci non poterat.*

De diſciplinis, & afflictione corporis. Cap. XXIII.

Raymund⁹ corpus ſuũ caſtigat.



DIſciplinis vero, & verberibus, carnem ſuam cum ſeueritate nimia, nocturnis temporibus macerabat. Altaria ſingula poſt matutinas, & poſt completorium viſitabat, faciens in vnoquoque venias, & reuerentiam ſpecialem.

Aſſidua corporis maceratio voluptatum incẽdia coercet

¶ Diſciplinis vero & verberibus, &c.] *Ad perdomandas laſciuientes ſenſuum titillationes, & voluptatum incendia, quæ frequenter caro ſpiritus fines egreſſa ſuggerit, extinguenda, nihil æque valet, ac continua corporis maceratio, quam exhibent aſpera veſtimenta, oratio aſsidua, ieiunia; & cor-*

& corporales labores, quibus assueti viri sancti grauissimas, frequentissimasq. Dæmonum tentationes vincentes, exempla, similes reportandi de hoste victo triumphos, nobis infirmis reliquerunt.

Quàm vtilis ex his sequantur effectus, Ioannes Cassianus collatione, 1. cap. 17. docet his verbis: Idcirco decantatio crebra Psalmorum, vt assidua nobis exinde compunctio ministretur: Idcirco vigiliarum, ac ieiuniorum, orationumq. sedulitas adhibetur, vt extenuata mens non terrena sapiat, sed cælestia contempletur. *hactenus ille.*

De familiaritate Angeli. *Cap.* XXIV.



Ngelum Dei familiarem habuit, qui eũ frequenter ante matutinarum signum ad orandum à somno excitans inuitabat: qui statim Angeli voci obediens, & consurgens orationum insistens vigilijs, resumpto somno modico, ad missam celebranda se sollicite disponebat.

Raymund. AngelũDei habet familiarem.

¶ Angelum Dei familiarem habuit.] *Non est hoc ad specialem custodiam Angeli referendum, quasi Raymundus particulari Dei priuilegio Angelum custodem præ cæteris hominibus habuerit: nam singulis hominibus ab initio natiuitatis præsidere singulos custodes Angelos indicant sæpè sacræ litteræ, in quibus illud apud Matthæum, cap. 18. est notissimum. Angeli eorum, &c. Profitetur Ecclesiæ vniuersalis traditio; docentq. frequẽter Patres Græci, & Latini vno planè consensu.*

Singulis hominibus singuli præsident Angeli ab exordio natiuitatis.

De Traditione Ecclesiæ non est dubitandum, cùm nihil ferè crebrius in ore Catholicorum versetur, quàm singulos homines à suis delegatis Angelis custodiri.

Patres Græci, & Latini multi sunt, è quibus aliquot recensere placet.

Theodoretus de diuinis decretis, lib. 5. cap. De Angelis circa finem.

Origenes homilia, 20. in Num. adest, inquit, è contra vnicuiq. nostrũ Angelus bonus, qui regat, moneat, qui pro actibus nostris corrigendis, & miserationibus exposcendis quotidie videat faciem Dei: Hæc ille, &c.

Sanctus Basilius, lib. 3. contra Eunomium non longè à principio, & super Psalmo. 48.

Iustinus martir, in responsionibus ad quæstiones orthodoxorum. quæst. 30.

Sanctus Chrisostomus, homilia. 26. in Actus Apostolorum.
Theophilactus super Matthæum, cap. 18.
S. Hieronymus super Matthæum, cap. 18.
S. Augustinus, in libro de Diligendo Deo, cap. 12. & in soliloquiis, cap. 27.
S. Hilarius super Psalmo. 135.
S. Bernardus sermone. 12. super Psalmo. Qui habitat.
S. Thomas, par. 1. quæst. 113. artic. 2. & 4. & 5.

Plura huc spectantia refert magister sententiarum, lib, 2. distinct. 11. §. 1. & sequen. & Petrus Emotte Theologus Parisiensis, lib. 1. cap. 34. De Catholicæ fidei professione; sed omnium cumulatissimè Frater Franciscus Eximenech, Ordinis Minorum S. Francisci, lib. 4. De Angelis, quem ante, CC. ferè annos lingua Valentina scripsit. vbi copiosè de custodia Angelorum erga homines, eorumq. præfectura, munere, & officio, quæ perpetuò propter nostram vtilitatem in his inferioribus mundi plagis exercent, summa semper diligentia nobis assistendo, regendo, admonendo, prauos mores corrigendo, sanctas cogitationes immittendo, miserias nostras Deo misericordiarum Patri referendo, & pro nobis deprecando, & quod est omnium maximum suscipiendo nostri curam, ne scelerati, & execrandi Dæmones nos pro voluntate sua maligna lædere possint, ac infinita quidem alia pericula arcendo, quibus sæpe quotidie grauiter fluctuaremus, ac periremus, quæ omnia adeò sunt Diuinæ scripturæ, Sactorumq. Patrum testimoniis aperta, & roborata, vt non potuerint nostræ ætatis sectarij negare, esse hominibus præfectos Custodes Angelos.

Angelorũ custodũ officium erga homines.

Itaque vt paulò antea dicebam, quæ hoc loco scribuntur de Angeli familiaritate cum Raymundo, non sunt referenda ad particulare priuilegium ipsius, quasi ipse præ cæteris Angelum Custodem habuerit. boc enim commune habuit Raymundus cum cæteris hominibus; sed accipienda sunt de peculiari quadam, ac (vt ita dicam) domestica familiaritate, & amicitia, qua idem Angelus Raymundi custos (neq. enim sine necessitate alium Angelum ad hæc munia adhibere oportet) ad istas actiones exercendas è somno sensibiliter excitabat; quod singulari Dei beneficio tribuendum est. cum enim custodes Angeli communiter per internas tantum inspirationes ad bene operandum incitent homines quos custodiunt, Raymundo meritis, & sanctitati hoc amplius concessit Deus, vt per istos sensibiles actus eum ad orandum familiarius Angelus excitaret.

De Missis

De *Missis priuatis.* Cap. XXV.



Missas priuatas ferè quotidie celebrabat, præmissa semper confessione humili, & deuota. Dicebat aliquando Fratribus familiariter; quod si aliquando, licet valde raro, eum contingeret non celebrare, illa die vix poterat esse lætus, sicut diebus alijs consueuit.

Raymundus quotidie missam celebrat.

¶ Missas priuatas, &c.] *De crebra huius sacramenti sumptione nobilis extat sancti Augustini sententia serm. 28. De verbis Domini:* iste panis quotidianus est, *inquit*, accipe quotidie, vt quotidie tibi prosit. *Sanctus quoque Ambrosius, lib. 4. de Sacramentis, cap. 6. dicit:* si quotiescunq. effunditur sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debeo semper accipere; qui semper pecco, debeo semper habere medicinam.

Ad frequentem Sanctæ Eucharistię sumptionē hortãtur Patres.

Cæterum hæc assidua, & quotidiana tanti sacramenti sumptio, vt prosit sumentibus, digne fieri debet. vnde S. Augustinus præcitato loco, cum dixisset, Accipe quotidie, vt quotidie tibi prosit, *subiunxit:* Sic viue, vt quotidie merearis accipere. *Vt optime explicat sanctus Thomas, parte. 3. quæst. 80. art. 10.*

Iam quod attinet ad quotidianam tanti sacramenti celebrationem, vel ad omissionem quotidie celebrandi, consulendi sunt S. Thomas 3. part. quæst. 82. artic. 10. & Antonius Honcala, tract. de accessione ad Eucharistiam, vbi docte, ac pie more suo docet, quis digne, aut indigne ad Eucharistiæ communionem accedat. num liceat Sacerdoti absq. peccato ab Eucharistiæ celebratione cessare, & qualis cordis munditiies ad dignam Eucharistiæ sumptionem requiratur.

De Miraculo circa Eucharistiam.
Cap. XXVI.

Raymundo Missam celebrante, Martin' quidam eiusdē Ordinis cōuersus, visa imagine pueri in Eucharistia, à stimulis carnis liberatur.



Ontigit autem, quod cum quidam frater Conuersus nomine Martinus, qui quondam, dum esset adhuc in sæculo lasciuus, & lubricus fuerat, & nimium dissolutus propter longam consuetudinem, à carnis stimulis vexaretur; qui fratris Raymundi sanctitatem considerans, & deuotionē eius signanter circa Missarum celebrationem tam sedulam, semel audiens Missam eius, cum grandi fiducia Domino supplicauit, vt eius meritis contra carnis molestias eidem præstaret remedium salutare; factum est autem, vt cum Frater Raymundus eleuaret modo solito (al. more.) corpus Dominicum, præfatus frater Martinus videret in manibus fratris Raymundi ipsum Dominum Iesum Christum in forma pueri gloriosissimi, & pulcherrimi; & ex tunc, quamuis diu vixerit, numquam stimulos carnis sensit, sicut ipse morti vicinus fratribus aliquibus reuelauit.

Effect' subsecutus ostendit, illā apparitionem fuisse miraculosam.

¶ Contigit autem, quod cum quidā Frater Conuersus, &c.] *Ex effectu subsecuto apparet factum hoc fuisse miraculum, ac tanto quidē maius, & Illustrius, quanto animi ægritudines, & morbi præsertim diuturni, & inueterati, qualis fuerat huius Fratris Conuersi venerea affectio, corporis morbis solent esse grauiores, & curatu difficiliores, & propterea Rotæ Auditores deputati in relatione Canonizationis B. Raymundi, part. 2. artic. 10. factum hoc, miraculo deputandum censuimus.*

Quomodo contingant huiusmodi apparitiones in hoc Sacramēto.

Qua autem ratione in hoc Sacramento hæc appareant, præclarè docuerunt S. Thomas, par. 3. quæst. 76. artic. 8. vbi Caietanus, & post ipsum Franciscus Suarez, disputat. LV. Sect. 1. & 2. & communiter Doctores Scholastici, lib. 4. Senten. distinct. 10. vbi Dominicus Sotus, q. 1. artic. 8. & Michael.

& Michaël de Palacio disputat. 3. conclus. 9. Richardus, artic. 5. quæst. 2, Marsilius q. 7. art. 3. dubio 5. Dionisius Carthusianus quæst. 4. Aegidius Romanus Theoremate. 23. & alij, quos longum esset recensere.

Grauis concertatio est, & difficultas humani intellectus acumen longè superans, an, quando post consecrationem, idest conuersionem panis in corpus Christi, & vini in sanguinem, opere mirabili, apparet in Hostia puer, vel caro, vel in Calice sanguis, ibi sit Christus, vel vera caro Christi, & Sanguis? in qua licet Alexander de Ales, in Summa, part. 4. De Sacramento Eucharistiæ, q. 11. circa finem, §. Consequenter quæritur, quid sit illud, quòd quandoq. apparet in specie carnis, vel pueri. *Cui videtur adhærere Gabriel super canone Missæ, lectione 51. & quidam alij sentire videntur, illam esse veram carnem, & verum Christi sanguinem.* Diuersæ Theologorum sententiæ de huiusmodi apparitionib.

Nihilominus Sa. Thomas, reliquumque Theologorum agmen, tùm præcitatis locis, tùm alibi, miraculi veritate remanente, aliud opinantur: omnes tamen de re tàm mirabili agentes, modestissimèque loquentes, diuinæ sapientiæ libenter subijciunt pondus rationum humanarum; Quidquid verò sentiendum sit de tàm alto, ac impenetrabili Misterio, illud certum est, istas ostensiones, & apparitiones, quando non contingunt humanā procuratione, & forte illicita, vt indicato loco dicit Alexander de Ales, miraculosas esse, & à Domino prouenire, quod tunc potissimùm fateri oportet, quando aliquis supernaturalis subsequitur inde effectus, vt quòd dubius aliquis, & vacillans in fide roboretur: peccator conuertatur: vel à prauo aliquo affectu, aut consuetudine peccandi liberetur, quemadmodum huic Conuerso contigisse hæc narrat historia.


Quid verò fieri oporteat, cùm eiusmodi miracula, & apparitiones contingunt in Eucharistia, aut Calice consecrato, latè explicat Gabriel, lect. 51. super Canone Missæ.

Postremò aliquot similes apparitiones, & miracula, quæ valdè conducunt ad fidei Catholicæ corroborationem, peccatorumque conuersionem, & consolationem recenset Cæsarius Cisterciensis, lib. 9. Illustrium miraculorum, qui est de Eucharistia. cap. 1. 3. & multis sequentibus, quem, quantum possum, lectoribus suadeo, vt diligenter, & humiliter legere curent.

De ora-

De oratione communiter facta, & eius efficacia. Cap. XXVII.

Raymundo deuotè orãte, frequenter desideratus opeorationis sequebatur effectus.



Vando vero aliquis ex deuotione, & confidentia ipsius, vel fratrum petebat orationum suffragia, siue pro infirmitate, siue necessitate aliqua emergente, tunc fratribus omnibus pariter congregatis prosternens se cum fratribus humiliter ad orandum, taliter exemplo suo ad deuotionem cæteros inflammabat, quod ad lachrymas, & fletum interdum plures socios acquirebat: & frequenter compertum est, quod petitionem sic factam, desideratus effectus continuo sequebatur.

Modus, quo vtebatur Raymund⁹ in oratione.

¶ De oratione communiter facta, &c.] *Quo mentis affectu soleret vti Raymundus in oratione secreta, supra docuit auctor, cap. 20. quæ autem hoc loco commemorantur, ad eiusdem pertinent orationis affectum, quando communiter cum alijs Fratribus sibi erat orandum.*

Notandus verò est Raymundi orantis modus, & affectus in ijs potissimum consistens, in humili corporis ad terram deiectione, in ardenti deuotione, in lachrymarum profusione, quæ ardentis charitatis conatum demonstrabant.

In hac communi oratione, quo silentio, qua deuotione, quo in Deum spiritu, vterentur cænobitæ apud Aegyptios luculenter explicat Ioannes Cassianus, lib. 2. de institutis Renuntian. cap. 10.

Num stando, aut humi procidẽdo, orãdum sit.

¶ Prosternens se cum Fratribus.] *cænobitæ, & monachi apud Aegyptios, maiorem temporis partem stantes in supplicatione expendebant, & puncto breuissimo humi procidentes, velut adorantes tantum diuinam clementiam, summa velocitate consurgebant, ac rursus erecti, expansis manibus eodem modo, quo prius stantes orauerant, suis precibus intentius immorabantur, vt testatur Ioannes Cassianus, lib. 2. de institutis Renuntian. cap. 7. vbi addit causam veteris illius instituti: quoniam humi diutius procumbentes non solum cogitationibus, verum somno grauius contingit orantes impugnari.*

Nos


Nos cum oramus humi frequentius procidere solemus, ac omissis precibus, & orationibus illis, quibus cum incumbimus ex instituto Ecclesiæ, aut legitima præcautione præfinitur est certus orandi modus; cum alias oramus, is nobis modus retinendus est, quo intentius deuotiusq. mentem in Deum, sanctosq. dirigamus, siue humi procidentes, siue stantes, siue in genua prolapsi constituamur: quod cum secreto oramus, minus scrupulose facere licebit.

¶ Desideratus effectus continuo sequebatur.] *Finis orationis est, exauditio, & consequutio eius, quod in oratione petitur. qua de re Ioannes Cassianus collatione. 9. cap. 31. luculenter scribit in hæc verba;* cum orantes nos nulla interpellauerit hæsitatio, & fiduciam petitionis nostræ quadam desperatione deiecerit, sed obtinuisse nos in ipsa orationis effusione, quod poscimus, senserimus, non ambigamus preces nostras ad Deum efficaciter penetrasse: Tantum enim quis exaudiri, atque obtinere merebitur, quantum, vel inspici se à Deo, vel Deum crediderit posse præstare: irretractabilis namq. est Saluatoris illa sententia: Quæcumq. orantes petitis, credite, quia accipietis, & fiet vobis. *Hactenus Cassianus.*

Quis sit orationis finis.

Mar. cap. 11

De studio, & diligentia circa consilia. Cap. XXVIII.



Ectioni vero sanctarum scripturarum, quando sibi vacabat, studiose intendebat, & doctorum scholas in Conuentu legentium libenter, & humiliter frequentabat.

Raymund⁹ lectioni sacræ studiosè dat operam.

Quãdo verò quæstio de iure quæreretur ab eo, casu aliquo emergente, quamuis illam multoties pertractasset, & etiam alias determinasset; nihilominus ad cautelam libros perlegens diligenter, vel faciens sibi legi, opiniones aliorum circa illam quæstionem, volebat legere, vel audire; & tandem post inuestigationem diligentem, cum grauitate, & maturitate circunspecta, & prouida respondebat.

Consultus de aliquo casu, non pri⁹ respondet, quã libros euoluat.

Hanc

Hanc vero gratiam in consilijs obtinuit a Domino specialem, quod fere omnes, qui ad eum veniebant pro causa huiusmodi, tam benigne suscipiebat, tam dulciter alloquebatur, & eis tam sapienter, & prouide respondebat, quod recedebant ab eo finaliter consolati: nam lucebat in eo gratia diuina.

Lectioni sacrarum litterarum incumbendū.

¶ Lectioni verò sanctarum scripturarum, &c. *Qui Christum ignorare formidant, studia Scripturarum sanctarum amant: quoniam, vt inquit Hieronymus in proemio ad Esaiam, sacrarum scripturarum ignoratio, Christi est ignoratio. idemq. in proœmio Epistolæ ad Ephesios clamat diuinitus, multò melius esse sacras scripturas legere, quàm augendis, & cumulandis opibus inhiare; harum enim beneficio pressuras, & turbines mundi æquo animo ferre discimus; per has Deum cognoscimus; & quare creati sumus, non ignoramus; Diuina præcepta intelligimus; Dei beneficentiam, & misericordiam proprijs quasi oculis intuemur; ingentia parata bonis præmia, & malis dignas pænas constitutas cernimus. Hinc factum est, vt omnes Cœnobitarum, Anachoretarum, Eremitarum, Monachorumq; primi magistri, fundatores, & institutores lectionem Sacrarum Scripturarum præceperint, aut maxime persuaserint; & S. Benedictus in Regula, cap. 4. inter instrumenta bonorum operum posuerit lectiones Sanctas libenter audire; quo loco à Ioāne Turrecremata tractatu. 41. multæ recensentur vtilitates, quæ ex lectione sacrarum Scripturarum, percipiuntur, in quibus hæ præcipuæ habentur.*

Multas vtilitates, & cōmoda præstat lectio sacrarū scripturarum.

pri. vtilitas. *Prima est productio bonorum fructuum. Dauid Psalm. 1. De Viro bono meditante legē Dei;* & erit tanquàm lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.

sec. vtilitas. *Secunda est inflammatio cælestis desiderij. verba enim Diuina sunt velut ignis. Hieremiæ, cap. 5. Hinc Gregorius.* Stude quæso, & quotidie verba creatoris tui meditare, vt mens tua ad cælestia gaudia maioribus desiderijs accendatur.

ter. vtilitas. *Tertia est, confirmatio debilium, & infirmorum contra tentationum procellas: Hinc Gregorius:* Scriptura narrat gesta Sanctorum, & ad imitationem prouocat corda infirmorum, dumque illorum victricia commemorat contra vitiorum prælia, debilia nostra confortat.

quar. vtilit. *Quarta est instructio contra Dæmonū insidias. Nam in Scripturis sanctis prospicimus fraudes Dæmonum, vt eas, si volumus facilius vitare possimus:*

Quinta est cognitio sui ipsius. Hinc Gregorius. Scriptura sancta oculis mentis, quasi speculum quoddam opponitur, & interior nostra facies in ipsa videtur: ibi fœda nostra, & pulchra nostra cognoscimus: ibi sentimus, quantum proficimus, & a profectu, quantùm longè distamus. Quinta vtilitas.

Sexta est conuersatio cum Deo. Vnde Ambrosius. Christum alloquimur, dum oramus: ipsum audimus, cùm diuina oracula legimus. *& Isidorus.* Qui vult cum Deo esse, frequenter oret, & legat: nam cùm oramus, ipsi cum Deo loquimur: cum verò legimus, nobiscum loquitur. Sexta vtilitas.

Septima est Animæ refectio: sunt enim diuini libri, quasi vberrima Pascua, quibus animus, & mens nostra reficitur. Vnde Isidorus. Scripturarum altitudo montes Pascuæ sunt, ad quos, cùm quisq. iustorum conscenderit, Pascuę indeficientis refectionē inuenisse se gaudet. Septima vtilitas.

Octaua est officina salutariū remediorum. Hinc Ambrosius. Sacra scriptura salutem suggerit: vitæ odorem fragrat, vt suauitatem legens capiat, non præcipitij crimen incurrat. Octaua vtilitas.

Nona est consolatio in tribulatione, nam in Scripturis Sanctis frequentes continentur consolationes pro bonis, vt in libro Tobiæ, & primo Machabeorum, cap. 12. ibi Habentes solatio libros Sanctos in manibus nostris. *inde Gregorius.* Ad consolationem vestram Sacra Scriptura præparata est; tantò ergo debemus magis legere, quanto nos conspicimus sub tribulationum fasce lassari. Nona vtilitas.

Decima est Animæ illustratio, & quasi repletio. libri enim aliarum sciētiarum licet illuminent intellectum, non tamen accendunt affectum; diuini verò libri vtrunq. præstant. Inde Isidorus. Geminum confert donum lectio Scripturarum Sacrarum: siuè quòd intellectum mentis erudit, siuè quòd à mundi vanitatibus abstractum hominem ad amorem Dei perducit. Decima vtilitas.

Vndecima est directio peregrinationis vitæ præsentis. Hinc Isidorus. Lectio sancta docet, quid caueas: lectio ostendit, quò tendas: lectione hac sensus augetur, & intellectus. Vndecima vtilitas.

Duodecima, & vltima vtilitas est cohibitio carnalium desideriorū. Hinc Hieronymus. Ama Sacras lectiones, & carnis delicias non amabis. Duodecima vtilitas.

Huc etiam spectant, quæ Ioānes Cassianus commemorat de studio sacrarum litterarum, tum lib. 5. de institutis Renuntiantium, cap. 34. tum collatione. 8. cap. 3. & 4. & collatione. 16. cap. 10. & 11. tum alibi sæpe.


Ac propterea Beatus Raymundus tam auide sanctarum scripturarum studio incumbebat, & magistrorum in Monasterio legentium scholas frequentabat: quod tanti viri (qui publice Bononiæ in Gymnasio docuerat) valde humilitatem commendat.

Viri prudẽtes in cõsilijs dandis quid obseruare debeãt

¶ Quando vero quæstio de iure quæreretur ab eo, &c.] *Hoc loco proponitur quasi speculum, quod intuentes consulti super rebus dubijs tuta, sanaq. consilia reddere possint consulentibus; quod his fere præceptis continetur: primo, vt factum, super quo inquiritur, cum suis circunstantijs optime intelligatur: altero, vt diligenter peruestigetur, vtrum de quæstione proposita aliquid in specie, siue in terminis (vt nostri loquuntur) alicubi doctores pronuntiauerint: tertio, an super ea re dubia doctorum discrepantes sententiæ reperiantur: quarto, cum diuersæ opiniones intercedunt, illa eligenda est, quæ firmioribus rationibus nititur, & magis ad lucem veritatis accedere videtur: quintò, modestè, & maturè, non leuiter, aut præcipitanter respondendum est. Quoniam vt prudenter scripsit Seneca in libro. De Beneficijs. velox consilium pœnitentia sequitur. Has omnes prudentis consiliarij conditiones prudenter, & religiosè seruabat Beatus Raymundus; cæteras, quæ non sunt præsentis speculationis latè pertractarunt tùm antiqui Philosophi Plato, & Aristoteles, tùm etiam Christiani Doctores, in quibus sunt recentiores Iacobus Simancas. lib. 6. De Republica. Federicus Furius Ceriolus tract. de Consiliario, Petrus Gregorius Tholosanus lib 24. De republica. cap. 6. & latè Bartholomæus Philippus tract. D. consilio, & consiliarijs Principum discursu. 6.*

De Zelo fidei præcipue circa infideles. Cap. XXIX.

Raymundũ admirantur & venerantur etiã infideles.



NFideles etiam Iudæi videlicet & Sarraceni honestatis eius excellentiam admirantes, & dulci, ac rationabili alloquio delectati circa eum deuotionem specialẽ, & reuerentiã exhibebant. Pro quorum conuersione procuranda totus erat charitatis incendijs inflammatus, & super hoc sibi quædam visio mirabilis diuinitus est ostensa; in qua sibi est à Domino reuelatum, quod per fratres ordinis Prædicatorum deberet inter gentes infideles multorum conuersio ad fidem catholicam procurari; propter quod magis ac magis accensus cum licentia Magistri ordinis, & cum auxilio Domini

Visio diuinitus Raymundo ostẽsa super infideliũ conuersione p fratres Prædicatores.

mini Regis Castellæ, & Domini Regis Aragonum, studium linguæ Arabicæ fieri procurauit; in quo viginti fratres ordinis Prædicatorum, vel plures, in lingua illa per ipsius diligentiam sunt instructi, ex quo fructus maximus est sequutus. nam plures quã decem millia Sarracenorum à fratribus, eis prædicantibus sunt conuersi; & inter Sarracenos de Hispania, & etiam in Africa, diuulgata est veritas fidei Christianæ, & iam taliter approbata, quod multi eorum præcipue sapientes dispositi sunt ad suscidam fidei Catholicæ veritatem; & magistri in lingua scilicet Arabica, fere omnes per ipsorum industriam sunt conuersi. In lingua etiam Hæbraica cum ipsius auxilio, consilio, & fauore, Fratres aliqui taliter sunt instructi, quod possent Iudæorum conuincere malitias & errores; qui iã non possunt sicut hactenus consueuerant, audacter negare textum verum, & glossas suorum sapientum antiquorum, cum sanctis nostris in ijs, quæ ad fidem Catholicam pertinent, concordantes: Falsitates insuper & corruptiones, quas in Biblia in locis pluribus inseruerant, (ad occultanda misteria Passionis, & cætera Sacramenta fidei) falsarij veritatis, per scripturas eorum authenticas, reuelantur; quod est ad eorum maximam confusionem, & confirmationem fidei Catholicæ.

Raymund' studium linguæ Arabicæ instituit ad Sarracenos conuertendos.

Raymund' studium linguæ Hebraicæ instituit ad Iudæos conuertendos.

¶ Infideles etiam Iudæi videlicet, & Sarraceni, &c.] *Insignem hunc locũ de studio Raymundi in conuertendis Iudæis, & Sarracenis in Hispania tunc commorantibus, Leander Albertus, & cæteri ferè recentiores eum secuti in vita eiusdem beati viri omiserunt, ac solus integrum totidem verbis Hispano sermone conceptis, retulit Magister Saluador Pons ordi-*

 nis Præ-

nis Prædicatorũ in libello nuper edito de Vita, & Miraculis Raymũdi c.8.

An id negligentia in peruestigandis antiquitatis monumentis, vel Iniuria temporum contigerit, quia cùm laterent in locis, & archiuis reconditis, difficulter haberi poterant. parum refert prolixius indagare, dummodò intelligatur, hanc rem inter primarias Raymundi actiones, esse numerandam. Quæ vt facilius intelligatur, breuiter potius indicando, quàm copiosè docendo referendum est, quo primum tempore Iudæi, quo item Sarraceni in Hispaniam commigrauerint.

De aduentu Iudeorum in Hispaniam.

Iudæi etiã antè Domini aduentũ in omnibus orbis prouincijs habitabant.

DE *aduentu Iudæorum in Hispaniam variè sentire licet: primum eos in eam profectos prouinciam ante Christi Domini aduentum; nam in ipso aduentus, ac Ascensionis in Cælum tempore, in omnibus orbis Prouincijs habitasse notum esse videtur ex sacris litteris, cum Actu. Apostol. cap. 2. ita scriptum sit:* Erant autem in Ierusalem habitantes Iudæi viri Religiosi ex omni natione, quæ sub cælo est. *Quamuis ex omnibus Sanctus Lucas præcitato loco xvi. tantùm enumeret, nimirum Parthos, Medos, Elamitas, habitantes Mesopotamiam, Iudæam, & Cappadociam, Pontum, Asiam, Phrygiam, Pamphiliam, Aegyptum, Libyam, Cyrenenses, Romanos, Cretenses, & Arabes.*

Philo prætereà Iudæus, qui illis ipsis temporibus viuebat, Iudæos non in Palestina tantùm, sed in Asia, Africa, & Europa magno numero habitare consueuisse in libro contrà Flaccum non procul ab initio docet his verbis. Iudæos vna regio non capit propter hominum multitudinẽ: quamobrem plurimas, ac fortunatissimas vrbes in Europæ, Asiæq. prouincijs, ac insulis incolunt, pro Metropoli habentes Sanctam ciuitatem, in qua templum altissimo Deo sacratum est: auitas autem, proauitasq. sedes colentes tamquàm patriam, vbi nati, educatiq. sunt: in quibusdam etiàm mox, vt conditæ sunt, immigrarunt in conditoris cuiusq. gratiam. *Hactenus Philo.*

Qui eodem loco paulò anteà refert, non minus, quàm decies centena millia Iudæorum habitasse Alexandriam, totamq. regionem, quanta patet à Catabathmo Libyæ vsq. ad terminos Aethiopiæ.

Idem in libro de legatione ad Caium Cæsarem, cum illius clementiam pro Iudæis deprecaretur, & fidelitatem pietatemq. Iudææ gentis erga ipsum, cæterosq. Cæsares suos progenitores proponeret, dum per omnes orbis partes, quas incolebant Iudæi, suam decantandam gloriam ostenderet, aliarumq. plurimarum ciuitatum conciliaturum sibi beneuolentiam doceret, satis apertè indicauit Iudæos tunc omnes Asiæ, Africæ, & Europæ repleuisse vrbes, & oppida. Verba autem Philonis ità habent. Pro

sancta vero ciuitate, patria mea, hæc afferre licet, eam esse Metropolim non vnius regionis Iudææ, sed & multarum propter colonias inde olim deductas, vel propius in finitimam Aegiptum, Phœnicem, Syriam, tùm cæteram, tùm eam, quæ Cœle cognominatur: vel longius in Pamphiliam, Ciliciam, plerasq. Asiæ partes vsq. in Bithyniam, & Ponti sinus intimos, pari modo in Europa Thessaliam, Bœotiam, Macedoniam, Aetoliam, Atticã, Argos, Corinthumq. Peloponesi partes præcipuas; nec tantùm continentis prouinciæ plenæ sunt colonijs Iudaicis, sed & Insularum celeberrimæ Eubœa, Cyprus, Creta, ne quid dicam de Trãseuphratensibus: excepta enim parua parte Babylonis, & aliarum præfecturarum, omnes vrbes, quæ bonum agrum habent, à Iudæis incoluntur. Itaq. si exorat mea patria tuam clementiam, præter ipsam alias ciuitates demereberis plurimas sitas in diuersis orbis tractibus, Asia, Europa, Africa, Insulares, maritimas, mediterraneas. *Hactenus Philo.*

Atq. hæc quidem ità se tunc habere potuerunt, Iudæis spontè sua in diuersas prouincias (quos propter multitudinem sola Palestina capere non poterat) commigrantibus:

Posset etiam affirmari eos in Hispaniam fuisse profectos non sponte, sed postquam à Romanis imperatoribus Roma pulsi, & in exilium acti, nouas quærere sedes sunt coacti:

Iudæi an sponte, vel postquàm fuerunt in exiliũ acti, in Hispaniã venerint.

Constat enim, eos à Tiberio Cæsare, exilio relegatos, de quò ità scribit Suetonius Tranquillus in Tiberio, cap. 36. Externas ceremonias, Aegyptios, Iudaicosq. ritus compescuit: coactis qui superstitione ea tenebantur, religiosas vestes cum instrumento omni comburere. Iudæorum iuuentutem per speciem Sacramenti, in prouincias grauioris cæli distribuit: reliquos gentis eiusdem, vel similia sectantes vrbe submouit sub pæna perpetuæ seruitutis, nisi obtemperassent. *Hactenus Suetonius, cui consentit Cornelius Tacitus, lib. 2 Annalium & Iosephus, lib. 18. Antiquitatum Iudaicarum, cap. 5. cõtigit autem hoc Iudæorum exilium sub Tiberio, Iunio Sylano, & Norbano Flacco consulibus, vt habet præcitato loco Cornelius Tacitus, idest Anno Iesu Christi, 21.*

Romani Imperatores sæpè Iudæos exilio relegarunt.

Claudius item Imperator Iudæos iterùm Roma expulit, de quo ita scribit Suetonius in Claudio, cap. 25. Iudæos impulsore Chræsto assiduè tumultuantes Roma expulit; *Tranquillo consentit Orosius, lib. 7. cap. 6. Sed de hoc Iudæorum exilio certius testimonium extat in sacris litteris, Act. Apostol. cap. 18. vbi Sanctus Lucas agens de Pauli aduentu Corinthum, meminit de Aquila Pontico Iudæo genere, sed fide Christiano; quem dicit nuper venisse ex Italia cum vxore Priscilla, eo quòd præcepisset Claudius*

set Claudius discedere omnes Iudæos à Roma.

An Christiani simul cū Iudæis fuerunt in exiliū acti.

Placet autem, quod animaduertit D. Cardinalis Baronius, tom. 1. Annal. anno. 51. in principio. Simul cum Iudæis tunc Christianos etiam fuisse in exilium actos; cum enim Petrus Euangelium Romæ prædicaret, eiq. acriter Iudæi resisterent, ac propterea inter vtrosq. assiduæ concertationes propter Christum, quem prædicabat Petrus, & negabant Iudæi orirentur, Claudius eam litem inter Christianos, & Iudæos, & Vrbem Romam illis controuersiis exilio vtrorumq. dirimendam, & liberandam censuit.

Iam hoc exilium nono Imperij Claudij anno, Pompeio, & Verannio Consulibus, idest, anno Christi 51. contigisse memoratur.

Iam, quamuis ex his, quæ scribit Lucas Tudensis in Vitiza, eo regnante in Hispania anno Christi D.XX. Iudæi in eam profecti videantur Vitiza enim, vt Tudensis scribit, iniquitatem super iniquitatem addens Iudæos ad Hispanias euocauit; verius tamen est eam non fuisse nouam vocationem, sed reuocationem, potius ab exilio, quo eos anno fere DC. XV. mulctauerat Rex Sisebutus, nisi Christi fidem amplecterentur; & propterea longe iam antea illos eam Prouinciam incoluisse, vt apparet ex ijs, quæ docet Ioannes Mariana, lib. 6. cap. 3. de rebus Hispaniæ.

Iudæi quo tempore in Hispania publicè habere cæperint sinagogas.

Petrus Antonius Beuterius, lib. 1. Chronicor. Hispaniæ, cap. 24. Quem refert, & sequitur Ioannes Vaseus in Annalibus Hispaniæ sub anno 137. affirmat Iudæos ab Hadriano Imperatore bello Iudaico captos in Hispaniā fuisse in exiliū missos; atque ex eo tēpore vsq. ad tempora Catholicorum Regum Ferdinandi, & Isabellæ publicas in Hispania Iudæorum fuisse synagogas, quod nos eo potissimùm nomine, neque approbamus, neq. improbamus; quoniam ex superioribus satis probabiliter videtur posse persuaderi etiam ante illum annum 137. vt in reliquas orbis prouincias, ita etiam in Hispaniam transmigrare potuisse.

Et quanquàm liberum in hoc lectori iudicium relinquamus, illud tamen affirmate asserimus, Iudæos tempore Constantini Magni ad annos Domini 320. iam Hispaniam inhabitasse, quoniam in Concilio Eliberitano quod Era 362. hoc est anno Domini 321. in Hispania traditur celebratum, canone. 50. decretum extat, nec is Clericus, vel fidelis sub pæna excommunicationis cum Iudæis cibum sumeret.

Non me latet Ferdinandum de Mendoza virum, & generis nobilitate, & litteris plane insignem, lib. 1. De Confirmando Concilio Eliberitano ad Clementem. 8. cap. 2. id Concilium vetustius fuisse Nicæno asseruisse, & anno Domini 300. vel 301. fuisse coactum, sed nunc ideò prædicto anno actum pronnnciaui, quod notatum repererim eodem tempore, quo Nicænam Synodum, fuisse habitum.

His ità constitutis ad Institutum reuertentes, quāuis incertum esset, quo potissimum tempore Iudæi in Hispaniam venerint, illud tamen certum est, eos ab

eos ab antiquissimo tempore, multas vrbes illius Prouinciæ, & Castellæ præsertim quæ fertiliores, & fæcundiores agros habet, inhabitaße, quod tùm ex prædictis, tum ex his legibus, quæ de Iudæis, & circa Iudæos sancitæ extant, fit manifestum. Nam in libro legum à Gothis Regibus vetusto idiomate Hispano conscripto, quem Hispani etiam nunc Fuero Iuzgo. *Vocant multa sanciuntur ad Iudæos in officio continendos, regendos, & gubernandos, vt constat ex toto libro. 12. promulgato: Era 671. idest anno Domini 633. quibus deinde legibus successerunt aliæ multæ meliori ordine digestæ, partita 7. tit. 24. De los Iudios.*

Et quamuis Iudæis conuertendis Pij Hispaniæ Reges diligentem operā per viros Ecclesiasticos adhibendam curauerint, vt constat tùm ex Annalibus Hispanorum, tùm ex Concilijs in Hispania celebratis, præsertim verò Toletanis numquàm tamen omninò ad Catholicam sunt conuersi. Vnde cū vsq. ad Raymundi tempora, idest, annos 1270. adhuc in Hispania plures Iudæi remansissent, ille charitate accensus studium adhibuit, vt per viros Hebraicæ linguæ peritos conuerterentur, vt paulò post magis dilucide declarabitur.

Hispaniæ Reges sæpè curarūt, Iudæos ad catholicā fidē conuertere.

De Sarracenorum aduentu in Hispaniam.

DE Sarracenorum aduentu in Hispaniam non est obscurà apud nos Hispanos historia, atque vt rem late patentem breuibus complectamur, notum est ex Luca Tudensi vetusto Hispaniæ scriptore, Hieronymo Surita lib. 1. Annal. cap. 1, Antonio Beuterio, lib. 1. Chronicor. Hispaniæ, cap. 28. Ioanne Mariana lib. 6. de De Reb. Hispaniæ cap. 22. alijsq. compluribus tùm veteribus, tùm recentioribus scriptoribus, & præsertim ex Abulcacim Tariffio Abentariquio Arabe, qui cladis Hispanicæ (cui ipse interfuit) Historiam Arabice conscripsit (quam nuper nobis Hispanā dedit Michael de Luna eiusdem Arabicæ linguæ Regius interpres) Sarracenos ex Africa anno Domini 712. duce Tariffio, tranato Herculeo freto, in Hispaniam transiuisse, & duorum fere annorum spatio vniuersam occupasse.

Sarraceni anno 712. Hispaniam occuparūt.

Huius miserandæ cladis hæc causa memoratur; Rodericus tunc totius Hispaniæ Rex ex genere, & sanguine Gothorum, Florindam, (Cauā vulgus vocat) puellam pulchritudine præstantem, filiam Comitis Iuliani viri potentis, & iracundi ardenter amauit, & amatam violauit; illa grauiter indignata rem Patri detulit, & de iniuria sibi illata valdè conquesta est. Iulianus Pater, qui proxima Herculeo freto oppida, & Africæ propinqua incolebat, rem nefariam aggreditur, & perficit. In Africam enim mox transfretat, consilia sua nefaria cùm Muza Africæ præfecto communicat. facilem Hispaniæ totius inuasionem, direptionemq. promittit, & denique cum

Causa Hispanicæ seruitutis ob violatā Florindā à Rege Roderico orta.

cum Rege Arabie Miramamolino Almanzorio, qui vniuersam Arabiam, Africamq. imperio tunc premebat, re communicata: ille tam diuite præda sibi promissa delectatus copiosum militem conscribit, classemq. bene munitam suppeditat, ac Tarissium virum consilio præstantem, & bello fortem expeditioni præficit: is simul cum Iuliano proditore numerosum Sarracenorum, Arabumq. exercitum classe impositum in Hispaniam ducit, ac cum Roderico Rege aliquot diebus continuis acriter præliatur: plurimi vtrinq. cæduntur: deniq. victoria Sarracenis, & Arabibus fauente, Rodericus fuga sibi consulit, sed nunquàm amplius, nec viuus, nec mortuus est visus; Sarracenis victoria exultantibus, & celeriter Hispaniam vniuersam percurrentibus cedunt passim oppida, ciuitates, Prouinciæ, vt pote, Rege carentes. neq. enim tantis cladibus, & calamitatibus vndiq. prementibus conuenire proceres potuerunt, vt de præficiendo Rege deliberarent. Rodericus enim Rex sine prole decesserat, & Pelaius princeps, iuuenis optimæ spei, qui rebus afflictis deinde opem ferre cæpit, quiq. solus de Regio sanguine ad regnum aspirare merebatur, periculis liberatus in Pyreneos se receperat.

Hispania breui tēpore à Sarracenis occupata, sed longissimo fuit ab eorum tirannide liberata.

Hac ingenti, & lachrymabili clade accepta, vniuersa Hispania breui temporis spacio in potestatem Sarracenorum redacta, longo tempore sub grani illorum iugo miserabiliter ingemuit, donec Pelaius princeps, & cæteri Castellæ Reges ex ea Prouincia, & Aragoniæ quoq. Reges ex illis Regnis paulatim expellere Sarracenos, & de Dominis seruos efficere, multo effuso Catholicorum sanguine conati sunt; quod tandem per Dei misericordiam, laboriosè, ægrè, & difficulter obtinuerunt, paulatim ea Regna recuperantes, quæ tàm breui temporis spacio Sarraceni occupauerant: ea enim recuperatio, & Sarracenorum vel expulsio, vel subiugatio in annos ferè octingentos producta est, id est vsque ad tempora Catholicorum Regum Ferdinandi V. & Isabellæ, qui tandem Granatæ Regnum è manibus Sarracenorum eripuerunt.

Regum, & populū peccata, & imprimis rerum Ecclesiasticarum cōtemptus, & obedientia Romano Pōtifici denegata Deū prouocarūt, vt Sarracenos in Hispaniam immitteret.

Cur tàm seuero iudicio Deus inclytam, ac Religiosam Hispaniam coercere voluerit, vt in tàm barbaræ, feræ, ac obscenæ gentis Sarracenæ potestatem deueniret, nonnulli Scriptores Hispani commemorant, sed nemo copiosius, aut apertius, quàm Lucas Tudensis, qui agens de Rege Vitiza, ob Regis, & populi flagitia, ob Ecclesiastica præcepta spreta, ob sacros Conciliorum Canones contemptos, ac violatos, & obedientiam Romano Pontifici denegatam, irascente Deo, id accidisse, testatur his verbis; Vitiza quidem probrosus, & flagitiosus fuit, & multa nefanda, & horribilia flagitia per Hispanias seminauit, & ad voluptates carnis, soluto impudicitiæ freno, se fornicationibus multis tradens contulit: & gentem Gothorum ad lasciuiam, luxuriam, & superbiam inclinauit; ac postposita omni Religione diuina, spretisq.

animarum

animarum medicamentis, cupiditas alienas res inuadendi, rapiendi, & luxuriandi, exercitum Gothorum inuasit. Sed & Episcopi, & Ecclesiæ ministri aspernabantur: Ecclesiastica officia pro nihilo habebantur; Synodalia, Ecclesiastica Sacramenta, & S. Patris Isidori instituta despiciebantur: Concilia, sacri Canones dissoluebantur, & quidquid honestatis erat, extirpabatur. Et ne aduersus eum insurgeret Sancta Ecclesia, Episcopis, Præsbiteris, Diaconis, & cæteris Ecclesiæ Christi ministris carnales vxores lasciuus Rex habere præcepit; & ne obedirent Romano Pontifici, sub mortis interminatione prohibuit. Istud quidē causa pereundi Hispaniæ fuit, sicut scriptum est: abundabit iniquitas, & refrigescet charitas multorum. *Hactenus Tudensis.*

Quod, si quis quærat cur, cum Vitiza peccauerit, Rodericus illius in regno successor fuerit tam acerbe diuina vltione, vindictaq. flagellatus, is intelligat Rodericum; vt in regno, ita quoq. in sceleribus Vitizæ successisse, neq. curasse, quæ ille deprauauerat, emendare. Nam Lucas Tudensis agēs de hoc Roderico ait, eum quidem, tamquam virum belligerum, & durum, & ad omne negotium expeditum consilio Gothicæ gentis ad regnum fuisse assumptum, vita tamen, & moribus Vitizæ non fuisse dissimilem.

Rodericus Rex qui, vt in Regno, ità in peccatis Vitizæ successerat, Deo irascēte punitur.

Quanquàm itaq. à Iudæis, & illicitis lucris, & nefarijs superstitionibus deditis, nihil vtilitatis, immò verò damni plurimum gens Hispana recepisset, nulloq. gratitudinis iure ad conferenda in illos beneficia teneretur; & à Barbaris Sarracenis, multis esset cladibus attrita, libertate propria, & bonis omnibus miserrimè spoliata, ac infinita etiam Hispanorum multitudo varijs tormentis cruciata, abnegata Christi fide, Mahometum pro Christo recipere esset coacta, & propterea in illos sæuire potuisset: Reges tamen Hispani hac fuerunt semper vsi pietate, vt Iudæos, & Sarracenos non vi, metu, aut armis, sed blande, & humaniter, prædicato eis Dei verbo, ad fidem Catholicam conuertere semper curauerint. Qua de re in legibus septipartis plene sancitum extat, partita. 7. tit. 25. de los Moros l. 2. & l. 3.

Hispaniæ Reges, quãuis ingētia damna à Iudæis, & Sarracenis acceпissent, piè tamen curarunt illorum ad fidem Catholicam conuersionem.

Quoniam verò in ea re, vel Episcoporum cura languerat, vel nondum erat excogitatum, qua potissimùm ratione, aut per quos ministros Euangelium esset Iudæis, & Sarracenis, Hispanorum idioma maiori ex parte ignorantibus, prædicandum, Beatus Raymundus, cui diuinitus fuerat reuelatum, multos infideles à Fratribus sui Ordinis conuertendos, diuinitus etiam, vt piè credendum est, hunc modum inuenit, vt vtriusq. linguæ Arabicæ, & Hebraicæ studium, id est, schola erigeretur, in qua xx. aut plures Fratres instituerentur, qui postquàm eas linguas didicissent, Sarracenis Arabicè; Iudæis verò Hebraicæ Euangelium prædicarent. Cæterum quoniam Raymundus, licet Diuina gratia diues, externis autem opibus pau-

B. Raymundus multũ adiumenti contulit ad conuertendos Iudæos & Sarracenos, erectis scholis harũ linguarum.

per eam linguarum scholam, seu fratrum Collegium, qui soli huic linguarum studio incumberent, alere non poterat, præsidio Regum Castellæ, & Aragonum id effecit. Quoniam autem id opus ad Dei potissimum laudem, & gloriam, quæ per conuersionem infidelium quærebatur, institutum erat, propterea mirabilem sortitum fuit effectum, cùm plusquàm decem millia Sarracenorum ad fidem Catholicam asserantur fuisse conuersa, & lux Catholicæ Fidei ei genti fulserit nedum in Hispania, sed etiam in Africa.

Studio fratrum Prædicatorũ Euãgeliũ Christi annũciãtium, infinita propè infidelium ag mina ad fidem Catholicam sunt conuersa.

Eandem reuelationem B. Raymundo factam de Iudæis, & Sarracenis, alijsq. infidelibus ad fidem Catholicam prædicatione fratrum Dominicanorũ conuertendis euentus subsecutus, à Deo immissam, veramq. fuisse demonstrauit; cum horum studio vbiq. terrarum prædicatum fuerit Christi Euangelium: & infiniti propè infideles vno parùm plus sæculo post Raymundum prædicatione S. Vincentij Ferrerij Valẽtini lucẽ veritatis videre meruerint.

S. Thomas a B. Raymũdo rogatus libros contra Gentiles scripsisse affirmatur.

Quòd verò scribit Vincentius Iustinianus Antistius tract. De B. Raymundo Canonizando, cap. 1. ex Petro Marsilio grauissimo illius sæculi scriptore in vita Iacobi primi Regis Aragonum, dignum est (cùm ad hanc actionem pertineat) vt supradictis adiungatur; nempè S. Thomam Aquinatem, cuius tunc Sanctitatis, & Doctrinæ fama Christianum repleuerat orbem à Raymundo rogatum vt aduersus Gentium errores peculiare aliquod volumen conscriberet, eum id aggressum præstitisse, librumq. contrà Gentiles scripsisse, adeò doctum, & vera doctrina munitum, vt nil doctius in eo genere possit reperiri.

Raymundi auctoritate erigitũ schola linguæ Arabicę, ad Sarracenos conuertendos.

¶ Studium linguæ Arabicæ fieri procurauit, &c.] Id est, scholam erigi curauit, in qua lingua Arabica à xx. saltem fratribus sui Ordinis perdisceretur. Erant autem illi fratres tùm ætate prouecti, tùm sacræ Theologiæ periti, ità enim suo iure postulabat Ministerium, cui destinabantur; nã cùm veritates Catholicas essent Sarracenis explicaturi, & errores sectæ Mahometanæ confutaturi, earum rerum peritiam habere eos oportebat.

Raymundi auctoritate erigitũ schola linguæ Hebraicæ ad Iudæos conuertendos.

¶ In lingua etiam Hebraica, &c.] Vt Iudæis Christi fides persuaderetur, & iam venisse Messiam in lege veteri promissum ostenderetur, Hebraica lingua perdiscenda fuit, quò facilius illius beneficio Biblici textus de aduentu Messiæ loquentes intelligerentur, & declararentur, ne possent Iudæi superbia tumentes, opponere prædicatoribus, linguæ Hebraicæ, & mysteriorum per eam significatorum imperitiam.

Concilii Viennensis decretũ de studio linguarum in præcipuis Europæ vniuersitatib'.

Atq. ex hoc Raymundi instituto non multis post annis profluisse putamus decretum Concilij Viennensis, quo sancitum extitit, vt in studijs, seu vniuersitatibus Romanæ Curiæ, & Parisiensi in Gallia, & in Oxoniensi in Anglia, & in Bononiensi in Italia, & in Salamantina in Hispania, constituerentur professores linguarum Hebraicæ, Arabicæ, & Chaldeæ periti, qui

qui linguas easdem docerent ad infideles conuertendos, exemplo Domini, qui ituros per vniuersum mundum ad Euangelizandum Apostolos, in omni linguarum genere fore voluit eruditos, vt latius continetur in Clemen. 1. De Magistris.

¶ Et glossas suorum sapientum antiquorum cum sanctis nostris, in his, quæ ad fidem pertinent, concordantes.] *Rabbini antiquissimi, qui studio indagandæ veritatis, glossas ad Biblia conscripserunt, in his potissimum, quæ ad Messiæ aduentum pertinent, nobiscum conueniunt, vt copiose docent, qui contra errores Iudæorum ex professo scripserunt; in quibus sunt Paulus Burgensis in Scrutinio scripturarum, Galatinus, Paulus de Heredia, & Plures alij: at postquam conuinci se animaduerterunt, ad falsitates sese conuertentes, Sacra Biblia in multis locis ad occultandam veritatem corrumpere sunt ausi, quod proditionis studium in Rabbinis recentioribus magis inualuit: ex quorum figmentis conflatum noscitur Talmud, vt multis impietatibus, & execrandis dogmatibus refertum, ità iusto Ecclesiæ iudicio sæpè damnatum, & abolitum.*

Rabbini antiqui, qui sanum tenuerunt sacræ scripturæ sensum, cum Christianis conueniũt: alii, præsertim recẽtiores, valdè lapsi sunt.

De his falsatoribus sacrarum Scripturarum sæpè contrà Iudæos conquesti sunt Ecclesiæ Patres, Augustinus, Hieronymus, Iustinus Martyr, & alij, quos refert Leò Castrus in disputatione De Translationib. Sacræ Scripturæ, & præsertim, cap. 18. qua in disputatione Doctor ille copiosè aperit, & confutat Rabbinorum dolos, fraudes, & falsitates, ac in primis, cap. 24. notat, quòd quamuis Scriptura Hebraica vitio librariorum fuerit mutata, semper tamen cauit Spiritus Sanctus, vt verus sensus remaneret; immò verò, quanquam Rabbini falsarij sollicitè procurauerint scripturã corrumpere, nunquam, quod desiderabant consequi potuerunt, quinimmò Diuina prouidentia putat factum S. Augustinus super Psalmo 58. vers. [Disperge eos in virtute tua] *vt Iudæi per vniuersum orbem dispersi, codices sacros haberent, per quos facilius conuerteremus, & conuinceremus Paganos. Verba Augustini ità habent.* Iam factum est: per omnes gentes dispersi sunt Iudæi, testes iniquitatis suæ, & veritatis nostræ. Ipsi habent codices, de quibus prophetatus est Christus, & nos tenemus Christum. Et si quando fortè aliquis Paganus dubitauerit, cùm ei dixerimus prophetias de Christo, quarum euidentiam obstupescit, & admirans putauerit à nobis esse conscriptas: de codicibus Iudæorũ probamus, quia hoc totum antè prædictum est: Videte, quemadmodum de inimicis nostris alios confundimus inimicos. *Hactenus Augustinus.*

Contrà Iudæos falsatores sacrarũ scripturarũ sæpè clamauerũt S. Patres.

Spiritu sãcto prouidẽte factum, vt ver^ scripturæ sensus semper remanserit.

De studio Raymundi contra Hæreticos.

Libet hic corollarij loco breuiter adnotare, quæ Raymundus ad extirpandos Hæreticos etiam duxerit suadenda, vt omni ex parte appareat, eum fidei Catholicæ propagationem vbiq. ardenter desiderasse.

Constat ex supradictis, cum in conuertendis Sarracenis, & Iudæis, diligentem operam impendisse, & curauisse etiam, vt Fideles, qui à Barbaris infidelibus capiebantur, redimerentur, ne abnegarent fidem Christi, vt explicabitur paulo post cap. 33.

Raymũdus Regi Aragoniæ suadet, ut in hæreditariis regnis, auctoritate Apostolica, sanctæ Inquisitionis officiũ cõstituat contra Hæreticos.

At, quoniam non satis erat, ista præstitisse, nisi Hæreticorum reprimeretur audacia, quorum veneno fides Catholica inficitur; propterea Raymundus in hoc etiam demonstrauit suæ sanctitatis zelum. Regi enim Iacobo eius nominis primo suasit, vt Pontificia auctoritate officium S. Inquisitionis in suis Regnis hæreditarijs institueret. Id Hieronymus Surita his verbis explicat. Scitu dignissimum est, virum hunc Sanctum Raymundũ spiritu boni zeli ad amplificandam Catholicam fidem, cùm multum opinione apud Regem valeret, cerneretq. Hæreticos ex Gallia in Cataloniã se recipere, procurasse, vt haberetur Inquisitio contra Hæreticam prauitatem in suo Regno, & in cæteris, quæ acquisiturus foret. *Hactenus Surita, lib. 3. Annalium, cap. 94. Quod etiam scriptum reliquit Petrus Marsilius in vita Iacobi Regis, lib. 4. cap. 47. vt testatur Vincentius Iustinianus Antistius tract. De B. Raymundo Canonizando, cap. 1. in principio.*

Valdenses Hæretici eo tẽpore insurrexerant in illis partibus.

Iam præcitato loco Surita eos hæreticos fuisse dicit Tolosates, Foxenses, & Carcassonenses, sed appellatione nimis generica, nos Valdenses, siue pauperes de Lugduno fuisse dicimus, de quorum auctore, origine, secta, & dogmatibus, latè egimus apud Eymericum in Directorio Inquisitorum, par. 2. quæst. 14. commentar. 39.

Concilium Tarraconẽse celebratur contra Hæreticos Valdenses.

Contra eosdem Hæreticos Valdenses, qui etiam inzabbatati dicebantur, circiter annum Domini 1240. celebratum fuit concilium apud Tarraconem, in quo præscripta fuit formula illos inquirendi, puniendi, & recipiendi ad catholicam reuertentes, salutaresq. pœnitentias eis iniungendi: cui, vt maior conciliaretur auctoritas, Raymundum Papæ pœnitentiarium interfuisse commemoratur, vt constat ex eodem concilio relato in Directorio inquisitorum parte 2.

De cura circa Neophitos diligenti. Cap. XXX.

Illi vero, qui de Sarracenorum, vel Iudæorum secta erronea conuertebantur ad fidem Domini Iesu Christi, ad venerabilem patrem fratrem Raymundum sic fiducialiter accedebant tamquam ad refugium singulare, ac si eos omnes in Domino genuisset. Quibus sustentationem vitæ à Regibus, & à prælatis Ecclesiæ obtinebat: & eis congratulando, in fide Catholica instruebat, confirmans, & ædificans eos doctrinis salutaribus, & exemplis.

Raymūdus cōuersos ad fidem pascit cibo corporali, & spirituali.

¶ De cura circa Neophitos, &c.] *non est satis conuertere infideles, nisi conuersis iam, & nostris effectis necessaria subsidia ministrentur: quæ quatuor potissimum regulis continentur. Prima est, vt alimenta necessaria conuersis præbeantur, ne fame compulsi, vel ad priorem sectam reuertantur, vel nostram Religionem blasphemēt. Huic autem rei Raymundus prouidebat conquisitis eleemosinis à Regibus, & Ecclesiæ prælatis, ad quos proprie hæc cura pertinet.*

Quid præstandū Neophitis ad fidem cōuersis.

Altera animæ alimenta respicit, vt scilicet Neophitis, id est, nouis plantis in Ecclesia Dei nascentibus, sufficiens institutio adhibeatur, quod fit per explicationem doctrinæ Christianæ, docendo eos fidei Symbolum, orationem Dominicam, & alia ad perfectam instructionem pertinentia, vt Sacris Canonibus sancitum extat.

Tertia est, vt Neophiti humaniter, & benigne recipiantur, & tractentur, non molestentur, non contumelijs afficiantur, sed bonore potius, & immunitate cumulentur.

Quinta, & postrema est, vt quàm diligentissime caueatur, ne saltem per longum tempus cum illis infidelibus, ex quibus conuersi fuerunt, conuersentur, ne sicut sæpe contingit ab infirmitate curatis, modica occasio ad pristinam perditionem recidiuos efficiat.

Hæc Raymundus perhumaniter præstabat, sanciueruntq. etiam lege lata Castellæ

ta Castellæ Reges partita 7.tit.25.l. 3. qua grauiter puniri iubentur, qui Neophitos iniurijs aut contumelijs afficiunt.

Paulus Papa IIT. cum optime intelligeret, quanti referret cum neophitis prudenter agere, egregiam super hoc articulo constitutionem ed idit Romæ anno 1550. eius initium est: Cupientes Iudæos, & alios infideles. *Habetur impreßa inter literas Apostolicas pro officio sanctißimæ Inquisitionis in fine directorij Inquisitorum.*

Quando factus est magister Ordinis Prædicatorum, quàm laudabiliter rexit eum. Cap. XXXI.

Raymund⁹ Magistereli gitur sui or dinis generalis, quem Sāctißime rexit.



DEfuncto autem bo.me. fratre Iordano secundo Magistro Prædicatorū Ordinis, fratres eiusdem ordinis iuxta suam consuetudinem pro eligendo alio Magistro, ad generale capitulū conuenerunt, & sæpedictum fratrem Raymundum electores omnes Spiritu sancti gratia inuocata, cōcorditer elegerunt. Et antiquiores eorum Barcinonem, vbi erat ipse, personaliter accesserunt; & eum licet renitentem, & se multipliciter excusantem, in Magistrum ordinis assumpserunt. Qui suscepti regiminis fideliter curam gerens, contemplationis solitæ non oblitus, sed semper eius inhians ad amplexus; humilitatis consortium non relinquens, iustitiæ seruans rigorem, misericordiæ non deserens pietatem, tantam seruabat in factis maturitatem, in victu parcitatem, in colloquio modestiam, in gestibus pudicitiam, in consilijs, & monitionibus circunspectionem, & in cæteris moribus honestatem, quod tam fratrum, quàm sæcularium factus est speculum, & exemplar.

¶ D functo

¶ Defuncto autem bo. me. fratre Iordano, &c.] *Consentiunt S. Antoninus, 3. par. chronicor. tit. 23. cap. 12. versic.* Tertius Magister. *& Leander Albertus, lib. 1. de Viris Illustribus Ordinis Prædicatorum, in vita huius Raymundi, & Ferdinandus del Castillo part. 1. Historiæ generalis S. Dominici, lib. 2. cap. 17. & alij hos sequuti.*

Contigit autem hæc electio anno Domini M. CC. XXXVIII. Raymundo tunc in LXIII. fere ætatis suæ anno constituto; natus enim fuerat, vt initio adnotauimus circiter annum Domini M. C. LXXV.

Iam, quomodo non sine peculiari Dei prouidētia Raymundus Magister Generalis sui Ordinis, electus fuisse videatur, & quid notatu dignum in eius electione contigerit, eleganter præcitato loco explicat Leander Albertus his verbis: Raymundus, vt erat mitis, ac naturæ compositæ, sic Religionis moribus ornatus, breui admodum tempore euasit, vt in conuentu Generali duodeuigesimo (quod Capitulum generale vocant) Bononiæ anno Domini 1238. celebrato omnium patrum consensu præsidentia, eo absente, totius Ordinis Prædicatorum dignus nominaretur, & approbaretur. Exordiar ab initio, vt rem seriatim narrem; placituram (puto) legentibus. Vita functo Iordane viro sanctissimo totius Prædicatorum Familiæ præsidente, ad interregem (vt veterum more Romanorum loquar) ventum est. Interrex (quem Vicarium generalem totius Ordinis Prædicatorum nostri dicunt) Magnus ille Albertus, vi, & iussu institutionum nostrarum creatus est. Tandem edicto Conuentu vniuersali duodeuigesimo, Bononiam electores conuenere, vt sibi, Ordiniq. aliquem præficerent. Huic Synodo duo inter cæteros (excepto Magno Alberto) viri, & moribus, & doctrina apprimè pollentes, videlicet Hugo de S. Theodorico, tunc præfectus Galliæ Prouinciç, postmodum Cardinalis Ecclesiç Romanæ, & Yuo Præfectus Prouinciæ Terræ Sanctç (hos enim Præfectos appellant Prouinciales Priores) interfuere. Ad certam diē omnes electores sub quadam porticu conuenerunt pro Præsidēte eligendo, datis ab omnibus suffragijs, pari lance certatum est. Porrò in duas se subdiuiserant partes, alij quidem Magnum Albertum, vtpote Germani, & Hugonem prælibatum Galli elegerant, cæteris partibus vtrisq. fauentibus. Iterùm atq. tertiò res incępta, in idem semper recidit. Animaduertentibus Patribus, electores insimul non posse conuenire, orationes indictę sūt ante parentis Dominici sacratissimum corpus. Sic igitur orantibus, mox extra se quidam positus, videbat omnes electores cubiculum exeuntes, in templo maximam columnam erigere, guttulis sanguineis purpuratam à summo vsq. deorsum attingentē,

verum

verum eum intuens frater lætaretur, exemplò signum electoribus datur, vt denuò ad electionem præsidentis conueniant. In primo itaq. scrutinio, cum Barcinonæ esset, patres ipsum vnanimiter, & concorditer elegerunt, cùm prius antehac nulla prorsus illius mentio fieret. Timentes verò, ne oblatam præsidentiã dictam aspernaretur, pari consilio miserunt Patres Hugonem, Bonifum Placentinum, Pontium de Sperra Præfectum Galliæ Narbonensis Prouinciç, Philippum olim præsidentem Syriæ, sed exauctoratum in dicta Synodo, Stephanum Hispanum quondam Lombardiæ Prouinciæ Præfectum, cum nonnullis alijs Patribus Barcinonam, vt suaderent Raymundo, vt acceptaret oblatam præsidentiam. Vt verò conuenerunt virum Dei apprimè rogabant, vt ceruicem flecteret, sed is secum magis exoptans habitare, quàm tam grandem subire Prouinciam, inexorabilem sese præbebat; Tandem tantorum virorum auctoritate, & rationibus suasus, inclinato capite, tantum onus subijt. *Hactenus Leander.*

In electione B. Raymundi miraculũ contigisse narratur.


In Archiuo conuentus S. Catharinæ Barcinonensis vetusta scriptura extat, quæ iam olim 1341. ab alia scriptura excerpta dicebatur, in qua visio supra narrata in electione B. Raymũdi miraculo adscribitur: habet enim præfixam huiusmodi inscriptionem: Miraculum factum in electione Magistri Fratris Raymundi de Peniafort.

Eam autem visionem fratrem Stephanum de Salamaco Lemouicensem, qui tempore electionis ibi aderat, memoriæ prodidisse, vt constat ex fine eiusdem narrationis verba. Assumpto ex hoc mundo ad Patrem, quasi per martyrij viam sanctissimæ recor. fratre Iordano secundo Magistro Ord. Prædicatorum B. Dominici successore, conuenerunt anno Domini 1238. apud Bononiam fratres, vt sibi Patrem, & Pastorem eligerent, & generale Capitulum celebrarẽt, in crastino ergo Pentecostes, sicut tunc moris erat in Ordine, ac statutum, inuocato deuotè Spiritu sancto, duxerunt fratres tàm de Prouincia Lombardiæ, quàm de Prouincijs alijs cum reuerẽtia, & timore electores ad Cameram, in qua erat instans electio celebranda: quibus conclusis, omnes ad Ecclesiam redierunt, & orantes, & deprecantes Dominũ, vt eis de Pastore idoneo prouideret: videres in Choro Ecclesiæ, præcipuè ante sepulchrum B. Patris nostri Dominici, alios flentes, alios alta suspiria emittentes, alios intra se, tanquàm columbas, gementes, omnes autem meditationi, ac orationi vacantes, nullum tunc vacantem, vel loquentem alicui, si etiam quæreres diligentius, inuenires. Stabat tunc quidam deuotus frater ante sepulchrum B. Patris, & facta

& facta manu Domini super eum, videbat visione quadam imaginaria electores omnes de Camera exeuntes, & ad Ecclesiam procedentes erigebant vnanimiter vnam columnam marmoreã, guttis quasi sanguineis à summo vsq. deorsum aspersam, quæ à solo Ecclesiæ vsq. ad tectum pertingens, totum reliquum ædificium sustentabat. Videbat dictus frater tunc fratres omnes, ac etiam sæculares innumeros concurrentes de erectione tàm preciosæ, ac speciosæ columnæ gaudentes, & gratias agentes Deo, cùm hæc videret, vix vnum nocturnum dixisses, ecce exeunt de Camera electores, & vocantes ad Capitulum fratres pronunciãt fratrem Raymundum de Penyafort cõcorditer ab vniuersis electum in Magistrum Ordinis fratrum Prædicatorum. Exultauerunt fratres de tàm Sancto, tamq. famoso viro diuinitus sibi dato, exultabant Scholares specialibus de tàm eximio, & excellenti viro Magistro. Ipsa die lectum est, Domino ordinante, illud Ioëlis in Refectorio: Filij Sion exultate, & lætamini in Domino Deo Nostro, quia dedit vobis Doctorem Iustitiæ; verè prædictus vir columna fuit marmorea in medio Ecclesiæ erecta, & sanguinis guttis aspersa, &c. Hæc verba fidelia sunt, & vera, qui præsens affuit, hæc scripsit, & dixit frater Stephanus de Salamaco Lemouicen. &c. *Hactenus ibi.*

S. Antoninus, parte. 3. Chronicor. tit. 23. cap. 12. & Leander Albertus in vita B. Raymundi affirmant illum Ordinis constitutiones; quæ prius erant dispersæ, & confusæ, in vnum volumen, prout nunc sunt, redegisse. Quod intelligo ab eo factum tempore, quo Ordinem rexit. Raymund' cõstitutiones suæ religionis in ordinem redegit.

De ipsius humilitate, qua magisterium resignauit, & de miraculis, quæ fiebant ad tactum vestimentorum eius. Cap. XXXII.



SEd humilitate suadente, considerans gratias aliorum, & suas infirmitates, & defectus quotidie suis oculis repræsentans, anxiabatur, quo modo posset absolutionis gratiam obtinere. fratres igitur diffinitores, & cæteros ad hoc ido- Raymund' renunciat Magisterio sui ordinis.

neos,& potẽtes inducens,& obſecrans pluribus inſtãtijs,opportunis,& importunis,abſolutionis,gratiam licet multis Fratribus renitentibus,& magno plorantibus eiulatu,vix tandẽ potuit obtinere. Obtenta igitur ſua intentione, cum ingenti gaudio rediens Barcinonem, & reſumens priſtinæ contemplationis tranquillitatem, & nihilominus ſalutaria conſilia, & pietatis opera proximis fructuoſa non deſerens, Religioſos, & ſæculares ædificabat ſalutaribus conſilijs, & exemplis. Diſtantibus etiam per longa terrarum ſpatia ſuæ laudabilis famæ fragrantia redolebat: adeo quod propter magnã deuotionem,& fiduciam, quam de ipſo conceperant, ad tactum veſtimentorum eius, abſentes de diuerſis infirmitatibus curabantur.

Per tactum veſtimẽtorũ Raymũdi adhuc viuẽtis multi curantur.

Raymund᷒ biennio tantùm rexit ordinẽ suũ.

¶ Sed humilitate ſuadente, &c.] *Leander Albertus in vita B. Raymundi rem hanc ita explicat:* verum biennio duntaxat hoc officio functus eſt: Quippe in Synodo prima generali ſub ipſo celebrato, quæ decima nona fuit, anno domini 1239. edidit legem, vt præſidens totius Ordinis Prędicatorum poſſet officio renuntiare coram patribus, (quos dicimus Diffinitores) & iſti obligarentur ceſsionem acceptare. Id quod tunc facere adnixus eſt, ſed minime potuit, eo quod Patres admittere ceſsionem noluere. Tandem in ſequenti anno, videlicet 1240. in Synodo vigeſima Bononiæ celebrata, ceſsionem petijt, corporis valetudinem allegans, & nonnulla alia; & cum plurimum hoc efflagitaret, tandẽ voti compos factus eſt, ob dictã legem in præcedenti anno editam. Quamobrem animaduertentes Patres ingentem perturbationem, quæ de facili ſuboriri poſſet in Ordine, ſi pro voluntate huiuſmodi præſidentes, ſeu Magiſtri Generales Ordinis, vulgo dicti, officio renuntiare poſſent, & ipſi eorum vota admittere tenerentur, lege ſancitum eſt, ne in poſterum eorum ceſsio admitteretur, niſi propter impedimenta perpetua; ſicq. lex illa abrogata. Raymundus igitur voti compos factus, læto animo Barcinonem redijt, ibiq. vitam egit ſanctiſsimam, & in ſtudijs aſ-

dijs aſ-

dijs assiduis, meditationibusque occupatam. *Hactenus Albertus.*

Leandrum Albertum sequutus Ferdinandus del Castillo. 1. par. Historia generalis S. Dominici, lib. 2. cap. 16. affirmauit Raymundum anno 1239 curasse ferre legem, qua liceret Magisterio renunciare, & anno mox sequenti in conuentu tunc habito, ipsum ea lege vsum, Magistratu se abdicasse. quod factum de lege priori anno sui Magistratus lata, eo nomine non probo, ne videatur suspicio suboriri, quòd fraudulenter eam ferri curauerit, quòd de viro Sancto suspicari non licet.

Quamobrem verisimilius est, quod S. Antoninus scribit 3. par. Chronicor. tit. 23. cap. 12. vers. tertius Magister. *nempe eum corporis debilitate grauatum simpliciter petiuisse Magistratus abdicationem, & quoniam inde subsecuta fuit Ordinis perturbatio, Patres constituisse, ne in posterum cessio admitteretur, nisi propter impedimentum perpetuum.*

Cōstitutio ne Ordinis cautum, ne renūciatio alicuius Magistri Generalis Ordinis admittatur, nisi ꝓpter perpetuum impedimentum.

Id quod etiam in vetustis monumentis Archiui Cōuentus Sanctæ Catharinæ Barcinonensis, vbi adnotata extant acta Capitulorum Generalium ab initio Ordinis Prædicatorum vsq. ad annum 1348. his verbis scriptum extat. Hic Raymundus, cùm per biennium rexisset ordinem, propter nimiam debilitatem sui corporis ad sui magnam instantiam fuit à Magisterio absolutus in Capitulo Generali Bononiæ celebrato anno Domini 1240. ex cuius absolutione secuta est tanta turbatio, quod statutum fuit, quòd Magistri cessio non admitteretur in posterum, nisi ob impedimenta perpetua. *Hæc ibi, vbi nulla est planè mentio de priori lege lata anno 1239.*

Raymund' propter corporis infirmitatē Magisterio renunciauit.

In eodem vetustorum actorum libro adnotatum extat, Raymundum superuixisse post cessionem Magisterij annis 35. in conuentu Barcinonensi, vbi tandem quieuit in Domino anno 1275. quod ipsum affirmant etiam S. Antoninus, & Leander Albertus præcitatis locis.

Annis, 35. vixit Raymūdus, postquam Magisterio se abdicauit.

¶ Ad tactum vestimentorum eius, &c.] *Ad tactum vestimentorum Christi per miraculum fuisse diuinitus curatam mulierem, quæ fluxum sanguinis duodecim annis patiebatur, scribit Matthæus, cap. 19. Marcus, cap. 5. & Lucas, cap. 8.*

Nedum ad tactum vestimentorum Christi, sed etiam vmbra B. Petri curatos fuisse infirmos scribitur, in Act. Apost. cap. 5. hoc autem ad insignem Sanctitatem indicandam pertinet.

Ad tactum, vestimētorum, & vmbram B. Petri fiebant miracula.

Sed isti miraculorum effectus dispari ratione à Christo, & à sanctis suis proficiscuntur; nam à Christo propria virtute fiebant miracula, vt præcitatis locis indicatur. virtus enim de illo exibat, & sanabat omnes: à Sanctis vero non fiunt miracula propria virtute, sed à Deo, per sanctorum tamen suorum intercessionem, preces, & merita, S. Thomas. 2. 2. q. 178. art. 2. quod paulo fusius explicatur in relatione Canonizat. B. Raym. p. 2. art. 4.

Quomodo à sanctis miracula fieri dicantur.

De *Macula faciei*. *Cap.* XXXIII.

Burgetà à maculà incurabili per Capellũ B. Raymundi sanatur.



Vrgeta Ferrarij Burgeti quondam filia, cum ab infantia sua maculā gestaret in facie, quæ totam vultus dispositionem turpiter deformabat, post multa, & varia super imposita sæpius medicamina deffornitatis illius diminutionem, quadam in parte suscepit; cum autem adolescentiæ annos attigisset, macula ipsius eodem in loco iterato subacta, defformitas totius vultus pristinam indecentiam reuocauit: cuius tanta fuit impresssio, quod iam nullo purgari poterat beneficio medicinæ. Auia vero huius capellum, quo frater Raymundus vti consueuerat, apud se deuotionis causa repositũ conseruabat; quod cum neptis percepisset, de meritis tanti Patris multa concepta fiducia, auiam rogare cœpit obnixe, vt ad tempus sibi copiam illius faceret, sperans per fratrem Raymundum accipere, quod per medicamina non valuerat obtinere. Quod auia eius approbans cum deuotione concessit. Mira res, cum nocte sequenti loco maculæ capello superposito, filia obdormiuisset, mane consurgens tam plene se liberatam inuenit, vt nullum vlterius defformitatis illius vestigium appareret.

Miracula, d quibus hoc capite, & duobus sequentibus, ad tertium miraculorũ ordinem referuntur.

¶ Burgeta Ferrarij Burgeti quondam filia, &c.] *Quod proximo superiori capite dictum fuerat de miraculis factis ad tactum vestimentorum B. Raymundi propositis exemplis demonstratur. Hoc capite de Macula faciei mundata. cap.34. De Dolore Capitis sublato. Et cap.35. de Febri curata ad tactum capelli B. Raymundi. Quæ miracula ad tertium ordinem, seu*

classem miraculorum esse referenda facilè intelliget, qui S. Thomam consuluerit, par. 1. quæst. 105. art. 8. & 1. 2. quæst. 113. art. 10. & lib. 3. contra Gentiles, cap. 101.

De dolore capitis. Cap. XXXIV.




Ontigit autem post aliqua tempora, vt ipsa eadem graui dolore capitis vexaretur, quæ recepti prius recordata beneficij capellum illud loco doloris apposuit, & quasi statim circa cor dolorem translatum sensit; sed capellum appositum, ab ipso loco dolorem penitus effugauit. Eadem Burgeta per applicationē eiusdem capelli, à dolorē capitis liberatur.

De Febri. Cap. XXXV.



Vius sorori filius erat, qui quodam tempore febribus admodum anxiatus, dicti appositione capelli, vtriusq. sororis deuotioni per fratris Raymundi merita, diuina respōdente virtute, fuit protinus liberatus. Puer per eiusdem capelli contactūm cōfestim à febri liberatur.

De consilio mirabili diuinitus reuelato. Cap. XXXVI.



Antæ in eo mentis vigebat industria circa cōsolationis exhibenda remedia desolatis, vt magis diuina reuelatio, quā humana industria videretur. Accidit in ciuitate Barcinonensi, quod mulier quædam quæ videbatur satis deuota, & valde sollicita de suæ animæ salute, frequenter confitens, & in operibus misericordiæ se exercens, frequentans Ecclesiam, & commu- Raymund' diuinit' inspiratus pnunciat, mulierē quandam nō fuisse baptizatā: quę post baptismum liberatur ab angustia, q̄ patiebatur cùm nondū baptizata sumeret Eucharistiam.

communicans in festiuitatibus præcipuis, prout est apud seculares homines consuetum, quotiescunq. communicabat, & numquam alias, tantam nauseã pateretur, quod quidquid illa die sumpserat, reijcere cum multa cordis angustia cogebatur: super quo requisitus frater Raymundus, cum nullus alius inueniretur, qui sciret aliquod remedium adhibere, nec causam tanti periculi reperire, respondit, numquid fuit hæc mulier baptizata? asserente illa, & alijs, quod fuisset proculdubio baptizata tamquã Christiani filia, & etiam Christianæ: dixit, vocate mihi eos, qui fuerunt in hoc Baptismo præsentes: vocati ergo, & interrogati ab eo, quam formam seruassent in Baptismate supradicto, inuentum est, quod circa formam Baptismi errauerant, eam in necessitatis articulo baptizantes. De ipsius igitur cõsilio in forma Ecclesiæ baptizata, postea frequenter communicans, numquam prædictum periculum fuit passa.

¶ Tantam nauseam patentur, &c.] *Non admodùm dissimile est, quod refert Petrus Venerabilis Abbas Cluniacensis, lib. 1. De Miraculis, cap. 3. De Iuuene, qui non prius potuit Dominicum corpus deglutire, quàm liberè confessus fuerit Sacerdoti, quod prius illi in Confessione Sacramentali falso denegauerat, vt hinc intelligamus non nisi à Christianis, mundisq. dignè sumi tantum, ac tàm venerabile Eucharistiæ Sacramentum.*

De, Ordine misericordiæ captiuorum. Cap. XXXVII.

Raymundo suadẽte, instituitur Ordo Redemptionis Captiuorum.

Circa captiuos vero redimendos, cõsiderabat Christianorum negligentiam, nisi, forte circa aliquos charos suos, & quod etiam pauci eorum sufficiunt

sufficiũt ad eorum redemptionis precia persoluenda,& pauciores ad ipsos Sarracenos, vbi detinẽtur, accedere corporaliter attentabant: propter quod inuenti sunt aliqui, qui captiuitatis horribilis miserias non valentes aliquatenus sustinere, compulsi sunt apostatare à fide Catholica terroribus, vel promissis. Compatiens igitur tantis cruciatibus, & miserijs corporum, & tantis periculis animarum, & tactus dolore cordis intrinsecus, cogitauit, domino inspirante, vtrisq. periculis obuiare; & quærens diligenter, & inueniens fideles homines ad hoc idoneos, & deuotos, instruxit eos dans viuendi formam, consulens eis, quod reciperent officiũ, & breuiarium Ordinis Prædicatorum, Regulam Augustini, & constitutiones aliquas fratrum Prædicatorũ, eorum officio competẽtes: qui Ordo de misericordia diceretur: cuius Congregationis fratres haberent Priores, & vnum Magistrum, cui omnes tenerentur in omnibus obedire: qui essent solliciti eleemosinas congregare pro redemptione captiuorũ, & mitterentur ex eis viri industrij, & securi ad terras Sarracenorum, vt possent inter eos accepto pacis fœdere circuire, captiuos redimere, ac reducere iam redemptos. Consulente igitur fratre Raymundo, ac summo Pontifice approbante, inchoatus fuit Ordo ille, cuius Ordinis fratres circa prædicta multiplicitcr proficerunt.

Ordo B. Mariæ de Mercede Redẽptionis captiuorũ, vbi, & quomodo fuerit institutus.

¶ De Ordine Misericordiæ captiuorum, &c.] *Institutio huius sacræ Religionis ad redimendos captiuos instituta ità se habuit. Erat in ciuitate, Barcinonensi vir quidã nomine Petrus Nolascus natione Gallus ex diæcesi Papulensi, siue S. Papuli, quæ est inter Carcassonam, & Tolosam, opibus*

diues

dives, fidei zelo præstans, charitate accensus, vt scribit Petrus Michael Carbonellus in Chronicis Hispaniæ in vita Iacobi Regis eius nominis primi, fol. 64.

Hic cum nullos haberet filios, omniaq. bona sua pauperibus distribueret, & imprimis pro redemptione captiuorum libenter exponeret, ac vehementer imprimis angeretur calamitatibus Christianorum, qui à piratis Africanis, & Algerianis frequenter capiebantur, & in Africam ducti frequenter abnegare fidem, & fæminæ simul cum fide pudicitiam violare cogebantur: multis annis toto mentis conatu huic negotio intentus, modum inuenire quærebat, quo potissimùm tot, tantisq. malis opportunum remedium adhiberetur, ne tot Christianorum cateruæ inter infideles Barbaros miserè perirent.

B. Maria apparet Petro Nolasco, vt instituere-tur Ordo redemptionis Captiuorum.

Vndè paulò post, quàm Raymũdus suscepisset Dominicani Ordinis habitum circiter annum Domini 1225. die 1. mensis Augusti, in ipso mediæ noctis silentio, Petro Nolasco sanctis tunc meditationibus infixo, & ad Deũ, militiamq. cælestem praeces fundenti, B. Maria Virgo fulgenti claritate apparens filij sui Iesu Christi, & suæ voluntati gratissimum fore significauit, vt in honorem suum Ordo fundaretur, cuius fratres, & professores exemplo filij sui Iesu Christi, (qui venerat redempturus genus humanum) Christianos sub dura Barbarorum tirannide degentes, redimerent, & liberarent; quibus pronunciatis, ac beato viro tantisper dubitante confirmato, B. Virgo euanuit, atque eadem hora Iacobo Regi, & Raymundo Confessori suo apparens idem, quod Nolasco significauerat, diuinitus indicauit, nempè placitum esse diuinæ voluntati, vt in Regno suo, & ciuitate Barcinonensi Religionis Ordo fundaretur in honorem suum; qui Ordo B. Mariæ de mercede redemptionis captiuorũm diceretur, cuius Rex esset fundator, institutor & protector, & pariter deindè cæteri Aragoniæ Reges, qui sibi succederent, protectores nominarentur, & essent.

Regi, & Raymundo similiter apparet B. Virgo.

Manè facto, Nolascus cùm ad Raymundum Confessorem suum (cum quo sæpè de redimendis captiuis agere consueuera) festinanter profectus cum lachrymis, & suspirijs reuelationem sibi factam denunciasset, & quid sibi foret agendum, vt tàm pium opus optatum sortiretur effectum, consuluisset; Raymundus similiter, profusis lachrymis, similem sibi eadem hora apparitionem contigisse narrauit, & gratias Deo, eiusq. genitrici immensas agentes, postquam super ea re mutuò colloquuti fuissent, concluserunt, Regem adeundum, vt omnia ei, sicut gesta fuerant, enarrent.

Rex, sanctis viris auditis, similem sibi visionem, & apparitionem eadẽ hora contigisse affirmauit. Stupentibus ergo, & valdè admirantibus illis, & iam de Diuina voluntate per tàm manifestum miraculum explorata, minimè dubitantibus, de Ordine Misericordiæ, seu redemptionis Captiuorum fundando decretum est.

Mox

Mox itaq; Rex Iacobus licet satis iuuenis esset, negotium sibi serio celeriterq; peragẽdum ratus, Berengarium de Palaciolo Episcopum Barcinonensem, & Consiliarios seu Iuratos Ciuitatis aduocat; rem gestam illis explicat; eumque se Ordinem velle instituere edicit. Episcopo ergo, & Consiliarijs laudantibus, & cohortantibus, quamquàm nullis cohortatoribus Regius animus indigeret, Raymundo res committitur, vt in specto potissimum fine, ad quem id opus dirigebatur, idonea, & opportuna media conquireret, ordinaret, & constitutiones componeret, omnemque apparatum necessarium excogitaret, vt perfectus ad redimendos captiuos Religionis Ordo constitueretur.

Decem exactis diebus, Die 10. Augusti, in ipso Sancti Laurentij Martyris die festo, conuentus cum solemni supplicatione in Ecclesia Cathedrali indicitur, in quo præsente Rege, Episcopo, proceribus, & multitudine nobilium, & totius Ciuitatis concurrente, Raymundus concionem habuit: & omnem rei gestæ seriem omnibus denunciauit: ac prima recentis ordinis fundamenta, & aliquot primarias constitutiones explicauit: Petrus autem Nolascus, qui omnia sua ei Ordini libenter dederat, primus Frater, & Magister Generalis creatur; atque in eodem Conuentu, eodem Rege, Episcopo, & proceribus præsentibus, ab eodem Raymundo noui ordinis insignia (quem habitum vulgo dicimus) accepit, nempe tunicam albam, cum scapulari, & capuccio, & cappam, & vestes omnino albas, & signum, seu insigne Regium cum Barris Rubei, Croceique coloris, cum Cruce desuper alba, in honorem Sanctæ Crucis, quod ferret ante pectus in cappa, seu scapulario.

Ordinem recenter institutum Gregorius Nonus, Iacobo Rege supplicante, confirmauit, & Regulam Sancti Augustini, quàm profitentes dictum Ordinem obseruarent, libenter concesit.

Petrus ergo Nolascus Rege protegente, & adiuuante, eundem Ordinem valdè propagauit, multi viri nobiles eum fuerunt professi: in alijs Prouincijs deinde fuit etiam constitutus, & vsque in hodiernum diem perdurat, & redemptioni captiuorum vtiliter incumbit.

Historiam hactenus commemoratam narrat copiosè Frater Natalis in libro, quem de hoc Ordine composuit Anno Domini M. CCCC. LXVIII. vbi seruata temporum serie, initia, incrementa, & constitutiones huius ordinis simul cum Magistris Generalibus, qui eum rexerunt, & priuilegijs Apostolicis, quibus fuit approbatus, & diuersis immunitatibus donatus, continentur.

De eodem breuius tamen agunt Franciscus Zumel eiusdem Ordinis professus tractatu de initio, ac fundatione sacri Ordinis B. Mariæ de Mercede redemptionis captiuorum, Hieronymus Roman libr. 6. de Republica

L Chri-

Christiana, cap. 22. & plures alij, tùm in vita Iacobi Regis Aragonum eius nominis primi, tùm in vita Raymundi, ac etiam in vita Petri de Nolasco.

De Fœlici eius obitu. Cap. XXXVIII.

Obijt Raymundus anno ætatis suæ quasi centesimo.



AD gloriam igitur Domini, & proximorum salutem totaliter ordinans vitam suam, quæ retro sunt obliuiscens, & ad anteriora, & cælestia toto mentis desiderio se extendens, quasi centenarius, receptis cùm deuotione mirabili Ecclesiasticis Sacramentis, coram se positis Fratribus, & orantibus, obdormiuit in Domino, Anno ab Incarnatione Domini, M. CC. LXXVI.

¶ Quasi centenarius.] *Ex hoc loco colligebam supra cap. 1. prope finem Raymundum natum circiter annum, M. C, LXXV. Cum enim vt proxime sequenti adnotatione demonstratur, constanti omnium testimonio receptum sit, eum obijsse anno M. CC. LXXV. atque ex hoc loco noscamus, eundem quasi centenarium, naturæ debitum persoluisse, consequens est circiter eum annum in lucem fuisse editum.*

In hac verò sententia eo libentiùs persistendum putauimus, tum quoniam vetustus hic liber vitæ Raymundi, quo scriptum est, eum quasi centenarium obijsse, magnam primùm apud Rotæ Auditores indices in hac causa delegatos, tùm apud Cardinales sacræ Congregationis Rituum, qui eorundem Auditorum Iudicium comprobarunt, promeruit fidem; tùm quia Petrus Marsilius eius sæculi grauis auctor lib. 4. vitæ Iacobi Regis Aragoniæ eius nominis Secundi. cap. 47. eidem sententiæ consentire non obscurè videtur, cùm de obitu Beati viri scribit his verbis: sic iam longo quasi fatus senio, cæpit infirmari, & à Rege, ac à Rege Castellæ sæpius visitatus, in die Epiphaniæ Domini circa horam sextam, illum psalmum incipiens: Exaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Iacob, præsentibus fratribus, & orantibus spiritum reddidit creatori. *hactenus Marsilius.*

Psal. 19.

Et propterea merito dissentimus à viro alioquin erudito Francisco Diago Ordinis Prædicatorij, qui libro 2. Historiæ prouinciæ Aragoniæ sui ordinis.

dinis. cap. 20. vtrumq; idest annum natiuitatis, & annum ætatis eiusdem Beati viri, ob incertũ (quod assumpserat) fundamẽtum, renocauit in dubium: constituit enim primo illum vsq; ad annum ætatis xx. artes liberales didicisse, tum eas spacio trium annorum docuisse, ac deinde Bononiam fuisse profectũ anno ætatis xxiij. ista enim omnia incerta valdè sunt, & dubia: quamquam enim non dubitetur Raymundum, artes, quas didicerat, liberales, gratis alios docuisse, incertum est tamen penitus, quo ætatis anno id factum fuerit, ac multo quidem incertius, quod affirmat idem auctor de illius profectione ad Academiam Bononiensem anno ætatis xxiij. Quamuis enim receptum sit, & grauissimo probatorum scriptorum testimonio roboratum, Raymundum, studiorum gratia, gymnasium Bononiense petiuisse; inconstans tamen est, ætatis suæ anno xxiij. eo fuisse profectum: ac multo quidem magis inuerisimile id iudicabit, qui maiorum nostrorum notam habuerit consuetudinem, qua antè aliquot secula receptum erat, ne imberbes Iuuenes, & præcocibus adhuc ingenijs, sacratissima legum, & Canonum studia profiterentur; Sed maturi iam ætate, & iudicio firmo ea perdiscerent, quibus vel responsa daturi, vel Rempublicam in partibus sibi credendis administraturi forent.

Atque eadem planè ratione euanescunt, quæ idem scriptor commemorat lib. 2. cap. 8. eiusdem historiæ prouinciæ Aragoniæ.

¶ Anno ab incarnatione M. CC. LXXVI.] *Quod attinet ad annum, quo Beatus Raymundus ab hac luce migrauit, in leuibus exemplaribus antiquam hanc eius vitam continentibus, scriptum est, eum anno, M. CC. LXXVI. demissa corporis sarcina, tandem cælestia regna petiuisse: puto tamen id scriptoris vitio factum: nam cæteri Anno M. CC. LXXV. eum obijsse, constanter affirmant, nempe Nicolaus Roselli eiusdem Ordinis Cardinalis in libro, quem in Curia Romana de vita Beati Raymundi conscribendum curauit Anno Domini M. CCC. LVII. vbi ita scriptum est:* Raymundus Barcinone in die Epiphaniæ Anno Domini M. CC. LXXV. non sine multis, & maximis miraculis quieuit in pace. *Consentiuntque cæteri,*

De vero anno & die obitus Beati Raymundi.

Sanctus Antoninus. 3. parte Chronicorum tit. 23. cap. 12. versic. Tertius Magister,

Leander Albertus, lib. 1. de viris Illustribus Ordinis Prædicatorum in vita Beati Raymundi.

Hieronymus Surita lib. 3. Annalium, cap. 94. & lib. 2. Indicum, rerum ab Aragoniæ Regibus gestarum, sub Anno, M. CC. LXXV. versic. Sacro Epiphaniæ die.

Bernardinus Gomezius Miedes, lib. 19. de vita, & rebus gestis Iacobi primi Regis Aragonum, cap. 15.

Stephanus Garibaius in compendio Historiarum Hispaniæ, lib. 13. cap. 11. in Alphonso XI. Castellæ Rege sub Anno M. CC. LXXV. versic.

Falleciendo, durando esta Pasqua.

Ferdinandus del Castillo, par. 1. Historiæ Generalis Ordinis Sancti Dominici, lib. 2. cap. 18.

Iacobus Ferran in officio, quod recitatur in festo B. Raymundi, Lect. 9. & alij complures.

De die autem obitus firma, & constans omnium sententia est, eum obiisse in sacro Epiphaniæ die, idest, 6. Ianuarij.

De honorabili eius sepultura. Cap. XXXIX.

Reges Castellæ, & Aragoniæ præsentia sua Beati Raymundi exequias cohonestant.

ET, quia semper honores mundi fugerat, dum viuebat, iusto Dei iudicio sequutus est honor regius morientem: nam Dominus Rex Castellæ, qui numquam antea Barcinonæ fuerat, & aliqui filij eius, & Dominus Rex Aragonum, & similiter eius filij, & Episcopi, & Prælati alij quamplures, eius interfuerunt exequijs, & honorauerunt magnifice sepulturam.

¶ De honorabili eius sepultura, &c.] *Reges, & Regum filios conuenisse ad cohonestandas Raymundi exequias, testatur Hieronymus Surita lib. 1. Indicum rerum ab Aragoniæ Regibus gestarum sub Anno, M. CC. LXXV. In hæc verba:* Eius Funere Reges, & Regum filij, & ingens Principum turba, ad exequias cohonestandas conuenere. *Quod paulò fusius prosequitur idem Surita, lib. 3. Annalium, cap. 94. & Bernardinus Gomesius Miedes lib. 19. de rebus gestis Iacobi Aragoniæ Regis, eius nominis primi, cap. 15.*

Quę fuerint nomina Regum.

Illi Reges erant Alphonsus Castellæ eius nominis XI. cum quatuor filijs, videlicet Don Sancio, Don Ioanne, Don Petro, & Don Iacobo, vt docet idem Surita lib. 3. Annalium, cap. 93. non procul à fine, & Stephanus Garibaius in compendio Historiarum Hispaniæ, lib. 13. cap. 12. in Alphonso XI. Castellæ Rege, sub Anno M. CC. LXXV.


Et Iacobus Aragoniæ Rex eius nominis primus, vt constat ex eodem Surita, Bernardino Miede, & Garibaio præcitatis locis.

Hæc omnia luculenter longè anteà commemorauerat Petrus Marsilius lib. 4. vita Iacobi Regis Aragoniæ eius nominis secundi. cap. 47. in

hæc verba: Interfuerunt autem eius celebribus exequijs Rex Castellæ Ildefonsus, & germanus eius Ferrandus, & filius eius Sancius, & duo Infantes minores; Rex Iacobus, & Infans filius Iacobus, Episcopus Barcinonensis, Oscensis, Conchensis, & plures alij Prælati, ac Principes, & nobiles, & totus clerus, & populus Barcinonensis, & corpus illud tàm venerabile sepulturæ dederunt. *hactenus Marsilius.*

Deniq; perenni memoria dignum, & vt ad posteros transmittatur monumentis literarum commendandum censeo, quod Sanctissimus Dominus noster Clemens Papa VIII. ex hac pia regum actione collegit, in sermone, quem habuit de vita, & miraculis Beati Raymundi in Consistorio celebrato apud Sanctum Petrum in aula Ducum feria. 6. die xxij. Decemb. 1600. ex ea scilicet non leue argumentum sanctitatis desumi: cum non esset verisimile tales ac tantos Reges in publicas pauperis fraterculi prodituros exequias, nisi notissima viri Sanctitas, multa miraculorum coruscatione, fulcita, & explorata compulisset.


FINIS LIBRI PRIMI.



DE VITA, ET MIRACVLIS S. RAYMVNDI.

Liber Secundus.

AVCTORE FRANCISCO PENIA Rotæ Auditore.



ICOLAVS Eymericus, siue quisquis ille fuerit vetuti libri vitæ Sancti Raymun*di auctor, quem nunc primū commentarijs illustratum in lucem emisimus, nobiliora quædam, & illustriora eiusdem sancti viri actiones, & miracula (quibus vsq; ad mortem claruerat) recensuit, cætera verò quæ post obitum illius edita sunt, vel quia illo auctore viuente nondum contigerant, vel ad eius notitiam legitimo adhuc testimonio roborata non peruenerant, & propterea ab eodem auctore monumentis litterarum mandata non fuerant, nos*

toto

toto hoc ſecundò libro, ſimplici quadam oratione minimèque fucata narrabimus, clariora tantum commemorantes exemplo veterum ſcriptorum, qui cùm immenſam Martyrum, Confeſſorum, aliorumque virorum ſanctorum, ac ſanctarum vitæ ſeriem texere difficulter potuiſſent, quædam ſolùm magis conſpicua propoſuerunt: vnum tamen in vita factum ab illo omiſſum hic referre placuit.

De miraculo transfretationis maris ab Inſulis Balearibus Barcinonem vſq; ſuper pallio. Cap. I.



AGNA eſt ſanctitatis uis, atq; poteſtas; magna vbiq; & præpotens ſanctorum virtus, quibus nedum viuentia ſæpè, & fera obediunt animantia, ſed inanimata quoq; elementa plerumq; ſubijciuntur. Obijciebantur feris olim etiam arte ſæuioribus iuſſu tyrannorum incliti martyres, & clari confeſſores, vt in conſpectu populorum laniati metum cunctis ſpectatoribus incuterent, efficerentq. immani ſupplicio exoſam vitam, profeſſionemq. Chriſtianorum. Sæpè verò feræ beſtiæ, omni ſæuiendi crudelitate depoſitâ, ad pedes ſanctorum procumbentes, eoſdem ab aliarum laniatu defendebant.

debant. Mergebantur sæpè aquis, vt suffucatione vitam finirent: aquæ verò eosdem innocuos sæpè terris restituebant. Addicebantur plerumque voracibus flammis; quibus tamen plerumque molliter cedentibus innoxij permanebant. Quoniam verò Deus, cuius causam agebant viri sancti, & illorum vbique respiciebat, tuebaturq. actiones, succumbebant propterea sæpè tyranni: tormentorum vis reddebatur inanis, ac illi, quos vincere nitebantur, victores euadentes, plurimos exemplo suo martyres, confessoresq. efficiebant, tyranniq. & carnifices, omni spe frustrati, à cæpto desistere non virtutis amore, sed ne ludibrio populis essent, compellebantur: frequentia sunt in vitis sanctorum, & martyrũ actis similia exempla; quibus etiam nunc Deus sanctos suos decorare non cessat: nam Beato viro Raymundo aquas obediuisse, iterq. solidũ præbuisse, vt super pallio id maris interuallum, quod inter Insulas Baleares, & Barcinonem interiectum est, siccis tranaret pedibus, constans semper fama tulit, grauissimorum virorum fide, & auctoritate comprobata. Tanti miraculi seriem Rotæ Auditores in Relatione Canonizationis eiusdem Raymundi, ad Sanctissimum Dominum Nostrum Clementem VIII. his ferè verbis enarrauimus.

Rex Aragoniæ Iacobus eius nominis primus Princeps alioquin optimus, & studio amplificandæ Religionis vbique ardens, & propterea bello semper contra Sarracenos intentus; sed vt est humana in libidinem prona natura, interdum mulierosus, quo-

dam tempore iturus ad Regnum Maioricarũ, Raymundo Confessario suo Barcinonis vitam sanctam agenti significauit, gratum sibi fore, vt secum Maioricas proficisceretur, vt Iudæos & Sarracenos ad fidem Catholicam sua prædictione conuerteret. Id munus cum Raymundus obedientiæ virtute suscepisset, vna cum Rege Maioricas transfretauit, quo cum peruenissent, Raymundus, omisso conclaui in Regio Palatio sibi magnificè parato, Monasterium eiusdem Ordinis vnà cum socio rectà petiuit, à Prioreq; Conuentus, vt moris est, humiliter benedictionem accepit: paulò post operi, propter quod venerat, diligenter incumbens, & ardenter prædicans verbum Dei, infideles ad fidem conuersos baptizari curabat, ceteraq. charitatis opera cumulatè obibat.

Interim Rex puellam, quam multo tempore amauerat, tenacius apud se retinens, nullis monitionibus, & hortationibus Raymundi secretis, nec prædicationibus, quibus prudenter reprehendebat concubinatum, induci potuit, vt eam, quæ omnibus erat scandalo, à suo consortio ablegaret, cum tamen se eam ablegaturum sæpe Raymundo promisisset, qua re pius Pater sæpius considerata, animo vulnerato Regem adijt, & se redire Barcinonem decreuisse significauit, eo quod promissis non staret. Rex ira percitus edicto capitali cauit, ne quis nauta nauigio Raymundum reciperet, quamcumque in Regionem, aut Ciuitatem ire volentem. Raymundus edicti capitalis nescius, quodã die sum-

mo mane cum socio ad portum properauit, ibiq. cognito Regis proposito, ad sociũ conuersus ait, eamus ad portum Sollar, quia non deficiet nobis Rex æternus; inde ergo digressi tres leucas, idest, duodecim milliaria breui tempore conficientes, nautas in eo portu existẽtes interrogauit, quo vellent nauigare, atque vt se reciperent, rogauit: sed ipsis similiter, vt primis respondentibus, & in suis nauigijs recipere recusantibus, Raymundus admirabundus, ait; ita voluit Rex iste mortalis prouidere, sed aliter prouidebit Rex æternus. Dimissis itaque nautis, & trahens secum sociũ per pallium, cunctis existentibus in nauiculis humiliter salutatis, progressus per quasdam rupes in mari prominentes, perueniensq. ad illarum extremitatem, dixit socio, videbis quomodo æternus Rex prouidebit de optima nauicula. Depositum itaque pallium extendit supra mare, & accepto baculo, quem manu gestabat, signo crucis se muniens, super idem pallium ascendit, baculoq. in medio fixo vocauit socium, & vt se signo crucis muniret, ac intraret, hortabatur: sed socio dubitanti, & tanta re stupefacto, & attonito, & denique mare ingredi recusanti dixit; reuertere ergo ad Conuẽtum, & recõmendans me Patri Priori, & cunctis Fratribus, dices eis, quomodo Rex æternus prouidit mihi de optima nauicula, quæ, ipso dirigente, Barcinonem me portabit: statimq. erecta medietate pallij in altum ad modum veli, figensq. eam in extremitate superiori baculi, tãquam in nauigij malo, ad cuius radices totus complicatus in albis sedebat,

cœpit flare ventus tenuis, & suauis: erat autem tunc quasi hora tertia; velo ergo placido concepto vento, cunctis mirantibus ab insula recessit.

Omnes tunc nautæ, qui præsentes rem tam insolitam videbant, vehementer admirati, & stupefacti, non poterant mutuò loqui, ac tandem in lachrymas soluti, & pectora percutientes, miseros se, & peccatores vocabant, quòd tantum virum non nouissent, & spreto Regis mādato in suis nauibus non recepissent; socius verò in primis duplices tendens ad sydera palmas, caput, pectusq. percutiens, clamoribus replebat littora, & se miserum, ac infidum vocabat, eo quòd tanto Patri credere noluisset: quidam verò ex nautis celerrimè soluentes nauiculas, festinabant, vt Raymundum consequti, eum reciperent, & Barcinonem conducerent; quem tamen consequi non potuerūt. Socio interim ad ciuitatem redeunte, & cuncta lachrymis, & clamore replente, Rex quoque commotus est, ità vt festinanter cum multis nobilibus de ciuitate, & fratribus ad Portum de Sollar properaret, vt locum vnde beatus vir soluerat, contemplaretur.

Interim dum Raymundus pallio vectus littori Barcinonensi appropinquaret, speculatores in alto monte Iouis, qui Barcinoni adiacet, constituti, molem numquam visam nigram, & albam cum prospero vento venientem valdè mirabantur, proptereaq. quidam ex mōte descendens, Consiliarijs Ciuitatis denunciauit, qui prodeuntes ad littus eandem rem vnà cum nautis existentibus in nauigijs apertè vi-

dentes,

dentes, quid esset, dubitabant, denique post multam admirationem, eo quod moles illa ingens ab initio visa, quo magis litori appropinquabat, minor apparebat, beatum virum pallio vectũ agnouerunt; qui descẽdens de pallio, ipsumq. minimè madidum accipiens, seq. induens, salutatis humiliter cunctis, nullis factis stationibus, nullisq. habitis per vicos collocutionibus, ad Conuentum Prędicatorum, hora circa meridiem eiusdem diei, quo discesserat à portu de Sollar, peruenit, eo tempore, quo fratres ad horam nonam recollecti tempore æstatis habebant Conuentum clausum, visumq fuit cunctis extrà remanentibus in vico, *Raymundum* ianuis clausis in Conuentum intrasse, quod admirantes etiam Fratres orantes per claustrum, interrogantesq. ianuæ custodem, quomodo illa hora Raymũdus Conuentum intrauerit, respondit se nulli portam aperuisse.

¶ Sex horarum spatio, quadraginta leucas, id est, centum sexaginta milliaria, quibus interposito mari, distant Maioricæ à Barcinone, Raymundus, fælici nauigatione, id mare traiecit; singulis videlicet horis, xxvi. milliaria conficiendo, quod prospero flante vento, numquam contingere nauigantibus solet.

Hoc tam insigni miraculo, breuissimo tempore, vniuersa ciuitate commota, magnus est factus ad Conuentum promiscuę multitudinis ingensq. concursus. Raymundus verò profunda humilitate, in preces, lachrymasq. profusus, in angulis Ecclesiæ inge-

ingenua prouolutus, inanem mundi gloriá fugiens sese occultauerat. Rex autem Iacobus mox vt rem tam insolitam, & mirabilem est contemplatus, vehementer dolens ad pœnitentiam conuersus, mulierem amatam illico dimittens, Barcinonem reuersus humiliter errati veniam petiuit: atque inde factum est, vt in posterum similes fugiens voluptates, quibus populos sibi subiectos grauiter offendebat, soli vxori adherendum decreuerit. Quo anno contigerit id miraculum, non satis est exploratum. Quisquis ille fuit, qui notam addidit in margine Petri Antonij Beuterij lib. 2. chronicorum Hispaniæ cap. 21. significare videtur, anno M. CC. XXIX. fuisse patratum, quo Iacobus eius nominis primus Rex Aragoniæ insulam Maioricarum eripuit è manibus Sarracenorum, longeq. aliam, quam ob Regis concubinatum, expressit causam, dum scribit, Raymundum Regium Confessarium ideo discessisse, quia Rex noluit accipere conditionem deditionis à Sarracenis oblatam, cum cruento potius decreuisset bello eosdem Sarracenos capere, vnde necesse erat multos Christianos vulneribus neciq. offerre. id tamen longè à vero abesse suadet, quia eo anno Raymundus Pontificium Legatum adhuc in Hispanijs degentem comitaretur, vt lib. primo. cap. 7. adnotauimus. Minus verum est, quòd alij opinantur, id accidisse in alia Regis profectione anno M. CC. XXXI. vel in tertia anno M. CC. XXXII. tunc enim notum est Raymundum iam Romam aduentasse, at-

que in ea deguisse, vt lib. 1. cap. 7. & 8. obseruaui.

Placet ergò sententia, quam ceteris confutatis, grauiter & verè confirmat Frater Franciscus Diagus lib. 2. Historiæ Prouinciæ Aragoniæ cap. 18. vt id miraculum transfretationis contigerit anno M.CC.LXIX. in quarta Regis ad insulam Maioricarum profectione.

OBSERVATIO.

POST *obitum Beati viri cum frequentibus miraculis eius sanctitas magis quotidie colluceret, visum fuit illius ætatis pijs viris opportunũ illa monumentis litterarum consignare, ea potissimum ratione (quemadmodum euentus subsecutus demonstrauit) vt si Diuinæ prouidentiæ placitum esset, aliquando sacrosanctæ Canonizationis honore Sanctum hunc decorare, non deessent argumenta, quibus id tandem Sedes Apostolica præstare posset. Anno itaque* M.CC.LXXIX. *idest quattuor elapsis, postquam Beata Raymundi anima migrauit ad cælum, Arnaldus Barcinonensis Episcopus multis examinatis testibus super miraculis, quæ Deus per Sanctum suum mirabiliter operari dignabatur, processum fieri,*

& in acta referri iussit, miracula, quæ legitimo testimonio comprobata reperirentur. Ea verò quæ hactenus maiori ex parte iniuria temporum sepulta iacuerunt, nunc ad gloriam Dei, & Sancti sui honorem, & salutem fidelium, fideliter recensere placuit.

De puero mortuo suscitato in Ciuitate Minorissa. Cap. II.

GVLIELMVS Andreæ cùm in Ciuitate Minorissa (vulgo Manresa) filium haberet iam ab vno anno magna ægritudinis molestia debilitatum, & quodam tempore recreationis gratia, ipsum gremio receptum paterno foueret affectu, fixisq. oculis, & mente intenta respiceret, deprehendit puerum inter brachia paterna spiritum exhalasse; statimq. interius facta resolutione à visceribus copiosè admodum ex laxata materia à parte superiori, & inferiori, in extincto corpusculo subsecuta fuit quasi vniuersalis euacuatio, labia insuper in tumorem cõuersa horribiliter sunt denigrata, cùm autem de morte pueri in auribus matris absentis tristis rumor insonuisset, illa mox flexis genibus flere cœpit vberrimè, & filium suum Beati Raymundi meritis commendare deuotè, cuius interuenientibus precibus, illum à patre misericordiarum sibi restitui lamẽtabiliter postulabat. Cùm autem in oratione aliquamdiu mater perstitisset, puer oculos aperuit, locutus est, & incolumitati plenè est restitutus. Porrò verò Gulielmus pater ista considerans, & vehementer admirari non cessans, in præsentia multorum constanter asseruit puerum indubitanter obijsse, & ob Beati Raymundi merita, & intercessionem reuixisse.

De

De surdo sanato. Cap. III.

NEPOS cuiusdam Petri de Insulis adeò audiendi officio erat destitutus, vt quasi omninò surdus effectus vix nisi fortè magnis clamoribus posset audire vocãtes. Erat autem Petrus medicinæ peritus, cuius studio eo potissimum nomine diligenter incubuerat, vt surditati nepotis adolescentis remedium adhibere potuisset; cum verò multis adhibitis medicamentis, nihil profuisset, adolescentem monuit, vt ad Beati Raymundi probata iam, & explorata multis experimentis suffragia humiliter, & piè recurreret: sperabat enim fore, & sine vlla hæsitatione confidebat, illum recepturum fuisse remedium, quòd non poterat humana medicina præstare. Adolescens auunculi monita paruipendens per aliquot dies consilium adimplere neglexit: cæterum cum paulò post per merita Beati viri curationes morborum intellexisset mirabiles, & ad sepulchrum eius ingentem multitudinem vtriusque sexus vidisset concurrere, auunculi consilium ad memoriam reuocans, ipse quoque ante sepulchrum prouolutus humiq; procumbens pro restitutione auditus Raymundi suffragia ex animo implorauit; Mirabile dictu, surgens de loco statim ex auribus suis sonum quasi ventosum prodire sensit, ac circà se loquentes cœpit audire, ita vt neo auditum eius, voces etiam demissæ colloquentium præterirent.

De sanata ab oculi morbo, & colli vlceribus. Cap. IV.

SVBIRENDAE de Olesia neptis erat, in cuius oculo caro ita subereuerat, vt videre minimè posset. Hæc cum in sepulchro Beati Raymundi pendentes cereas vidisset imagines factorum per eum miraculosum inditia, ab illis oblatas, qui sanitatis beneficia fuerant consecuti, neptis de salute sollicita, diuinæ clementiæ aures pulsare cœpit, vt eiusdem Sancti meritis gloriosis oculum pri-

ſtinç reſtitueret ſanitati; cùm verò & Subirēda, & mater eius, & puella, quæ morbum patiebatur in oculo, ad tumulum acceſſiſſent, collumq. vlceribus malè affectum, & ſanie deſluens terræ ſepulchrali applicuiſſet, quod per integrum annum frequentia medicamenta conferre non potuerant, breui tempore Diuinæ virtutis operatio meritis Beati Raymundi remedium contulit; cùm ſtatim & oculo viſum, & collo integram reſtituerit ſanitatem.

De mortuo vel morti admodum propinquo ſuſcitato per terræ de ſepulchro Beati Raymundi ſumptæ appoſitionem in ore illius. Cap. V.

ROTAE Auditores in relatione Canonizationis Sancti Raymundi ad Sanctiſſimum Dominum noſtrum Clementem VIII. hoc miraculum his verbis recenſuimus: Miles nomine Benedictus de Bayona narrauit Fratribus, quòd cùm Iuuenis quidam diebus viginti graui febrium vexatione penè conſumptus, multam debilitatem totius corporis incurriſſet, poſitus eſt in loco quodam recreationis cauſa, de quo in pauimentum lapidibus ſtratum ſubitò corruit; ita quòd nec loqui, nec reſpirare poterat, nec ſenſibus corporis aliquibus vtebatur, vnde & à pluribus ſtantibus mortuus dicebatur: erant autem mortis inditia, locorum conditio, ſcilicet de quo, & ſuper quem ceciderat: immobilitas quoque & inſenſibilitas corporis, & ſanies, quæ de eius naribus effluebat. Quæſitum eſt autem à prædicto milite, ſi eſſet aliquis de ſtantibus (conuenerant enim multi ad tàm inopinatum caſum) qui de terra tumuli Fratris Raymundi ſecum haberet; conſueuerant enim multi propter deuotionem, & maximè propter multa beneficia, quæ ex hac conſequebantur, terrā ipſius comedere, & mixtam cum aqua bibere, & ſecum etiam ſemper deferre: fuit autem quidā de ſtantibus de

prædicta terra aliquantulum portans; cuius parte collo iuuenis alligata, & parte in ore ipsius apposita, confestim iuuenis respirauit, ac loqui cœpit, & restitutus est vitæ pariter ac saluti. Prædictus autem Benedictus, & vxor eius, necnon & quidam alius miles nomine Franciscus de Spinol hoc ipsum iuramento proprio confirmarunt. Hactenus ibi. Idem verò miraculum comprobarunt deinde Cardinales dum iterum causam Canonizationis expendentes, Auditorum relationem examinarent.

De alio mortuo suscitato. Cap. VI.

BERENGARIVS filius Petri de Baga propter ventris fluxum, & continuam dissenteriam, quam quatuor hebdomadibus pertulit, cui nulla medicinæ suffragia profuerunt, ad eas peruenerat vitę angustias, vt & à parentibus, & ab alijs eum inuisentibus mortuus omninò putaretur: nam nullus in eo viuentis sensus, aut motus apparebant, quinimmo per capillos, & nares vi tractus insensibilis, & immobilis permanebat; calor etiam naturalis, quod est potissimũ viuentis indicium, à toto eius corpore, & præcipuè ab extremis partibus penitus recessisse videbatur.


Mater ipsius, quę de morte filij incredibilem dolorem perceperat, ad ecclesiam Fratrum Prædicatorum, vbi Beati Raymundi humatum iacebat corpus, flendo, & eiulando filium exanimem proprijs manibus asportauit. Ceterum cum propter imminentis iã noctis tenebras, foribus Ecclesię clausis ingredi non valeret, ibidem nudata genua flectens, obortis lachrymis, validis vocibus Raymundi merita pro filio implorauit, vt qui tot tantaq. beneficia alijs etiam animalibus conferebat, sibi suum filium suscitaret. Res mira, ibidem post modicum temporis interuallũ, statim reuixit puer, aperiensq. oculos sororem suam stantem, quæ simul cum matre valdè amare flebat, interrogauit, cur ita fleret, curatum enim se, & liberatum per Beati Raymundi meritum, &

auxilium affirmabat. Vita miraculo recepta, qui mortuus fuerat, postquam debitas Deo, & Beato viro Raymundo gratias egisset, ad domum patris est reuersus.

De laborante in extremis mirabiliter sanato. Cap. VII.

IVXTA oppidum de Ripoll mulier quædam nomine Auinenna per annum integrum febre, dolore etiam lateris dextri, necnon & pectoris constrictione, quæ anhelitum præcludebat, ita fuit grauiter afflicta, vt in fine anni nec cibum, nec potum sumere posset, nec per seipsam aliquo modo se iuuare; cum autem post auxilium plurimorum sanctorum humiliter inuocatum, vis morbi perduraret, & mortis etiam indicia non obscura conspicerentur, tandem maritus eius, & soror cohortati sunt, vt Beati viri merita inuocaret; ipsa vero eorum dictis annuens, vt potuit humiliter implorauit: nec frustra, statim enim à dolore, & pectoris constrictione liberata, nec febris amplius molestiam tulit. Adepto autem perfectè sanitatis beneficio, ambæ sorores ad tumulum Beati Raymundi acturæ gratias cum donarijs, quæ promiserant, festinarunt.

De alio in extremis laborante per miraculum ab infirmitate liberato. Cap. VIII.



DECEM & septem diebus continua febri laborabat Ferrarius, ac tanta totius corporis fuerat dissenteria, vt naturæ viribus destitutus, nec iudicio suo, nec aliorum, qui eum viderant, diutius superuiuere posset, cum ad eas periculi angustias peruenisset, vt mortem magis, quàm vitam deberet verisimiliter expectare; quod cum probe intellexisset, corde votum, quod ore non potuit, Beato Raymundo deuote,

& hu-


& humiliter vouit, obligans se firmiter, quod promiserat, præstiturum. Vix autem votum firmauerat, cum statim eum sudor corripuit, omnemq. sui corporis fugans infirmitatem, perfectam restituit sanitatem.

De febricitante, & in extremis laborante saluti restituto. Cap. IX.

PETRVS de Casellis de Villa Maiori per integrum annum quartana febri ita grauiter laborauit, vt in fine anni cõtinuis duobus mensibus in lecto decubuerit: tum cum quartana continuæ naturam induisset, vsque adeo mansit viribus destitutus, vt cum sibi à lecto surgendum esset, semper indigeret alterius fulcimento. Denique cùm nulla de illius salute spes esset reliqua, quinimmo proximæ futuræ mortis inditia apparuissent, sensum enim, & memoriam amiserat, vxor eius, & soror, flexis genibus, profusis lachrymis, elatis in cælum manibus, & oculis in Deum intentis, Beati Raymundi meritis infirmum ardẽtissimè commendarunt, addentes insuper, quòd si Dominus per merita Beati viri eum à tàm manifesto mortis periculo liberaret, vna cum eodem nudis pedibus ipsius tumulum visitarent. Emisso igitur, & firmato voto, statim sensus, & memoriam, quam infirmus perdiderat, recuperauit; interrogatusq. ab ipsis, quomodo se haberet, benè secum agi respondit, ac cibum petijt, & sumpsit statim, quem antea per triduum nec quæsierat, nec inuitatus etiam aliquid sumere valuerat, præter potum: addidit etiam dicens, quòd postquam sensus & memoria sibi fuerant restituta, columba quædam ibidem visibiliter apparuit, tangens leniter, & obumbrans caput eius, ac faciem, & relinquens in toto corpore sanitatem. Quibus peractis, Petrus iam salute recepta, vxorq. simul, & soror Barcinonem se contulerunt, Beati Raymundi reliquias, sicut promiserant, veneraturi. Euidens miraculum arguit breuis

temporis interuallum, quo ista omnia gesta fuerant: cum enim feria quarta in istis esset periculis cõstitutus, feria quinta mox sequenti, de lecto surrexit sanus, & incolumis.

De puero iam iam moriente ad preces nutricis sanato. Cap. X.




IACOBVS filius Petri de Torrente, cum in extremis diutius laborasset, nihil aliud parentes expectabant, nisi vt puer, singulis momentis spiritum exhalaret: ceterum cum nutrix eius, infantẽ tenerrimè diligeret, quanto potuit animi affectu meritis Beati Raymundi deuouit: post votum ad eum accessit, & lac ei dedit, ac sanum statim recepit, quasi à mortuis suscitatum.

De alio puero similiter animam agente per miraculum liberato. Cap. XI.



ARNALDVS Raymundi de Santa Catharina filius, diebus quindecim tam graui infirmitate laborauit, vt tribus postremis in agonia positus iam iam animã agere timeretur. Eius Parentes multorum Sanctorum auxilium pro ipso implorantes, nihil obtinere potuerunt, constituerat enim Diuina prouidentia, ei per merita Beati Raymundi conferre sanitatem, sicut contigit, nam quamprimum puerum ipsum Beato viro commendarunt; statim conualuit, sanitate perfecta in toto corpore restituta.

De liberato à dolore capitis, & febri, & grauissima infirmitate. Cap. XII.




VILLELMVS Salranus dolore capitis, & sinistrę maxillę tumore, necnon & ardentissimæ febris æstu ita affligebatur, vt iuxtà medicorum iudicium, alterum de duobus non posset euadere, videlicet, aut mortem proximam, aut longam, & permolestam infirmitatem. In tanto igitur periculo constitutus, Beati Raymundi auxilium magno conatu inuocauit, vt qui sibi, dum adhuc viueret, frequenter in dubijs consilium dederat salutare, post mortem remedium sanitatis largiretur. Vix autem, inuocatione finita, Guillelmus ab ardenti febris æstu, & dolore capitis omnino extitit protinus liberatus: tumor etiam maxillæ fuit aliqua ex parte depressus, qui breui temporis spatio omnino etiam euanuit.

De sanata à dolore capitis memoriam, & sensum auferente. Cap. XIII.




ARIA de Cardona nouem annis dolore capitis tàm grauiter diuersis temporibus affligebatur, vt intolerabilis morbi vis sensum ipsius, & memoriam omnino perturbaret: cum autem aliquando eo dolore plus solito vrgeretur, meritis Beati Raymundi iuxta ipsius tumulum lachrymabiliter se deuouit, & plenissimè quod quæsierat, est adepta, cum amplius ea infirmitate minimè laborauerit.

De liberata à dolore oculi. Cap. XIV.



EATRIX quædam Gerundensis tribus annis dolorem nimium in oculo sinistro perpessa, non poterat remedium inueni-re, licet multorum auxilium implorasset, pluraq. medicamenta adhibuisset: tandem Beati Raymundi patrocinio inuocato, tertia sequenti die, liberata est penitus à dolore.

De veruca oculi officium impediente mirabiliter sublata. Cap. XV.



VM Guillelmo cuidam ex oppido de Minosa, veruca, seu caruncula propè oculum nata adeo paulatim excreuisset, vt iam videndi officium sua magnitudine impediret, & faciem penitus deformaret, ille ad postulanda Beati viri suffragia properandum decreuit; & cum post emissum votum iuxta ignem residens obdormiuisset, paulo post excitatus, manumq. super locum, vbi caruncula creuerat, deducens, ipsam leui satis tactu pollicis mouit; & diligentius euigilans, ac locum affectũ palpans, eam penitus cecidisse cognouit. Propter quòd beneficium Deo, & Beato Raymundo gratias quantum potuit maximas egit. Cum autem ex loco affecto exigua sanies defluxisset, Guillelmus extremitatem digiti cineribus inuolutam loco, vnde caruncula auulsa fuerat, in nomine Dei, & Fratris Raymundi apposuit, quibus verbis pronunciatis, fluxu statim restricto, plaga sanata est, & decens faciei dispositio restituta.

De quo-

De quodam detrahente miraculis Beati Raymundi *primum punito, & deinde curato.* Cap. XVI.



AVLVS quidam de Turno cum aliquando quosdam de miraculis, quæ Deus per merita Beati Raymundi operabatur, colloquẽtes audiuisset, cœpit ea incredulus ausu temerario contemnere, ac deprimere, dicens, cæcos remanere cæcos, surdos remanere surdos, & claudos ad eius tumulũ aduentantes claudos etiam recedere. Hæc & similia cum in contemptũ eorundem miraculorum coram multis simul discumbentibus imprudenter detrahendo effutiuisset, subitò detractorem hunc eodem loco persistentem timor, ac tremor inopinatus inuasit, & aspectu eius quasi tenebrosa, & obscura caligine offuscato, in tantam capitis vertiginem incidit, vt ei terra omnino subuerti, aut circumrotatis reuolutionibus videretur agitari. Buccella vero quam dum miraculis detraheret, ore sumpserat, ita gutturi detrahentis adhæsit, vt cum nec deglutiri posset, nec foras emitti, ipsum penè suffocaret: Paulus in hoc periculo constitutus, ad seipsum vtcumque reuersus consurgens, oculisque, & manibus ad cælum erectis, corde votum, quòd ore non potuit, vouit, vt si per merita Beati Raymundi, Deus eum à tàm graui, præsentiq. periculo liberaret, numquam amplius mordacem linguam ad similia perpetranda laxaret. Voto, vt potuit, corde firmato, statim buccellam, qua suffocabatur, euomuit. Ceterum ea nocte, nec cibum, neç potum sumere potuit territus remanens, & afflictus: multo etiam tempore cordis defectum, & multàm in toto corpore pertulit debilitatem, nec prius meruit liberationem accipere, quàm in domo Fratrum Prædicatorum super eo, quod acciderat, sui reatus inmanitatem publicasset, & à Confessore suo ibidem huius, & aliorum peccatorum absolutionis beneficiũ recepisset, & Beati

Simile miraculum de dubitãte de miraculis Sancti Didaci rẽtuli in eius vita lib. 2. c. 45.

Raymundi tumulum humiliter visitasset. His enim peractis, quam desiderauerat sanitatem, est consecutus.

Graue flagitium est, Sanctos in cælo regnantes, Angelorū conciues, & Dei amicos piè non venerari: grauius de illorū probatis actionibus, pænitentijs, agonibus, & miraculis dubitare: grauissimum eosdem scommatis, conuitijsq. proscindere: decet enim pia pectora de Sanctis, Sanctorum actionibus, & operibus piè humiliterq. sentire: nec protinus quæ humanus non capit sensus, aut facilè noster non assequitur intellectus, aut falsa, aut contemnenda putare. Quis enim Catholicorum dubitet, maiora his, quæ narrantur, Sanctos viros non suis viribus, sed efficaci gratia, & auxilio Dei fuisse perpessos, aut maiora etiam, & illustriora Deum per eorum merita ad preces inuocantium illos, facere miracula? Prouocatur sanè ad iracundiam Deus, cum dubitanter hæc, aut incredulè accipiuntur, & iustam propterea sæpè in incredulos, & detractores Sanctorum, & miraculorum exercet vindictam, cuius obuia in Ecclesiasticis scriptoribus extant exempla: nedum enim nimia curiositate explorantes Sanctorum miracula corrigit Deus, vt de Mauritio Imperatore anxie nimis de ingentibus miraculis martyris Euphemię inquirente scriptū reliquit Nicephorus Callistus lib. 18. Histor. Ecclesiast. cap. 31. verumetiam eos, qui sunt in Sanctos blasphemi, seueris interdum solet flagellis coercere, vt de blasphemo in Virginem Dei matrem prodidit idem Nicephorus eodem libro. cap. 33. Discamus ergo nos piè vbique venerari Sanctos: piè illorum suspicere, & interpretari miracula, quæ propter eruditionem, & salutem nostram ad preces eorum operatur Deus in nobis.

De curato à tumore, et vlceribus colli. Cap. XVII.

IACOBVS quidam filius Iuliani tribus annis tumorem in collo, & vlcera sanie manentia semper passus, duobus postremis, eo morbo maximè grauabatur: cum autem multa medicamentorum remedia, inutili-

inutiliter fuisset expertus, tandem de meritis Sancti Raymundi plena concepta fiducia, octo ferè diebus continuis, ipsius tumulum deuotissimè visitauit; terram præterea de eodem tumulo sumptam, aquaq. commixtam deglutiuit, piè à Sancto postulans suæ infirmitatis remedium, quod obtinere aliunde non potuerat: Pijs ergo Beati Patris suffragantibus meritis, adeptus quod petebat, sanitati fuit plenè restitutus, & misericordi Deo, qui mirabilis est in Sanctis suis, & Sancto suo Raymundo gratias egit, quas potuit immortales.

De sterili mirabiliter reddita fœcunda. Cap. XVIII.

RICHARDA nobilis fęmina sexdecim annis cum viro vixerat infœcunda, cum vero suscipiendę prolis desiderio teneretur, & posteros anxiè post se relinquere optaret, multorum implorauit auxilia Sanctorum, multa medicorum propinata medicamenta, quæ ad prolis conceptionem, & generationem iuxtà medicinæ regulas, secundum naturam creduntur idonea, frequenter, fuit experta: Ceterum quoniam Diuina prouidentia per Beati Raymundi merita consolari afflictam decreuerat fœminam, ideo medicinæ inaniter cessere remedia. Richarda itaque de meritis Beati Viri concepta fiducia, humiliter nudis, ac flexis genibus, atque in cælum elatis manibus, & erectis luminibus lamentabiliter petijt, vt sibi impetraret à Deo, quod diu desideratum impetrare non poterat: precibus votum addidit, ad eius se tumulum post conceptionem filij, vel filiæ ceream imaginem delaturam. Voto concepto, & firmato, tertia nocte postea consequente concepit: post conceptum filium masculum ædidit, & gratias Deo, & Sancto suo Raymundo referens, votum reddi-

dit, quod promiserat: singulis præterea annis in testimoniũ, ac monumentum tanti beneficij, ad eiusdem Sancti tumulum deferre sua donaria consueuit. Illustre planè Sanctitatis argumentum, nec vulgare miraculum, quod primum omnium fecisse Beatum Hilarionem testatur in eius vita Sanctus Hieronymus his verbis: *Viginti & duos iam in solitudine habebat annos, fama tantum notus omnibus, & per totas Palestinæ vulgatus vrbes: cum interim mulier quædam Eleutheropolitana cernens despectui se haberi à viro ob sterilitatem (iam enim per annos quindecim nullos coniugij fructus dederat) prima irrumpere ausa est ad Beatum Hilarionem: & nihil tale suspicanti, repentè genibus eius aduoluta. Ignosce, inquit, audaciæ, ignosce necessitati meæ. Quid auertis oculos? quid rogantem fugis? noli mulierem aspicere, sed miseram. Hic sexus genuit Saluatorem. Non habent sani opus medico, sed qui malè habent. Tandem substitit, & post tantum temporis, visa muliere, interrogauit causam aduentus eius, ac fletuum: & postquam didicit, leuatis ad cælum oculis, fidere iussit, euntemq. lachrymis prosecutus, exacto anno vidit cum filio.* Hactenus Sanctus Hieronymus. Quamquam enim miraculum non sit concipere mulieres, & grauidas à viris reddi, non tamen caret miraculo concipere, & parere steriles, quemadmodum de Anna Samuelis matre diuinis eloquijs proditum est, & de plurimis alijs Ecclesiasticæ testantur historiæ.

Lib. 1. Regũ cap. 1.

De equo ferociente mansuefacto. Cap. XIX.

MAGNA est in homines Sanctorum charitas, eximia misericordia, atque benignitas, quinedum nostri, sed nostrarum quoque rerum curam, custodiamq. suscipiunt. Viri enim Sancti piorum, vt legimus, precibus inducti, vt rebus nostris prospicerent, sæpe iumentis, quæ ad hominum labores sustinendos ac iuuandos conferunt, sanitatem contulerunt. Cuius rei Hilarion magnus ille Eremita sanctitate, & miraculis cla-

rus

rus exemplo esse potest, quem. sæpe iumenta curasse, sæpe ab illorum corporibus inuisibiles hostes expulisse, testatur in eius vita Sanctus Hieronymus.

Sancti illi, & Beatissimi Viri, atque incliti martyres Cosmas, & Damianus, quorum auxilium, qui pie implorant, pie sentiunt, auctore Niceta, quem laudat Metaphrastes, non solum hominibus, sed etiam bestijs gratis medebantur. Accidit enim aliquando, vt operatione Sathanæ Camelus fuerit confractus: Cosmas insigni misericordia motus, manu propria colligat, & diuinitus sanat. Nicetæ testimonium die 1. Nouemb. refert Metaphrastes, & Laurentius Surius tomo 5. die 27. Septembris, quo die Ecclesia horum Sanctorum martyrum colit, celebratq. diem natalem.

Sancti Bernardi oratione ferocientem equum montibus errantem, & perniciem minantem fuisse repressum legimus. Plurima sunt miraculorum exempla hanc Sanctorum misericordiam contestantia, quibus fit notum, eos non solum hominibus, verumetiam rebus, & iumentis eorum sæpe inuocatos opem tulisse, cuius pietatis, & misericordiæ non immemor Raymundus ferocientem etiam mansuefecit equum, aliumq. (de quo mox dicetur) morbo grauissimo liberauit.

Cum enim nobilis vir Bernardus de Bajona equum haberet indomitum, adeoq. ferocem, vt sine magno periculo, & labore nemo eum potuisset frænare, Bernardi vxor periculum sentiens, Beato Raymundo candelam promisit, quæ ipsius ferocientis equi altitudinem æquaret, si eius ferociam compressisset. Nuncupato voto, & religiosè obfirmato, omnis æqui ferocitas in optatam mansuetudinem est mutata, adeo vt sine vllo amplius periculo, & Bernardus, & famulus armiger frenare equum facilè potuissent.

dit, quod promiserat! singulis prætereà annis in testimoniū, ac monumentum tanti beneficij, ad eiusdem Sancti tumulum deferre sua donaria consueuit. Illustre planè Sanctitatis argumentum, nec vulgare miraculum, quod primum omnium fecisse Beatum Hilarionem testatur in eius vita Sanctus Hieronymus his verbis: *Viginti & duos iam in solitudine habebat annos, fama tantum notus omnibus, & per totas Palestinæ vulgatus vrbes; cum interim mulier quædam Eleutheropolitana cernens despectui se haberi à viro ob sterilitatem (iam enim per annos quindecim nullos coniugij fructus dederat) prima irrumpere ausa est ad Beatum Hilarionem: & nihil tale suspicanti, repentè genibus eius aduoluta. Ignosce, inquit, audaciæ, ignosce necessitati meæ. Quid auertis oculos? quid rogantem fugis? noli mulierem aspicere, sed miseram. Hic sexus genuit Saluatorem. Non habent sani opus medico, sed qui malè habent. Tandem substitit, & post tantum temporis, visa muliere, interrogauit causam aduentus eius, ac fletuum: & postquam didicit, leuatis ad cælum oculis, fidere iussit, euntemq. lacbrymis prosecutus, exacto anno vidit cum filio.* Hactenus Sanctus Hieronymus. Quamquam enim miraculum non sit concipere mulieres, & grauidas à viris reddi, non tamen caret miraculo concipere, & parere Lib. 1. Reg. cap. 1. steriles, quemadmodum de Anna Samuelis matre diuinis eloquijs proditum est, & de plurimis alijs Ecclesiasticæ testantur historiæ.

De equo ferociente mansuefacto. Cap. XIX.

MAGNA est in homines Sanctorum charitas, eximia misericordia, atque benignitas, qui nedum nostri, sed nostrarum quoque rerum curam, custodiamq. suscipiunt. Viri enim Sancti piorum, vt legimus, precibus inducti, vt rebus nostris prospicerent, sæpe iumentis, quæ ad hominum labores sustinendos ac iuuandos conferunt, sanitatem contulerunt. Cuius rei Hilarion magnus ille Eremita sanctitate, & miraculis cla-

rus exemplo esse potest, quem sæpe iumenta curasse, sæpe ab illorum corporibus inuisibiles hostes expulisse, testatur in eius vita Sanctus Hieronymus.

Sancti illi, & Beatissimi Viri, atque incliti martyres Cosmas, & Damianus, quorum auxilium, qui pie implorant, pie sentiunt, auctore Niceta, quem laudat Metaphrastes, non solum hominibus, sed etiam bestijs gratis medebantur. Accidit enim aliquando, vt operatione Sathanæ Camelus fuerit confractus: Cosmas insigni misericordia motus, manu propria colligat, & diuinitus sanat. Nicetæ testimonium die 1. Nouemb. refert Metaphrastes, & Laurentius Surius tomo 5. die 27. Septembris, quo die Ecclesia horum Sanctorum martyrum colit, celebratq. diem natalem.

Sancti Bernardi oratione ferocientem equum montibus errantem, & perniciem minantem fuisse repressum legimus. Plurima sunt miraculorum exempla hanc Sanctorum misericordiam contestantia, quibus fit notum, eos non solum hominibus, verumetiam rebus, & iumentis eorum sæpe inuocatos opem tulisse, cuius pietatis, & misericordiæ non immemor Raymundus ferociëtem etiam mansuefecit equum, aliumq. (de quo mox dicetur) morbo grauissimo liberauit.


Cum enim nobilis vir Bernardus de Baiona equum haberet indomitum, adeoq. ferocem, vt sine magno periculo, & labore nemo eum potuisset frænare, Bernardi vxor periculum sentiens, Beato Raymundo candelam promisit, quæ ipsius ferocientis equi altitudinem æquaret, si eius ferociam compressisset. Nuncupato voto, & religiosè obfirmato, omnis æqui ferocitas in optatam mansuetudinem est mutata, adeo vt sine vllo amplius periculo, & Bernardus, & famulus armiger frenare equum facilè potuissent.

De alio

dit, quod promiserat: singulis præterea annis in testimoniũ, ac monumentum tanti beneficij, ad eiusdem Sancti tumulum deferre sua donaria consueuit. Illustre planè Sanctitatis argumentum, nec vulgare miraculum, quod primum omnium fecisse Beatum Hilarionem testatur in eius vita Sanctus Hieronymus his verbis: *Viginti & duos iam in solitudine habebat annos, fama tantum notus omnibus, & per totas Palestinæ vulgatus vrbes: cum interim mulier quædam Eleutheropolitana cernens despectui se haberi à viro ob sterilitatem (iam enim per annos quindecim nullos coniugij fructus dederat) prima irrumpere ausa est ad Beatum Hilarionem: & nihil tale suspicanti, repentè genibus eius aduoluta. Ignosce, inquit, audaciæ, ignosce necessitati meæ. Quid auertis oculos? quid rogantem fugis? noli mulierem aspicere, sed miseram. Hic sexus genuit Saluatorem. Non habent sani opus medico, sed qui malè habent. Tandem substitit, & post tantum temporis, visa muliere, interrogauit causam aduentus eius, ac fletuum: & postquam didicit, leuatis ad cælum oculis, fidere iussit, euntemq. lachrymis prosecutus, exacto anno vidit cum filio.* Hactenus Sanctus Hieronymus. Quamquam enim miraculum non sit concipere mulieres, & grauidas à viris reddi, non tamen caret miraculo concipere, & parere steriles, quemadmodum de Anna Samuelis matre diuinis eloquijs proditum est, & de plurimis alijs Ecclesiasticæ testantur historiæ.

Lib. 1. Reg. cap. 1.

De equo ferociente mansuefacto. Cap. XIX.



MAGNA est in homines Sanctorum charitas, eximia misericordia, atque benignitas, qui nedum nostri, sed nostrarum quoque rerum curam, custodiamq. suscipiunt. Viri enim Sancti piorum, vt legimus, precibus inducti, vt rebus nostris prospicerent, sæpe iumentis, quæ ad hominum labores sustinendos ac iuuandos conferunt, sanitatem contulerunt. Cuius rei Hilarion magnus ille Eremita sanctitate, & miraculis clarus

rus exemplo esse potest, quem, sæpe iumenta curasse, sæpe ab illorum corporibus inuisibiles hostes expulisse, testatur in eius vita Sanctus Hieronymus.

Sancti illi, & Beatissimi Viri, atque incliti martyres Cosmas, & Damianus, quorum auxilium, qui pie implorant, pie sentiunt, auctore Niceta, quem laudat Metaphrastes, non solum hominibus, sed etiam bestijs gratis medebantur. Accidit enim aliquando, vt operatione Sathanæ Camelus fuerit confractus: Cosmas insigni misericordia motus, manu propria colligat, & diuinitus sanat. Nicetæ testimonium die 1. Nouemb. refert Metaphrastes, & Laurentius Surius tomo 5. die 27. Septembris, quo die Ecclesia horum Sanctorum martyrum colit, celebratq. diem natalem.


Sancti Bernardi oratione ferocientem equum montibus errantem, & perniciem minantem fuisse repressum legimus. Plurima sunt miraculorum exempla hanc Sanctorum misericordiam contestantia, quibus fit notum, eos non solum hominibus, verumetiam rebus, & iumentis eorum sæpe inuocatos opem tulisse, cuius pietatis, & misericordiæ non immemor Raymundus ferociẽtem etiam mansuefecit equum, aliumq. (de quo mox dicetur) morbo grauissimo liberauit.

Cum enim nobilis vir Bernardus de Baiona equum haberet indomitum, adeoq. ferocem, vt sine magno periculo, & labore nemo eum potuisset frænare, Bernardi vxor periculum sentiens, Beato Raymundo candelam promisit, quæ ipsius ferocientis equi altitudinem æquaret, si eius ferociam compressisset. Nuncupato voto, & religiosè obfirmato, omnis æqui ferocitas in optatam mansuetudinem est mutata, adeo vt sine vllo amplius periculo, & Bernardus, & famulus armiger frenare equum facilè potuissent.

dit, quod promiserat: singulis præterea annis in testimoniũ, ac monumentum tanti beneficij, ad eiusdem Sancti tumulum deferre sua donaria consueuit. Illustre planè Sanctitatis argumentum, nec vulgare miraculum, quod primum omnium fecisse Beatum Hilarionem testatur in eius vita Sanctus Hieronymus his verbis: *Viginti & duos iam in solitudine habebat annos, fama tantum notus omnibus, & per totas Palestinæ vulgatus vrbes: cum interim mulier quædam Eleutheropolitana cernens despectui se haberi à viro ob sterilitatem (iam enim per annos quindecim nullos coniugij fructus dederat) prima irrumpere ausa est ad Beatum Hilarionem: & nihil tale suspicanti, repentè genibus eius aduoluta, Ignosce, inquit, audaciæ, ignosce necessitati meæ. Quid auertis oculos? quid rogantem fugis? noli mulierem aspicere, sed miseram. Hic sexus genuit Saluatorem. Non habent sani opus medico, sed qui malè habent. Tandem substitit, & post tantum temporis, visa muliere, interrogauit causam aduentus eius, ac fletuum: & postquam didicit, leuatis ad cælum oculis, fidere iussit, euntemq. lachrymis prosecutus, exacto anno vidit cum filio.* Hactenus Sanctus Hieronymus. Quamquam enim miraculum non sit concipere mulieres, & grauidas à viris reddi, non tamen caret miraculo concipere, & parere steriles, quemadmodum de Anna Samuelis matre diuinis eloquijs proditum est, & de plurimis alijs Ecclesiasticæ testantur historiæ.

Lib. 1. Regũ cap. 1.

De equo ferociente mansuefacto. Cap. XIX.



MAGNA est in homines Sanctorum charitas, eximia misericordia, atque benignitas, qui nedum nostri, sed nostrarum quoque rerum curam, custodiamq. suscipiunt. Viri enim Sancti piorum, vt legimus, precibus inducti, vt rebus nostris prospicerent, sæpe iumentis, quæ ad hominum labores sustinendos ac iuuandos conferunt, sanitatem contulerunt. Cuius rei Hilarion magnus ille Eremita sanctitate, & miraculis clarus

rus exemplo esse potest, quem sæpe iumenta curasse, sæpe ab illorum corporibus inuisibiles hostes expulisse, testatur in eius vita Sanctus Hieronymus.

Sancti illi, & Beatissimi Viri, atque incliti martyres Cosmas, & Damianus, quorum auxilium, qui pie implorant, pie sentiunt, auctore Niceta, quem laudat Metaphrastes, non solum hominibus, sed etiam bestijs gratis medebantur. Accidit enim aliquando, vt operatione Sathanæ Camelus fuerit confractus: Cosmas insigni misericordia motus, manu propria colligat, & diuinitus sanat. Nicetæ testimonium die 1. Nouemb. refert Metaphrastes, & Laurentius Surius tomo 5. die 27. Septembris, quo die Ecclesia horum Sanctorum martyrum colit, celebratq. diem natalem.

Sancti Bernardi oratione ferocientem equum montibus errantem, & perniciem minantem fuisse repressum legimus. Plurima sunt miraculorum exempla hanc Sanctorum misericordiam contestantia, quibus fit notum, eos non solum hominibus, verumetiam rebus, & iumentis eorum sæpe inuocatos opem tulisse, cuius pietatis, & misericordiæ non immemor Raymundus ferociẽtem etiam mansuefecit equum, aliumq. (de quo mox dicetur) morbo grauissimo liberauit.

Cum enim nobilis vir Bernardus de Baiona equum haberet indomitum, adeoq. ferocem, vt sine magno periculo, & labore nemo eum potuisset frænare, Bernardi vxor periculum sentiens, Beato Raymundo candelam promisit, quæ ipsius ferocientis equi altitudinem æquaret, si eius ferociam compressisset. Nuncupato voto, & religiosè obfirmato, omnis æqui ferocitas in optatam mansuetudinem est mutata, adeo vt sine vllo amplius periculo, & Bernardus, & famulus armiger frenare equum facilè potuissent.

dit, quod promiserat: singulis prætereà annis in testimoniū, ac monumentum tanti beneficij, ad eiusdem Sancti tumulum deferre sua donaria consueuit. Illustre planè Sanctitatis argumentum, nec vulgare miraculum, quod primum omnium fecisse Beatum Hilarionem testatur in eius vita Sanctus Hieronymus his verbis: *Viginti & duos iam in solitudine habebat annos, fama tantum notus omnibus, & per totas Palestinæ vulgatus vrbes: cum interim mulier quædam Eleutheropolitana cernens despectui se haberi à viro ob sterilitatem (iam enim per annos quindecim nullos coniugij fructus dederat) prima irrumpere ausa est ad Beatum Hilarionem: & nihil tale suspicanti, repentè genibus eius aduoluta. Ignosce, inquit, audaciæ, ignosce necessitati meæ. Quid auertis oculos? quid rogantem fugis? noli mulierem aspicere, sed miseram. Hic sexus genuit Saluatorem. Non habent sani opus medico, sed qui malè habent. Tandem substitit, & post tantum temporis, visa muliere, interrogauit causam aduentus eius, ac fletuum: & postquam didicit, leuatis ad cælum oculis, fidere iussit, euntemq. lachrymis prosecutus, exacto anno vidit cum filio.* Hactenus Sanctus Hieronymus. Quamquam enim miraculum non sit concipere mulieres, & grauidas à viris reddi, non tamen caret miraculo concipere, & parere steriles, quemadmodum de Anna Samuelis matre diuinis eloquijs proditum est, & de plurimis alijs Ecclesiasticæ testantur historiæ.

Lib. 1. Reg. cap. 1.

De equo ferociente mansuefacto. Cap. XIX.

MAGNA est in homines Sanctorum charitas, eximia misericordia, atque benignitas, quinedum nostri, sed nostrarum quoque rerum curam, custodiamq. suscipiunt. Viri enim Sancti piorum, vt legimus, precibus inducti, vt rebus nostris prospicerent, sæpe iumentis, quæ ad hominum labores sustinendos ac iuuandos conferunt, sanitatem contulerunt. Cuius rei Hilarion magnus ille Eremita sanctitate, & miraculis cla-

rus

rus exemplo esse potest, quem sæpe iumenta curasse, sæpe ab illorum corporibus inuisibiles hostes expulisse, testatur in eius vita Sanctus Hieronymus.

Sancti illi, & Beatissimi Viri, atque incliti martyres Cosmas, & Damianus, quorum auxilium, qui pie implorant, pie sentiunt, auctore Niceta, quem laudat Metaphrastes, non solum hominibus, sed etiam bestijs gratis medebantur. Accidit enim aliquando, vt operatione Sathanæ Camelus fuerit confractus: Cosmas insigni misericordia motus, manu propria colligat, & diuinitus sanat. Nicetæ testimonium die 1. Nouemb. refert Metaphrastes, & Laurentius Surius tomo 5. die 27. Septembris, quo die Ecclesia horum Sanctorum martyrum colit, celebratq. diem natalem.

Sancti Bernardi oratione ferocientem equum montibus errantem, & perniciem minantem fuisse repressum legimus. Plurima sunt miraculorum exempla hanc Sanctorum misericordiam contestantia, quibus fit notum, eos non solum hominibus, verumetiam rebus, & iumentis eorum sæpe inuocatos opem tulisse, cuius pietatis, & misericordiæ non immemor Raymundus ferociẽtem etiam mansuefecit equum, aliumq. (de quo mox dicetur) morbo grauissimo liberauit.

Cum enim nobilis vir Bernardus de Baiona equum haberet indomitum, adeoq. ferocem, vt sine magno periculo, & labore nemo eum potuisset frænare, Bernardi vxor periculum sentiens, Beato Raymundo candelam promisit, quæ ipsius ferocientis equi altitudinem æquaret, si eius ferociam compressisset. Nuncupato voto, & religiose obfirmato, omnis æqui ferocitas in optatam mansuetudinem est mutata, adeo vt sine vllo amplius periculo, & Bernardus, & famulus armiger frenare equum facile potuissent.

De alio

De alio equo à periculoso tumore curato. Cap. XX.



VILLELMVS Aymericus ciuis Barcinonen. nobilem habebat equum, cuius collum malignis humoribus concurrentibus adeo intumuerat, vt inualescente morbi grauitate, compresso gutture, per quattuor dies, nec edere quicquam, nec bibere potuerit. Remedia adhibita inutilia euaserant, cum nullum salutis fructũ laboranti iumento contulissent: quamobrem ad Beati Raymundi (quem dum adhuc viueret, familiarem habuerat) inuocanda præsidia recurrendum putauit deuotè petens, vt nobile iumentũ ab imminentis mortis periculo liberaret. Hæc de die precatus, nocte mox sequenti auxilium expertus est inuocatum: per somni enim quietem visum est sibi videre Raymundum excitantem, & suadentem, vt ad equum festinanter properaret, quem inuenturus foret à morbo, & periculo liberatum. Euigilans protinus Aymericus monentis vocem secutus, ad equum protinus festinauit, cuius collum cùm proprijs manibus contrectasset, à pernicioso tumore eum inuenit penitus liberatum, deprehenditq. præterea maximam alimoniæ partem, quæ sibi fuerat apposita, comedisse. Et Beneficij accepti memor ceream equi imaginem, & candelam ad tumulum Beati Viri gratias referens, detulit sine morá, laudans & magnificans cum Fratribus Ordinis Prędicatorij Deum, qui per Sanctos suos, homines reddit incolumes, & iumenta.


De vulnere capitis mirabiliter sanato. Cap. XXI.

IVVENIS quidam Petrus nomine ex diœcesi Gerunden. ex violenta percussione capiti illata, grauiter ægrotabat, adeoq.

adeoq. vniuersa ipsius facies intumuerat, & dolore continuo vexabatur, vt trium dierum spatio nec videre omninò, nec requiem inuenire potuerit: cumque præ doloris grauitate, & tumoris magnitudine iam iam moriturus crederetur, ipsius mater flexis genibus, & eleuatis in cœlum manibus copiose obortis lachrymis, deuote, quantum potuit, malè affectum iuuenem Beati Raymundi meritis commendauit. Hac prece emissa post exiguum temporis interuallum, vnius oculi lumen recepit, & post triduum alterius oculi lux, & totius corporis sanitas fuit iuueni restituta. Mater, & filius beneficij memores, Beati tumulum humiliter visitarunt.

Ista triduani temporis intercapedo non detrahit naturæ miraculi, quam in eo consistere profitemur, vt in instanti maligna, & perniciosa morbi vis per miraculum auferatur; quamuis temporis progressu deinceps valetudo paulatim acquiratur.

De puero dissenteriam patiente mirabiliter curato. Cap. XXII.



PVER quidam nomine Benedictus potum vini adeo detestabatur, vt nullo modo induci, aut decipi potuerit, vt vel modicum degustaret. quapropter multi opinabantur, fluxum, & dissenteriam, quam patiebatur propterea magis augeri, & corpusculum debilitari, vt verisimiliter citò moriturus crederetur. Hunc mater cum maximè dilexisset, Beati Raymundi meritis commendauit. Finitis precibus, puer statim vinum sibi propinari postulauit, postulatumq. & oblatum sine nausea accepit, & bibit, & restitutus fuit integrè sanitati.

De muto debili, contracto, curato. Cap. XXIII.



RANCISCVS de Rouira infans à die natiuitatis vsque ad annos tres, & tres continuos menses semper debilis, mutus extitit, & contractus, ita vt nec per seipsum, erigere se, nec erectus stare, nec de loco quopiam in quo semel constituebatur, recedere posset, aut se mouere. Saura ipsius mater ad tumulum Beati Raymundi accedens eius merita magno animi affectu pro filio inuocauit, voto se obstringens ceream filij sui imaginem ad eius tumulum delaturam, si ipsum à tàm grauibus morbis liberaret. Prece fusa, & voto nuncupato, sedula, & anxia mater domum reuertebatur cum fiducia, credens firmiter, se adeptam, quod optauerat: quam minimè fefellit spes: eodem enim die, cum post modicum temporis interuallum, puerum erexisset, ille per se sine fulcimento aliquo stetit, vidit, cucurrit, & videntibus omnibus ambulauit: ac rursus post aliud modicum etiam temporis spatium, ad tumulum Beati Patris sine aliquo adminiculo puer pedes iuit, & mater, quod pro ipso promiserat, apportauit: loqui insuper cœpit, & patrem, & matrem, quod numquam antea potuerat, nominauit. De hoc tàm admirabili beneficio & sanitatis effectu, præter parentes alij quoque fide digni testimonium perhibuerunt.

De pecunia perdita, & inuenta. Cap. XXIV.



VM Berengarius Martinus ciuis Barcinonensis propter cuiusdam nimis supinam negligentiam, magnam pecuniæ amisisset quantitatem, & propterea res familiaris graue accepisset detrimentum, domui, & familiæ suæ consulturus, non ariolos consuluit, non mathematicos, aut diuinatores adiuit, quæsiturus ab eis, quonam loco pecunia consisteret,

aut quis eam occultaret, vt vulgus hominum in his casibus non sine graui peccato, facere consueuit, sed ad Beati viri merita recurrens, causam suam ei commendans, precatus est, si saluti animæ suæ profutura esset inuentio, apud Deum intercessor existeret. His actis post moram exiguam, pecuniam amissam inueniens, debitas Deo, & Sancto suo gratias agit.

De liberato à continua febri. Cap. XXV.


ANDREAS cognomine Battador continuè febris angore grauiter vexatus quinque dierum spatio videre non potuit; duobus quoque vltimis loquendi officio fuit destitutus: cumque de ipsius salute nulla prorsus spes relicta videretur, mater, vxor, & soror contra spem, in spe meritorum Beati Raymundi confidentes, deuotissimè Andream illius suffragijs commendarunt: Res mira; Breuissimo temporis spatio integræ sanitati restitutus, integris sensibus receptis, gratias egit, quas potuit Deo, & Beato Viro, qui id beneficium sibi suis meritis impetrauit.

De sanata à brachij debilitate, & immobilitate. Cap. XXVI.

ROMEA de Paleda, quinque hebdomadibus brachium dexterum habuerat sine aliquo sensu, ita vt nec illo vti, neque huc, atque illuc vertere, neque mouere quidem posset sine aliquo fulcimento: concepta verò de meritis Beati Raymundi fiducia, ad illius tumulum proficiscens, flexis genibus, & vbertim profusis lachrymis, eidem humiliter se deuouit: statim vero digitos libere mouit, & infra triduum deinde adepta est perfectam, & integram totius brachij sanitatem.

De laborante in extremis saluti restituto.

Cap. XXVII.



BENEDICTVS Hugetti Gasulli filius, quinque continuis diebus laborans in extremis, & loquendi officio destitutus, omnibus quasi naturæ viribus è corpore fugatis, nec edere quidquam, nec oculos aperire valebat. Dulcia ipsius auia de illius salute sollicita, ad Beati Raymundi suffragia se conuertens, humiliter, & deuotè eum est precata, vt pro salute Benedicti apud Deum precator existeret; vix auia finierat, cùm Benedictus oculos aperuit, mox cibum sumpsit, & perfectè locutus, perfectè simul etiam fuit saluti restitutus.

De linguæ, & gutturis morbo laborante sanato.

Cap. XXVIII.



NON est minoris admirationis, quod in Bernardo Poncio ciue Barcinonensi Iurisperito miraculum factum legimus Beati Raymundi intercessione patratum: laborauerat ille duobus continuis mensibus linguæ, & gutturis morbo, ità vt nec facilè potũ sumere, nec dormire placidè, ac nec voces quidem loquẽdo, sine magna molestia, & periculo efformare posset. Ope medicorum, qui & venã secuerant, & plurima medicamenta adhibuerant, depellere molestũ, & grauem morbum, nullo pacto potuerat. Cùm verò aliquando in festo Sancti Dominici ad Ecclesiam Sanctæ Catherinæ Martyris Barcinonen. in qua Beati Raymundi corpus hnmatum iacebat, aduenisset, post Missarum solemnia, ad tumulum humiliter accedens, deuotè procubuit, ipsius auxilium implorando: rediens Domum, cum se salutem recepisse sensisset,


fisset, & libere vesci potuisset, linguam, quam longo tempore habuerat impeditam, in Dei, & Beati viri laudes soluit, & donaria receptæ salutis miraculum protestantia, ceream videlicet imaginem colli, & capitis figuram referentem, quam promiserat, ad eiusdem sancti tumulum destinauit.

OBSERVATIO.

CVM Raymundi sanctitas miraculorum frequentia magis quotidie colluceret, magisq; inuitaret conciues ad desiderandam, petendamq; à Sede Apostolica ipsius canonizationem, propterea Episcopi Barcinonenses, certis statisq; temporibus, testes super illius miraculis examinare curabant, vt legitimis probationibus paratis, tandem desiderata canonizationi pateret aditus. Itaque post examen factum anno M.CC.LXXIX. *(quatuor scilicet post eius obitum, vt paulo antea obseruatum fuit) in quo fuerunt probata miracula proxime relata. 27. capitulis comprehensa, iterum anno.* M.CCC.XVIII. *idest, 39. annis ab obitu sancti,* Barcinonis *aliud examen super alijs miraculis, quæ vel tunc de nouo innotuerant, vel facta fuerant, per eiusdem Beati viri merita, ex actis factum patebat. Ea verò fideliter relata sequentibus capitibus continentur.*

De viro nobili à lepra mundato.

Cap. XXIX.



GVILLELMVS de Villaragut vir genere nobilis, grauissima, & inueterata correptus lepra, toto corpore, & tibijs frequentia, & horribilia vlcera patiebatur, vnde tam acres oriebātur dolores, vt vehemētissime cruciaretur: subsequebatur sæpe febris, aliaq. symptomata, quibus negotia, agere, licet grauibus esset occupatus, omnino prohiberetur: medicorum auxilia, quæ plurima sæpe fuerunt adhibita, irrita euaserant, humoribus vero toto corpore malignis effectis, tam altas radices morbus egerat, vt lepra, humana ope, reddita fuerit penitus incurabilis.

Sed cùm eadem nocte, qua vir sanctus migrauit ad Dominum, Guillelmus in quodam domicilio à Conuentu Sanctæ Catharinæ Barcinonensis non longe remoto, vnde sonitus campanæ exaudiri facile poterat, grauiter cruciaretur, Bernardus de Molendinis Canonicus Barcinonensis, cognoscens Raymundum in extremis laborantem, Gulielmum od graues cruciatus gementem admonuit, vt ei viro magnæ sanctitatis, humilitatis, scientiæ, fidei, & charitatis erga Deum, & proximum, quo maiori posset affectu, & deuotione se commendaret: ea persuasione commotus mox vt preces cum lachrymis ad Raymundum ardēter fudisset, eumq. humiliter rogasset, vt sanitatem sibi à Deo impetraret, à dicta horribili lepra liberatus fuit, crustulæq. quæ prius erāt in corpore, linteaminibus adhæserunt, cruciatus deniq. omnis, & dolor penitus cessauit: tum Guillelmus accepti beneficij memor, tibias, & brachia cerea miraculum protestantia ad Ecclesiam Prædicatorum deferri curauit.

Hoc tam insigne miraculum præter Dei misericordiam, Raymundi sanctitatem magnopere nobis etiam commen-

dat,

dat, qui eo ipso mortis tempore, quo ille Diuina misericordia, pro modo humanæ conditionis maxime indigebat, suis meritis Deus huic etiam infirmo, eam impartiri dignatus fuerit.

Infirmus liberatur ab infirmitate & Dæmonis suffucatione. Cap. XXX.



BARTHOLOMAEVS de Deo mercator Barcinonēsis cum primum gutturis, & oris morbo laborare cœpisset, mox apostemate inibi generato, adeo deinde creuit, vt nullum solidum alimenti genus præter iusculum deglutire potuisset: vocati chirurgi postquam multa adhibuissent medicamenta, & nihil profuissent, spe frustrati, relicto ægroto recesserunt pronunciantes illum proculdubio nocte quadam moriturum, quem adeo oppresserat morbi vis, vt nec loqueretur, nec tractus, aut punctus moueretur, neque aliquid sentire penitus videretur.

Iam cum legitimo sensuum officio destitutus, neque exteriorem corporis dolorem significare, nec cuiusquam præsidium implorare posset, maius periculum sibi imminere mēte est contemplatus: viderat enim malignum spiritum ad se horribili quodam aspectu accedentem, & se suffocare conantem; & quamquam vehementer clamare, & vocibus auxilium præsentium sibi adesse cuperet, id tamen & pondere morbi oppressus, & Dæmonis conatu prohibitus, præstare non poterat; interim Bernardus quidam, qui lugubri spectaculo præsens aderat, patrem, matrem, & sorores eiusdem Bartholomæi admonuit, vt ad præsidium Beati Raymundi (cuius sanctitas vbique iam nota erat, & frequentibus omnium acclamationibus, & multorum testificationibus, qui sanitatem, & petita solamina eius beneficio receperant comproba-


probata) confidenter, & fine mora recurrerent. Res mira cum primum parentes, & forores nuncupato voto de cera ad fepulcrum Raymundi deferenda, illum fuere precati, vt mifero Bartholomæo laboranti opem ferret, vifus fibi fuit videre eundem Raymundum fenili afpectu cum alijs Fratribus Prædicatoribus ardentes cereos deferentibus ad fe venientem, & malignum fpiritum prohibentem, ne impiam inferret necem, confeftimq. poft hanc vifionem Bartholomęus integris recuperatis fenfibus, priftinæ fanitati fuit reftitutus.

Proximus morti à febri continua, & alijs periculis eripitur. Cap. XXXI.

IACOBVS Baffetus ciuis Barcinonenfis, qui febri continua laborabat, poftquam copiofum fanguinem fæpe expuiffet, & fimul cum eo mixtum pulmonis fragmentum emouiffet, à medicis derelictus, ad eas peruenit anguftias, vt & loquendi officium, vifum oculorum, & fenfum totius corporis amiferit. Sorores, propinqui, & amici, qui plurimi aderant, in planctum, & lachrymas foluti, Iacobum tamquam mortuum flebant: interim Dalmatius quidam ciuis Barcinonenfis homo pius, qui præfens quoque aderat, hortatus eft Iacobi confanguineos, vt Deo, & Beato Raymundo hominem infirmum fuis precibus commendarent, fperarentq. meritis eius ab illis mortis anguftijs liberandum. Protinus illi, genibusflexis, profufifq. lachrymis ad mifericordiam Dei recurrentes, Raymundum adhibent precatorẽ, & interceflorem. Cumq. vix ab oratione ceffaffent, Iacobus (in cuius corpore pallor, & alia propinquæ mortis figna confpiciebantur) ftatim lóquendi officium, vifum, & fenfum recuperauit, & priftinæ faluti reftitutus, immortales Deo gratias, & Sancto viro pie egit.

Preci-

Precibus eiusdem Sancti Nouella quadam moribunda sanitati restituitur. Cap. XXXII.



APVD Castrum de Lauro diœcesis Vrgellen. Nouella filia Raymundi Michaelis multo tẽpore graui febri correpta, fluxum, & vomitum passa tamquam incurabilis derelicta, vltimum vitæ finem horis singulis expectabat. Mater Nouellæ, quæ vnice filiam diligebat, lachrymabiliter illius proximè moriturę casum deflebat: ceterum à quibusdam mulieribus monita, vt illi salutem per merita Beati Raymundi à Deo impetraret, confestim mater, quæ magis filiæ vitam, quam suam curabat, simul cum alijs humiles ad Beatum Virum preces fudit, nec prius à lachrymabili oratione destitit, quam Nouella sine aliquo medicamine, vel medicorum ope, aut naturæ beneficio confestim, & sine aliquo interuallo fuerit ab omni morbo liberata. Quamobrem Nouella ad sepulchrum Sancti gratias actura, & cereum oblatura, Barcinonem se conferens, pium illum tumulum deuote est venerata.

Berengaria de Bagijs ad sepulchrum Beati Viri delata, statim liberatur. Cap. XXXIII.



BERENGARIA filia Petri de Bagijs puella decennis Barcinonensis, spatio trium annorum febri, & alijs morborum generibus grauiter correpta, ad proximam peruenerat mortem: cumq. in extremis laboraret, nec de vita ipsius aliqua superesset spes, eo quod & loquelam iam amisisset, & signa obeuntis in toto corpore apparuissent, mater ipsius, quæ plures filios, ac filias amiserat, & sola sibi Berengaria superstes remanserat,

lachrymabiliter, & inconsolabiliter hunc etiam postremum filiæ casum deplorabat: sed in his dolorum pressuris, inito consilio, vt Berengaria Beato Raymundo commendaretur, ad ipsius Ecclesiam puellam moribundam, & iam iam animam agentem deferre constituit. Erat tunc iam noctis tempus, quod cum alijs mortalibus curas soleat abigere, miseræ matri præsentem mortem contemplanti, grauiores augebat; cum itaque in tantis constituta angustijs, mali solamen in solo diuino auxilio (quod precibus beati Raymundi impetrare sperabat) posuisset, nudis ac flexis genibus, profusisq. lachrymis orando, Sancto viro filiam commendabat: ea oratione peracta, Berengaria officio loquendi recuperato sanam se esse, & ab omni morbo curatam clamauit. quo miraculo recreata immortales Deo, & Raymundo gratias agens incolumen secum filiam domum reduxit.

Subirana graues dolores passa, oblata cerea imagine ad sepulcrum Sancti Raymundi, confestim curatur. Cap. XXXIIII.

SVBIRANAE cuidam filiæ Guillelmi de Caneto, quandoq. singulis octo diebus, quandoq. singulis duobus, aliquando vero frequentius, dum dormiret, in pedum articulis, ac cubito sinistri brachij tam acres contingebunt dolores, vt contracta, & pedum ac brachij officio destituta per integrum diem, quoties his doloribus angeretur, penitus remaneret; septem autem annis continuis in puerili ætate his vexata malis, cum nondum ad decimum quintum peruenisset, Raymunda Subiranæ mater, commemoratis insignibus miraculis, quæ Deus Beati Raymundi meritis operabatur, filiam est pie hortata, vt se eiusdem meritis, & orationibus deuoueret; cum vero vtraque mater, & filia Beato Viro ex voto, ceream imaginem instar puellæ inua-

inualidæ,& contractæ ad ipsius sepulchrum, vt ab illis doloribus curaretur, deferre promisissent, confestim, oratione peracta, Subirana omni dolore liberata, integram salutem est consecuta, eaque spatio decem annorum fœliciter vsa, iterum priuata fuit, fortassis quia tam ipsa, quam mater beneficij accepti immemores votum adimplere non curauerant. Cæterum cum idem morbus iterum contigisset, Subirana culpæ memor iterum Deum, & Raymundum humiliter precata, ac similiter confestim curata, votum reddidit, oblata cerea imagine in Ecclesia Fratrum Predicatorum.

Romea existens in extremis angustijs propter partus difficultatem, confestim liberata fuit. Cap. XXXV.



ROTAE Auditores, quibus Sanctissimus Dominus noster Clemens Papa VIII. iudicandorum processuum super canonizatione Beati Raymundi curam demandauit, hoc miraculum his verbis recensuimus: Romea vxor Michaelis de Sala, cum esset prægnans, adueniente tempore pariendi per tres dies, & tres noctes continuas, maximos dolores, & angustias pertulit, ita vt in euidenti mortis articulo fuerit constituta: nam die tertia à tempore, quo cæpit doloribus partus vrgeri, penitus mors ei imminebat, ex eo potissimum, quod infans caput extra vterum emiserat, reliquum tamen corpus remanebat in ventre: hoc tam graui dolore Romea pressa, viribusq. destituta, neque loqui, nec comedere, nec bibere poterat, neque infantem ita constitutum vtrum viueret, sentiebat.

Cum in tantis esset angustijs constituta, ita vt pænitus moritura putaretur, (nam & lumen oculorum etiam amiserat) Maria mater eius credens Romeam morituram inconsolabiliter vociferabatur; interim redeunte Michaele


de Sala Romeæ marito, qui eam meritis Beati [Raymundi commendauerat, statim Romea peperit, confestimq. & sine aliquo interuallo, & opere, & iuuamine medicinæ à mortis instanti periculo liberata, Deo & Beato Viro, quas debuit, gratias egit.

Michael Sala febri continua laborans à medicis derelictus, pristinæ sanitati restituitur. Cap. XXXVI.

MICHAEL Sala ciuis Barcinonensis continua correptus febri, qua diebus quindecim grauiter laborauit, tandem ad eas deductus est ægritudinis difficultates, vt officio sensuum destitutus omnino moriturus crederetur: Duo docti medici, qui ei curando diligentem operã adhibuerant, cum vi morbi naturæ vires succumbere deprehendissent, aliaq. præterea instantis mortis signa conspexissent, eum tamquam incurabilem derelictum cito moriturum pronunciarunt; amici vero, & domestici nulla iam habita salutis corporalis cura, ea adhibebant remedia, quæ ad salutem animæ spiritualem ægrotantis necessaria erant, & opportuna: parabantur præterea vestes lugubres, & alia ad sepulturam necessaria: candelæ benedictę accendebantur, sicut solent prope obeuntes accendi. interim ea nocte, qua omnino moriturus Michael credebatur, Romea ipsius vxor cum lachrymabili, & deuota oratione, eum Beatæ Virgini Mariæ Dei matri, & specialiter Sancto Raymundo commendauit, eundem Sanctum humiliter deprecando, vt pro infirmo apud Deum, & Sanctam Mariam intercederet. His precibus pie fusis Michael statim eadem nocte melius habere cepit: Cum vero die sequenti quidam Frater Bernardus ex Ordine Prædicatorum, in Missa, quam de Spiritu sancto celebrauerat, pro eodem Michaele deprecatus, cum meritis Beati Raymundi com-

commendasset, eodem die infirmus sanitate recepta respirauit, sensuum officium recuperauit, & sine opera medicorum, vel medicinæ, aut naturæ iuuamine, à febri est perfecte mundatus.

Puella mortua ad vitam reuocatur. Cap. XXXVII.



ER insignia miracula, quibus mirabilis Deus sanctitatem Beati Raymundi patefacere dignatus est, in actis canonizationis ipsius, insigne illud, quo aliquando mortuam puellam ad vitam reuocauit, recensebatur: quod Rotæ Auditores in Relatione canonizationis ad Clementem VIII. his fere verbis recensuimus: Margarita Magistri Ioannis Medici filia puella trium, aut quatuor annorum, post longam febris infirmitatum, fluxum ventris, siue dissenteriam, tandem die quodam paulopost meridiem, in extremis laborans, & ad mortem veniens expirauit: mox vero mortuam subsecuta fuere vera, & certa mortis signa; quoniam amisit visum, & dentes effecti sunt nigrescentes, & nasus auctus, & colorem mortis induit totum corpus, itaut cognitum fuerit Margaritam fuisse mortuam, & nulla in ea post obitum signa vitæ apparuisse.

Interim Romea Margaritæ mater flendo, lachrymando, & vociferando apud Deum, & beatum Raymundum, vt filia sua curaretur, & reuiuisceret, apud eius sepulchrum permansit vsque ad noctem, orans eum, vt filiam suam sibi viuam restitueret: & licet maritus eius, vt domum rediret, missis sæpe nuntijs Romeam vocaret, illa respondebat, numquam se rediturum, neque à sepulchro recessuram, donec haberet certitudinem de vita filiæ suæ.

Denique circa Solis Occasum modico momento Margaritam, (quæ paulopost meridiem mortua fuerat) ad vitam

reuocatam sanam, & incolumen incredibili lætitia mater recepit. Eiusdem puellæ pater, qui artis medicinæ erat peritissimus, asserebat filiam suam reuera mortuam, vero miraculo, non viribus naturæ fuisse ad vitam reuocatam. Addebatq. præterea puellam post resurrectionem quatuordecim vixisse annos, vt hinc vera resurrectio, non ficta aut phantastica opere, & illusione Dæmonum facta (quales operabatur Simon magus) deprehenderetur. qui enim mortui per Dæmonum præstigia, aut per artem magicam siue necromantiam ad vitam reuocari videntur, nec proprie viuere, nec reuera resuscitati dicuntur, cum non beneficio animæ viuentis iterum corpori vnitæ, sed motionis solum Dæmoniacæ artificio viuere videantur. cuius rei Illustre reliquit exemplum Hegesippus lib. 3. cap. 2. de excidio Hierosolymitano, vbi agens de nobili adolescente (qui mortuus fuerat) precibus Beati Petri Apostoli vere ad vitam reuocato, demonstrat per Simonis Magi illusiones & Dæmonum præstigia viuentis quidem speciem quādam, & imaginem prius, quam à Petro resuscitaretur) prębuisse, reuera tamen per Magum non fuisse ad vitam reuocatum.


Qui arte Magica à mortuis excitari vidētur, nec vere viuunt, nec vere ad vitam reuocantur.

Bernardus Oliuerius, apparente sibi Beato Ray*mundo liberatur à febri quotidiana.* *Cap.* XXXVIII.

CVM per 20. dies, & amplius Bernardus Oliuerius ciuis Barcinonensis quotidiana febri correptus in graue etiam, & soporiferum lætarghum incidisset, & à duobus peritis medicis derelictus quodam die circa meridiem moriturus pronunciaretur, vniuersa domo lachrymis repleta, factus est à domesticis super Bernardo iam iam morituro ingens planctus; cum vero Oliuerius Bernardi frater circa horam tertiam Bernardum inter-

interrogaſſet, num erga aliquem Sanctum particularem haberet deuotionem, Bernardusq. vtcumq. potuit, reſpondiſſent, ſe peculiari animi affectu Fratrẽ Raymundum de Peniafort venerari, tunc omnes, qui præſentes aderant, fuſis pie precibus ad Beatum virum, ei moribundum Bernardum commendauerunt, rogantes, vt ſibi à Domino ſalutem impetraret; interim Bernardus aſſiſtentibus ſignificauit, vt paulíſper recederent, aſſerebat enim, videre ſe quendam Sanctum, & probum virum indumentis albis veſtitum, & ſibi appropinquantem Fratrem videlicet Raymundum: quo facto Bernardus ſtatim integram ſanitatem recepit, abſq. vlla arte, opere, ſeu iuuamine medicinæ. Iam cum poſt aliquot annos Bernardus in iudicio interrogatus de miraculo, ſeriem rei geſtæ expoſuiſſet, ſolemnĩ iureiurando affirmauit, beatum ſibi albis indutum veſtibus apparuiſſe Raymundum, & ſe omni morbo liberatum, quamprimum eum appropinquantem ſenſiſſet.

Laborans tuberculo incurabili in manu dextera mirabiliter curatur. Cap. XXXIX.



DOMINICVS Arnaldus aurifex, duorum annorum & amplius ſpatio, in iunctura manus dexteræ, quæ eſt inter manum, & cubitum ex humoribus confluentibus, & coaleſcentibus generatum tuberculum magnitudine grandioris cuiuſdam amigdalæ pertulit, quo inualeſcente potiſſimum tempore hiemis ad laborandum reddebatur impotens, & inualidus: chirurgi, & medici, quos plurimos ad curationem adhibuerat, reſpouderunt, tuberculum aliter curari non poſſe, quam per abſciſſionem ipſius: cæterum quia in nodo, ſiue iunctura morbus ſedem fixerat, id remedium per abſciſſionem fore valde periculoſum.

Accidit autem vt quodam die Dominico Arnaldus poſt meri-

meridiem ad Ecclesiam Fratrum Prædicatorum verbũ Dei, (quod inibi ex longa, & approbata consuetudine prædicari solet) auditurus accederet; ac de morbo cogitans ex toto corde Beatis Dominico, & Raymundo sese commendauerit, nuncupato voto accendendi ad sepulchrum Raymundi, quandam prętere a candelã,& obligationem elargiendi Fratribus Prædicatoribus eleemosynam,quandocũque esset requisitus, & sibi opportunum foret, deuote promisit. quibus peractis manuq; morbo affecta immissa inter cancellos claudentes sepulchrum Beati Raymundi, domum reuertitur; & hora consueta noctis somnũ conciliat;die vero lunæ mox sequenti à somno excitatus Bernardus euanuisse tuberculum deprehendit, & se plane meritis, Beatorum Dominici, & Raymundi miraculo liberatum, confessus est.

Mulier pedibus, manibusq; capta post visum in somnis Beatum Raymundum, recipit sanitatem. Cap. XL.


MARIA de Solerio manibus, pedibus, ac ceteris corporis membris capta, adeo reddita erat inualida; & inutilis, vt nec à lecto surgere, nec cibum capere, nec per seipsam aliquatenus se mouere posset: cumq; tam vehementi membrorum contractione premeretur, admonita à quadam Pasquala, vt haberet deuotionem ad Fratrem Raymundum de Ordine Prædicatorum, qui fecerat magnum miraculum in quodam milite leproso, qui se eius precibus commendauerat; mox Maria lachrymabili, & deuota precatione auxilium per merita Beati Raymundi humiliter inuocauit: similiter vero Pasquala, genibus flexis, lachrymabiliter preces ad Raymundum fudit: quibus peractis, Maria statim suauiter tantisper obdormiuit, ac in somnis visum fuit sibi videre Beatum Raymundum, (qui ali-

Miraculum de leproso mũdato habetur supra hoc eodem lib. cap. 29.

quot

quot iam antea annis decesserat) ad se venire, & se manusq. suas contingere; quamprimum vero à somno fuit excitata sanam se, & incolumem penitus sensit, ita vt manus supra caput extollere, & è lecto surgere, & sibi alimenta præbere, & quælibet alia negocia agere libere, sine vllo impedimento potuerit. Quod cum Maria deprehendisset stupore quodam, & admiratione repleta, gratias Deo, & Beato Raymundo agens exclamauit: conuenientesq. multi ex tota vicinia de tam celeri, euidenti, & mirabili sanitate recepta valde mirabantur: Maria vero minime morata ad Ecclesiam Fratrum Prędicatorum imaginem ceream miraculi recepti te[illegible]a, & grati animi signum, detulit.

Infans vita functus, aut morti valde propinquus ductus ad sepulchrum Beati Raymundi *reuocatur ad vitam, & recipit sanitatem.* Cap. XLI.



FILIVS vnius anni nomine Arnaldus fuerat Bonanatæ fœminæ honestæ vxori Iacobi cuiusdam ciuis Barcinonen. qui cum maligna febri esset correptus, vita functus ex eo est creditus, quod nec videret, nec vllum in eo vitæ signum appareret: vnde vel mortuus, vel cito moriturus infantulus omnino credebatur, quem dum Bonanata mater inconsolabiliter defleret, Maria quædam ipsius soror ei persuasit, vt infantulum ita iacentem ad sepulchrum Beati Raymundi deferret, ibiq. ipsius auxiliū imploraret, quod cum Bonanata fecisset, simulq. cum Maria, & alijs mulieribus, quæ ipsam fuerant comitatæ, deuotam, & lachrymabilem precationē ad Deum, & Beatū Raymundum pro infantulo emisisset, precatione finita, respirare infantulus, videre, & flere cœpit, & incontinenti curatus, vel vitam pristinam, vel integram sanitatem recepit.

OBSERVATIO.



V AE nunc ſubſequuntur miracula, ex antiquis etiam monumentis repertis in archiuo Conuentus S. Catharinæ *martyris* Barcinonenſis *(vbi iam* Anno M.CCC.XLI. *cum alijs inſtrumentis, & ſcripturis conſeruabuntur) ſunt deſumpta. Erant autem hæc numero multa, ad centum viginti ſex aſcendentia; & quaſi in locos communes relata; ſæpe multa de liberatis à febri quartana, & terciana, & continua commemorabantur: ſæpe multa alia, quibus in extremis laborantes ſanitati fuerant reſtituti, inſerebantur: multa de ſanatis à dolore capitis, à tumoribus, ab oculorum offuſcatione, & cæcitate, à ſurditate, à dolore dentium, & aliarum partium corporis, & ab alijs deniq. morborum generibus, quibus mortale hominum genus frequenter vexari ſolet, recenſebantur. Sed ex illis ne multa ſimilia ſæpe repetere oporterett, pauca hæc referre viſum eſt.*

De puero quaſi ſuffocato, liberato. Cap. XLII.


SVBIRANA nobilis cuiuſdam Raymundi vxor, cum lac in os infantis copioſè infunderet, nec ille facilè deglutire poſſet, ſuffocatus penitus videbatur, cum nec reſpiratione, nec officio ſenſuum vteretur. Cum autem mater egiſſe vitam infantem veriſimiliter formidaſſet, eum amare deflens, proprijs manibus in aliam domum quaſi ſuppetias viciniæ implorans tranſportauit: tum B. Raymundi deuotiſsimè inuocauit auxilium, quo implorato, ſtatim infans quaſi à morte excitatus oculos aperuit, & matris luctum in gaudium commutauit. Poſtremo die mater actura gratias, ad eius tumulum properauit.

Febri, & hydropeſi in extremis laborans, reſtituitur ſanitati. Cap. XLIII.

MVLIER nomine Algartis oppidi de Riudarenes diœceſis Gerundenſis, cum per multas hebdomadas hydropeſi, & graui febri correpta decubuiſſet, grauiſſima etiam reſpirandi difficultate premebatur; denique adeo creuerat morbus, vt de ipſius vita, nulla ſpes relicta fuiſſet. itaque cum neceſſaria ſepulturæ iam pararentur, & domus acerbo luctu miſceretur, Algartis nepos (qui ad ipſius lugendum obitum conuenerat) cum eos, qui præſentes aderant, ad orandum pro moribunda induxiſſet, flexis genibus, & candelis accenſis, eleuatisq. in cælum manibus, Sancti Raymundi meritis, ipſam ſic decumbentem ac laborantem, deuotiſſime commendauit. Mira res, vix preces finierant, cum infirma ſtatim reſtituta eſt vitæ pariter, & ſaluti: quæ paulopoſt ſimul & ipſius nepos, tu-


mulum Beati Raymundi petentes, cum gratiarum actione humiliter venerati sunt, laudantes, & glorificantes Deum, qui talem intercessorem in regnis cælestibus collocatũ exaudiret, vt illis sanitatis, & consolationis remedia conferret, qui ipsum cum fiducia inuocarent.

De incidente in defectum cordis iam morti proximo mirabiliter liberato. Cap. XLIV.



NON est minoris admirarionis quod in iuuene quodã de Madriga relucet Beati viri miraculũ: inciderat ille aliquando repente in tã vehementem cordis pariter, & corporis defectũ, vt nec loquendi officio, nec aliquo motu corporis (destitutus nempe naturæ viribus) vteretur, quamobrem in has deductus angustias morti proximus decumbebat: Cum autem miserabili casu cognito, Vicensis Archidiaconus, & quidam alij accessissent, magnisq. clamoribus iuuenem hortarentur, vt ad Beatum Raymundum virum Sanctum, & Dei amicum cum deuotione recurreret, de ipsiusq. meritis fiduciam conciperet, ipsi etiam flexis genibus orantes eidem Sancto infirmum suppliciter deuouerunt. Quo facto iuuenis mox ad interrogata respondit, & salutationem Angelicam recte, & integre pronunciauit, & loquendi officio plene recepto, sanitati est pristinæ restitutus.

De puero febricitante, scabie, & vlceribus laborante, et pedibus capto, liberato. Cap. XLV.



QVOD in Petro quodam puero, per merita Beati Raymundi liberato, operatus est Deus miraculum, singularem quoque continet pietatem: laborauerat ille integro anno, molesta scabie, grauibus vlceribus, ac tumore per totum corpus diffuso, quibus vehementer angebatur: adeo præterea inualuit mor-

borum

borum malignitas, vt quinque postremis mensibus eiusdem anni semper debilis, & vtroque pede captus iacere compelleretur: quod si quandoque recuperatis quasi viribus, incedere tentaret, vix reptando de vno loco ad alium se tantisper mouere poterat, aut transferre: interim solicita, & anxia mater, cuius animum dolor, quo filius angebatur, grauiter cruciabat, ad Beati Raymundi opem implorandam recurrendum censuit; neque eam fefellit spes, nam postquam fusis precibus filiolum Beato Raymundo commendauit, pulsa morborum malignitate conualuit, & qui antea stare non poterat, pedibus solidatis, facillime sine aliquo fulcimento ad tumulum Beati Viri acturus gratias properauit.

De procellosa maris tempestate sedata Cap. XLVI.

IMPERANT viri Sancti meritis suis non solum morbis, quos de humanis corporibus expellunt, sed ventis etiam, & mari. Qua in re paulopost obitum Beati Raymũdi valde enituit eius Sanctitas, cum mare tempestate commotum sæpe sedauerit, & miseros mortales iactatos fluctibus, tranquillitate recreauerit: Soluerat aliquando ex littore Barcinonensi nauigium varijs onustum mercibus, quas vna cum LXX. & amplius hominibus ad Insulam Maioricarum deferebat: & cum iam non procul ab Insula, felici cursu nauigaret, citoq. ad portum peruenturum putaretur, ventus ex aduerso irruens repente nauigium ad littus Tarraconense tenebrosa procella subsecuta impulit, moxq. alio contrario vento perflante, iterum versus portum Maioricensem inuolutum vndis, breuissimo temporis spatio reduxit: cum autem mare ventis velut agmine facto concurrentibus, atque inter se pugnantibus, valde intumesceret, totumq. à sedibus imis quasi conuulsum vastos volueret ad lit

tora fluctus, & nauigium medio impulsum pelago, nec portum Maioricensem apprehendere, nec tuto ad Cathalonensia littora peruenire posset, & nautæ, ac vectores simul duobus iam diebus valida procella concussi, omni spe destituti præsentem intuerentur mortem, ad multorum sanctorum inuocanda præsidia, vt in similibus periculis fieri solet, recurrentes, in sola diuina misericordia spem ponebant. Ceterum tempestate sæuiente, tertio adhuc die obscurior procella subsecuta, fluctus iam nimis agitatos denuo exagitans in præruptos veluti montes erexerat; ita vt nauem penitus obruituri, momentis singulis timerentur: Interim Ferrarius de Sancto Martino, valido clamore consurgens cum lachrymis inuocanda suffragia Beati Raymundi suadebat, commemorans eum viuentem peccatoribus consueuisse esse misericordem, & mœrentibus consolatorem; Addens etiam, vt collecta fieret pro donarijs ei offerendis, sicuti pro alijs Sanctis inuocatis facta fuerat; ipse vero mox quandam etiam promisit ceræ quantitatem: tunc licet quidam minus pie obstitisset dicens, nihil pro eo debere colligi, donec eius beneficium percepissent, cum collectæ pro alijs iam factæ nihil inuocantibus profuissent, nauigij tamen Dominus ad locum naucleri conscendens, magnis clamoribus, alijs sibi similia respondentibus Dei omnipotentis & Beati Raymundi auxilium, multiplicatis precibus, ac vocibus, inuocauit: nec fuit irrita depreatio, cum intra breue temporis interuallum, mare quieuerit, & fluctus placidam tranquillitatem fuerint cōsecuti, ita vt felici cursu incolumes ad Insulam, portumq. optatum peruenerint.

De multis à morbo caduco liberatis. *Cap.* XLVII.

CVM puella quadam Guillelmi Malgraui filia per integrum annum morbo caduco correpta adeo illius malignitate crescente vexaretur, vt singulis diebus, ter quaterq. eam horribiliter morbus inuaderet, eoq.


durante miserabiliter toto corpore quateretur, & medicorum remedia, quæ plurima adhibuerat, nihil profuissent; tandem cum ad Beati Raymundi humiliter inuocanda suffragia sese conuertit, perfectam recepit toto corpore sanitatem. Idem vero beneficiū meritis eiusdem Beati viri consecuti sunt puer Berengarij cuiusdam filius; & filia Bartholomæi de Podio; & alius quidam filius Mariæ vxoris Petri Desplanęs; Item puer alius nomine Romeus: isti enim omnes, & quidam alij quorum nomina, & miracula antiquis monumentis continētur, per Beati Raymundi merita diuersis temporibus suppliciter inuocata, ab isto graui morbo liberati fuerunt.

De eo qui cum molestam scabiem in capite pateretur, ab ea fuit sanatus. Cap. XLVIII.

ABBAS quidam sancti Benedicti de Bages (qui viuentis adhuc Raymundi probe nouerat sanctitatem, & à quo Sedis Apostolicæ auctoritate in Abbatem fuerat confirmatus) per sex annos & amplius molesto quodam scabiei genere, quod magnam capitis partem occupauerat, grauiter offensus, nullo medicinæ beneficio potuit releuari, quinimmo morbo sese amplius dilatante, frontemq. inficiente, & vsque ad supercilia descendente, faciem notabili deformitate maculabat: sed cum Barcinonem aduenіens multa, quæ per Beati Raymundi merita, signa & prodigia fiebant in populo, didicisset; memor sanctitatis & innocentiæ eiusdem, qua (cum adhuc in carne viueret) collucebat, ipsi se deuotissime commendauit, rogans & petens ab eo, ne in capite suo amplius scabies illa, & pruritus permolestus locum haberet, addēs insuper se (eo quod postulabat obtento) ad tumulum ipsius pedibus venturum, & de-

& decem ceræ libras oblaturum. Rogantis preces non fuerunt inanes, exaudiuit benigne rogatus deprecantem, nam optatam salutem est protinus consecutus: cum enim Abbas diluculo surrexisset, scabiem è capite auulsam, lineo reticulo, quo caput tegebatur, inhæsisse, tersamq. cutem capitis, & mundam deprehendit.

De liberato à graui capitis vertigine. Cap. XLIX.


PETRVS Torellus Sacerdos cum deseruiret Ecclesię de Granollarijs tam graui capitis vertigine per quindecim fere dies miserabiliter cruciatus est, vt omnes cerebri partes, seu cellulæ confundi, ac reuolui sibi viderentur: nulla dabatur afflicto requies, nullus dolore perurgente, erat placido somno locus. Quodam vero tempore, cum ea ipsa hora, qua matutinale cantabatur officium, audiuisset Beatum Raymundum à sæculo iam migrasse, & multis post obitum signorum virtutibus claruisse: statim cum multa fiducia deuote cœpit ipsius implorare suffragia, vt salutis præsidium suis sibi meritis obtineret. Mirabile dictu, psalmum, qui ipsa suæ deprecationis hora decantabatur, assistentes clerici nondum finierant, cum Petrus à precatione consurgens, plenè se liberatum sensit, nullo doloris vestigio remanente.


De habente albuginem in oculo, liberata. Cap. L.

BERENGARIA Bernardi Ioannis vxor filiam habebat dilectissimam, in cuius oculo albugo seu macula suborta, ita pupillam obnubilabat, vt superuentura visiuæ facultatis priuatio verisimiliter timeretur; post diuersa, multis modis, sed inutiliter adhibita medicamenta,

Beati


Beati Raymundi præsidia, quanta potuit deuotione, pro filię salute obtinenda, postulauit: & postulantem subsecutum est solamen; confestim enim mirabiliter ab oculo puellę albugo euanuit, & facultas videndi pristinæ fuit claritati restituta.

De oculi interruptione sanata. Cap. LI.



TEPHANIA quædam honesta mulier de villa Sancti Pador, cum per integrum fere annum graui oculorum infirmitate laborasset, tandem sub oculo dextro quædam interruptio cutis subsecuta est, quæ quasi corrosionis speciem cernentibus præbebat: perseuerauit autem huiusmodi maculæ nota multis mensibus, nec parum Stephaniæ faciem deformabat. Cum vero quodam tempore quosdam de miraculis Beati Raymundi colloquentes audiret, gratia Dei factum est, vt ipsa quoque mirabilibus, quæ narrabantur, fidem adhiberet. cum primum itaque se Beato viro multa deuotione commendasset, voto concepto, promisit se ad illius sepulchrum (quod per vnam diætam inde distabat) pedibus ituram, ipsiusq. terram oculis & faciei toti admoturam, & venerabiliter deosculaturam, si ipsius beneficio sanaretur: Eodem die post breue temporis spatium concauitas, quæ ab interruptione processerat, carne repleta est, & mox oculorum plena curatio subsecuta.

De oculorum cæcitate sublata. Cap. LII.



VELLA nomine Clara tribus mensibus videndi facultate priuata, non poterat oculos aperire: mater ipsius de cæcitate filiæ vehementer dolens, Beati Raymundi meritis eam deuotissime commendauit. Oratione completa statim puella conualescere, & oculos aperire cæpit, ac mox breui tempore subsecuto, salutem est consecuta.

Caro

Caro suborta in oculo, miraculo tollitur. *Cap.* LIII.

SVBIRANA de Ollesa neptem habebat ex filia, in cuius oculo adeo caro subcreuerat, vt videndi officio omnino impediretur. Hæc cum ad sepulchrum Beati viri cereas pendentes imagines factorum per eum miraculorum indicia conspexisset, pro salute neptis valde solicita, pulsare cæpit aures Diuinæ clementiæ, vt gloriosis viri meritis si apud Deum ita Sanctus erat, sicut homines vbiq. proclamabant, puellæ oculũ pristinę restitueret sanitati: Rursus Subirana filiam, vt similiter confideret, & oraret, inducebat: puella quoque quæ morbum patiebatur, auiæ, matrisq. iussu, ad tumulum accedens oculo, colloq. quod multis vlceribus diù laborauerat, sanieq. fluebat, terram de sepulchro apposuit. Quo facto, quod fere per annum medicamenta sæpius iterata conferre non potuerant, statim infra breue tempus diuinæ virtutis operatio contulit: nam & oculo visum, & collo restituit sanitatem.

Quidam fere cæcus emisso voto, recuperat videndi facultatem. *Cap. LIV.*



RAYMVNDVS de Bisuldono diœcesis Gerunden. quattuor continuis annis lumine oculorum quasi priuatus cum esset sutor officium suum exercere, non poterat, & sine ductore incedere formidabat. Ad Beati ergo viri merita se conuertens, eidem tota se deuotione commisit, rogans, & petens, vt redintegrationem visus perditi sibi apud Deum misericorditer obtineret: mox voto emisso, & firmato, manifestæ salutis initium sensit, & breui temporis spatio, amissi luminis consecutus est claritatem.

Vehementi oculorum dolore cruciata mirabiliter consequitur salutem. Cap. LV.

MARIA quædam ancilla Saurinæ vxoris Marimundi vehementi finistri oculi dolore cruciata, gemitus vrgentes edere compulsa, cum nullam inueniret requiem clamoribus replebat domum: Saurina miseratione commota ancillæ persuasit, quod si meritis Beati Raymundi credulam adhiberet fidem, facile liberari potuisset. Maria dominæ obtemperans, ad fenestram domus, quæ ianuam Ecclesiæ Fratrum Prædicatorum respiciebat, festina cucurrit, ibique flexis genibus, orauit ad Dominum, vt se Beati Raymundi meritis liberaret. Exauditæ preces fidei fructum statim reddiderunt: nam inter effusam orationem, & subsecutam liberationem, nullum fere intercessit temporis interuallum.

De surdo sanato. Cap. LVI.

VIR nobilis Ioannes Togores neophitum habebat, cuius auditus tribus mensibus adeo fuerat obturatus, vt minime audiret. Nobilis vir Benedictus de Baiona, (qui Beati Raymundi miracula in se ipso expertus fuerat) Neophito suasit, vt ad visitandum Beati Raymundi sepulcrũ se conferret, idque Neophitus ille cum opere præstitisset, recuperata perfecte audiẽdi facultate, omni est surditate liberatus.

De patiente dentium dolorem liberato. Cap. LVII.

ARNALDVS de Turricella ciuis Maioricensis, cum in vno dentium molarium maxillæ dextræ, grauissimũ sentiret dolorem, die quodam, ad mensam discumbens, tanta cœpit morbi grauitate vexari, vt

festinanter decumbere compelleretur. His cum premeretur angustijs sanctitatem Beati Raymundi, cuius eo ipso anno familiari collocutione vsus fuerat, ad memoriam reuocauit, eidemq. se toto corde deuouit, magna spe concepta, intercessione tanti viri, tamq. Deo cari, se protinus liberandum. mirabile dictu, nondum precandi finem fecerat, cum subito omnis illa doloris vis euanuit, ita vt remedium, quod forsan sola dentis euulsione consequi potuisset, sine temporis interuallo, diuino miraculo fuerit adeptus.


De liberata à tumore, & dolore maxillæ. Cap. LVIII.

MARIA de Carrera maxillę sinistrę tumore laborabat, doloreq. vexata, grauem etiam putrescentis dentis corrosionem experta est: infectio enim maligna per interiorem partem penetrans non paruæ profunditatis, & deformitatis corrosionem induxerat. Cum autem continuo trium mensium, & amplius spatio morbi huius malignitas perdurasset, nec medicorum, aut chirurgorum, qui plurima medicamenta adhibuerant, quidquam auxilij attulisset industria, Maria suasu quarundam Monialium inducta, Beati Raymundi suffragia humilibus precibus inuocauit; Allatam itaque de ipsius tumulo terram aquæ commixtam potu hausit, eiusdemq. terræ partem nocte ipsa morboso loco supposuit, & obdormiuit; Aurora lucescente tumorem illum euanuisse conspexit, & intra breue tempus vulnus ex corrosione ortum curatum est, totaq. maxilla mirabiliter est pristinę sanitati restituta.

De liberata à manuum, & pedum contractione. Cap. LIX.


ARIA de Vineda cùm per annum integrū, & amplius neruorum contractione, manus, & brachia inutilia gestaret, adeo vt nullo membrorum officio vti posset, quædam ipsius soror, & neptis humiliter eam meritis Beati Raymundi (qui noua quotidie edebat miracula) commendarunt. Commendatione finita, nocte mox sequenti Maria manuum, brachiorumq. pristinum recipiens vsum, & sibi, & alijs potuit ministrare.

De iuuene sanato à dolore brachij, & manus. Cap. LX.


VVENIS nomine Petriciolus patria Legionen. cum in ciuitate Cæsaraugustana brachij dextri, ac manus dextræ tumore pariter ac dolore grauiter torqueretur, ægritudinis nimium inualescēte molestia, cœpit grauissimis febribus miserabiliter æstuare: desperabant de vita ipsius, qui astabant, eò maximè quòd & rationis vsum, & locutionis officium perdidisset; ideoq. potius, quæ necessaria erant pro funere, quàm quæ adhibenda forent pro recuperanda sanitate parabantur. Sed ille tandem ad se reuersus cum Beati Raymundi meritis, cuius auxilium implorauerat, deuote, & humiliter nocte se quadam commendasset, protinus consequenti mane de lecto consurgens, nullo premente dolore, perfectam consecutus est sanitatem.

De liberato à grauissima respirationis difficultate. Cap. LXI.



GERARDVS quidam XX. propè annos ob constrictionem pectoris valde arctam, grauissimam patiebatur respirandi difficultatem: cumq. semper de ipsius pectore horridus velut sonitus prodire videretur, horis singulis valde suffocari timebat, interim ille licet multa, quibus vel sanari, vel mitigari uis morbi potuisset, medicamenta sumpsisset, multaq. remedia expertus fuisset, nihil illa adiumenti contulerunt. tandem de meritis Beati Raymundi concepta fiducia, eidem humiliter se deuouit, petens ab eo beneficium sanitatis. Hæc Gerardus prolocutus, bona statim valetudine subsecuta, nullam vlterius constrictionem pectoris, nullã amplius sensit respirandi difficultatem. Acturusq. gratias Beato viro pedibus ad ipsius tumulum veniens, sicut promiserat, eum est humiliter veneratus.

De liberata à magna pectoris arctatione. Cap. LXII.

SIMILEM morbum cum pateretur Ermesendis quædam, similem etiam percepit meritis Beati viri beneficium sanitatis; cũ enim multa peccatoris arctatione premeretur, tussisque præterea impetu, spatio quatuor annorum, & tempore præsertim æstiuo esset valide prægrauata, nec humana præsidia profuissent, ad Ecclesiam, in qua Beati viri corpus humatum iacebat, confessura peccata se contulit. Sed quum post peractam confessionem peccatorum acrius eam morbus cruciaret, monita, & inducta, vt humiles ad Beatum virum funderet preces, postquam illum precata

cata est, nullam ab illo tempore sensit amplius morbi grauitatē, quinimo in toto corpore perfecte est sanitas subsecuta.

De sterili reddita fœcunda. Cap. LXIII.



OBILIS mulier nomine Valentia vxor de Vrgeles postquam decem annis cum viro infœcunda vixisset, nec prolem vllam, quā desiderabat suscepisset, licet multa medicamēta, quibus sterilitas arceretur, adhibuisset, tandem festina, & humilis ad Beatum virum cucurrit: ceream q. imaginem fidei, & deuotionis suæ signum ad ipsius sepulcrum allatam suspendit. Quibus peractis, reuersa domum intra octo dies conceptum filium legitimo tempore peperit, gaudensq. nutriuit.

De periclitante in partu liberata. Cap. LXIV.



ERENGARIVS de Sala cum periclitantem vxorem propter magnam pariendi difficultatem ex nuncij cuiusdam relatione percepisset, ad tumulum Beati Raymundi multa cum deuotione adorandum se contulit, vt ipsius interuenientibus meritis, vxori liberationem diuina clementia concedere dignaretur; Cum autem emisso voto, venisset ad eam, quæ fœtum iam mortuum gestabat in vtero, & sensibus præterea, & viribus corporis per diem, & noctem impotens effecta, locutionis quoque officium perdidisset, vicinæq. mortis indicia circumstantibus apparerent, Berengarius cum tanto periculo consternatus, in presentia omnium, instantius vxorem iam iam moribundam meritis Beati Raymundi commendasset, statim post preces effusas mortuus est fœtus eiectus, vxorq. diuina operante virtute, penitus est liberata.

De alia muliere similiter liberata. Cap. LXV.



ANVARIA nobilis etiam mulier Beato Raymundo acceptum refert simile beneficium: cum enim ex dolore partus grauissime torqueretur, ita vt tam ipsa, quam astantes mortis periculum verisimiliter formidarent, interim Ianuariæ mater in superiorem domus partem conscendens, flexis, & nudis genibus filiam periclitantem Beato Raymundo deuotissime commendauit; nec frustra; vix enim ab humo se mulier erexerat, cum filia & à dolore partus, & à mortis periculo liberata nunciatur.

De liberata à grauissimo vmbilici dolore. Cap. LXVI.


BARTHOLOMAEA quædam Barcinonensis tribus hebdomadis adeo vehementem in vmbilico sustinebat dolorem, vt nec stare, nec cibum aliquem retinere posset: iam dolore premente frequenter in terram proiecta caput miserabili agitatione torquebat, ita vt interdum os, & faciem graui collisione, vnde sanguis profluebat, horribiliter fœdaret: sed postquam Bartholomeæ mater, filiam Beati Raymundi præsidio muniri, & liberari postulasset, & ipsa quoque Bartholomæa in signum deuotionis, ac fidei terræ particulam de tumulo venerandi patris acceptam deglutisset, colloq. alligasset, statim dolore mitigato, breui tẽpore subsecuta est in toto corpore sanitas.

De mercatore meritis Beati Raymundi à latronibus liberato. Cap. LXVII.



VM mercator quidam Barcinonensis negotiorum gratia iter ageret, incidit in latrones, quem illi omnibus bonis suis spoliatum secum ducentes, vt bona surrepta pacifice possiderent, interficere cogitabant; quod perpendens mercator (in præsentia enim sua de nece consulebatur) vehementer expauescens ad implorandum Beati viri præsidium humiliter recurrit, seque ei toto corde deuouit; nec vlla interposita mora, latrones restituto mercatori iumento, quo incedere posset, (retentis tamen ceteris bonis, quæ nihilominus consequenti mox die, iusto Dei iudicio, compellente iudice, restituerunt) liberam concesserunt recedendi facultatem: tum mercator ingentes gratias referens, pretiosa donaria, quæ promiserat, ad tumulum Sancti Raymundi portauit.

De paralitico curato. Cap. LXVIII.



VOD præterea in vetustis actis processuum canonizationis Beati Raymundi de Fratre quodam Ollario Ordinis Prædicatorum in Conuentu Gerundensi narrabatur miraculum, magnum præbuit Beati viri sanctitatis indicium. Iacuerat Frater ille multis hebdomadis miserabiliter paraliticus dissolutis omnium membrorum articulis, adeo vt medici de salute recuperanda, inspecta humorum malignitate, penitus desperarent: tanta enim conuulsione miserum hominem inuaserat morbi uis, vt nulla se posset ratione mouere, sed indigebat penitus aliorum adiutorio ad omnes vitę functiones exercendas. Interim ęgrotus cum statum suum miserum consideraret, & inconsolabiliter calami-

tatem suam defleret, apud Iesum Christum Dominum nostrum cum lachrymis, & gemitibus merita Beati Raymundi recensebat, precabaturq. vt eum haberet suæ salutis intercessorem, cuius insignem nouerat sanctitatem. Hæc cum Frater ille humiliter, & deuote esset precatus, apertisq. oculis vigilaret, visus fuit sibi sentire aliquem sibi innuentem, vt se in alium conuerteret latus, statimq. ægrotus hoc se posse facere credens, nihil hæsitans, de latere dextro in sinistrum celeriter, & expedite tamquam sanus, & fortis voluit se, iterumq. confestim vertit se de sinistro in dextrum latus; quod sæpius iterauit, plorans semper, & Iesu Christo Domino, & Beato viro gratias agens; mox præterea velociter de lecto cōsurgens absque aliquo præsidio humano (solus enim manebat in cella) pedibus stetit, & sine aliquo fulcimento ambulauit per eam Conuentus partem, vbi Fratres iacebant infirmi, cuius voces in gratiarū actionem solutas cum multi sensissent Fratres celeriter accurrerunt, quærentes solicite, & auide scire cupientes, quomodo tam mira res acta secum fuisset; Frater vero miraculum, vt gestum fuerat suo ordine cæteris explicauit, omnesq. simul gratias egerunt omnipotenti Deo, qui tam mirabilem sanitatis effectum, meritis Sancti sui, dignatus fuerat operari.

De timente confiteri. Cap. LXIX.

CVM vir quidam immanitate grauis sceleris premeretur, sæpiusq. vrgente conscientia, cogitando meditaretur omnino expedire sibi, vt graue illud peccatum confiteretur, eiusq. rei gratia, sæpe ad Ecclesiam, in qua Fratres Ordinis Prædicatorij audiendis confessionibus assidebant, peruenisset, ita conatus eius per hostem inuisibilem impediebatur, vt varijs in corde succedentibus cogitationibus, quibus valde angebatur, nulla facta confessione recederet. Sed cum tandem diuinitus inspiratus impedimētum huiusmodi

de ho-

de hostis antiqui suggestione prouenire intelligeret, ad sepulchrum Beati Raymundi vehementer dolens, & gemebundus accessit, petens ab eo, vt gratiam confitendi peccata sua sibi misericorditer à Domino impetraret. Hæc precatus simul atque ab humo surrexit, adeo firmum in se confitendi propositum agnouit, tantaq. stabilitate firmatum, vt nec quieuerit, donec à pio quodam Fratre ibidem audiendis cõfessionibus præposito sacramentum pœnitentiæ venerabundus acceperit: in ipsa autem Sacramentali confessione ad suscipiendum cuiuscumque satisfactionis onus tam promptum, tamq. paratum se ipsum exhibuit, vt confessor super tanto deuotionis affectu non mediocriter miraretur. Singularia sunt hæc beneficia diuinæ largitatis, quæ sæpe sanctorum meritis, peccatoribus, vt in viam possint redire iustitiæ, liberaliter, & efficaciter communicantur.

De Sarracena à grauissimo dolore liberata. *Cap.* LXX.

NOBILIS mulier Maria de Merolla seruam Sarracenam habebat nomine Axà, ita grauiter dolore capitis, & totius corporis angustijs afflictam, vt mortis periculum formidaret. Hanc Maria obnixè Beati Raymundi precibus commendauit, ac ipsa etiam Axà, licet infidelis eiusdem Raymundi auxilium magnis vocibus, vt poterat, inuocauit: nec fuerunt irritæ preces, cum eiusdem Sancti meritis fuerit liberata.

De alia Sarracena etiam à dolore, & tumore liberata. *Cap.* LXXI.

EIVSDEM beneficij alia Sarracena nomine Maimona haud dubie particeps fuisse commemoratur, quæ cum quinque hebdomadis, & amplius dolore,

& tu more, ex vlcere finiſtræ manus grauiter vexaretur, nec adhibita Chirurgorum arte profuiſſent remedia, ſuadente Valerino Domino ſuo deuote, vt potuit, Beati viri ſe meritis commendauit, oratione peracta, ſine mora vlcus, & tumor diſſoluitur, ſanies, & putredo effunditur, & omni deniq. morbo liberatur.

Hæc tam profuſa omnipotentis Dei miſericordia facile ad ſe amandum, & diligendum peccatores inuitat, cum infidelibus etiam ſuorum meritis ſanctorum, & fide precantium beneficia conferat ſanitatum. frequentia ſunt de hac re in vitis Patrum, & Sanctorum exempla.

OBSERVATIO.



Ollegimus hactenus ex immenſa illa multitudine miraculorum Beati *Raymundi, quæ in antiquis proceſſibus continentur, ea, quæ hactenus relata ſunt; ſupereſt nunc quædam alia, quæ ante paucos annos per Sanctum ſuum* Deus *dignatus eſt operari, contenta in recentiori proceſſu, (eum vocant Remiſſorialem,) quem Epiſcopi Commiſſarij anno 1596. Barcinonis confecerunt, fideliter recenſere. Ex quibus etiam patebit, quàm clara teſtificatione benignus* Deus Beati *viri ſanctitatem omni ſæculo per continuatam mirabilium operum coruſcationem voluerit demonſtrare.*

Quasi paraliticus mirabiliter liberatur. Cap. LXXII.


IACEBAT per decem ferè menses quasi paraliticus Iacobus de Encontra Notarius Barcinonensis vir pius, & prudens, qui cum audisset è ciuitate Valentina Barcinonem aduenisse Fratrem Dominicum Anadon Ordinis Prædicatorum virum pium, deuotum, & ardentem pauperum amatorem, curauit, vt ad se visitandum accederet, accepturus ab illo aliquod in morbo solamen; cum vero pius ille Frater vna cum monasterij Sanctæ Catherinæ Sacrista ad inuisendum infirmum accessisset, flexisq. genibus esset hortatus, vt præmissa ad Deum oratione ad impetrandam ab eo, & eius sanctis salutem, Reliquias Beati Raymundi, quas secum ferebat, id est pallium, super quo mare transiuerat, adorandas proposuisset, maximaq. infirmus deuotioue veneratus fuisset, tertio deinde, aut quarto die nullis adhibitis humanis remedijs è lecto surrexit & sanus incessit, cum antea, vt paraliticus in lecto iacuisset.

De sedata tempestate, & triremi à magno periculo erepta, post proiectam in mare terram de sepulchro Beati viri sumptam. Cap. LXXIII.


CVM triremis Sanctæ Barbaræ, cui præerat Ignatius Lopez de Alzata vnà cum alijs Hispanicæ classis triremibus versus Baleares insulas nauigaret, tempestásq. in alto suborta pelago maximũ præsentibus periculum minaretur, dominus de Marimon, qui eadem


triremi vehebatur, imminenti periculo cognito, ad Sanctorum imploranda suffragia recurrendum putauit. Quamobrem paululum terrę de sepulchro Beati Raymundi extractę ad triremis Ducem transmisit, vt illius meritis, tempestate cessante, optata tranquillitate fruerentur. Acceptam terram Dux veneratus Fratri Antonio Ordinis Sancti Francisci de Paula in mare proijcienda tradidit. Is Dominica oratione ab omnibus, qui præsentes aderant deuote recitata, sæpeq; Beati Raymundi præsidio inuocato, terram in mare proiecit, nec multo post sedatam senserunt tempestatem; cum enim paulo antea fluctus ventis vndique agitati, qui frequentes in triremem ingrediebantur, eam momentis singulis submergere minarentur, post terram proiectam, quasi iussu imperantis compressi subsederunt. Itaque serenitate, ac tranquillitate subsecuta, ad portum, quem petebant, securi peruenerunt. Nautæ ea potissimum ratione, tranquillitatem diuino miraculo meritis Beati Raymundi impetrato tribuendam censuerunt; quia cum tempestate durante venti diuersi Subsolanus, Notusq. perflarēt, quibus flantibus tempestates semel exortæ spacio duorum, vel trium dierum in illo maris tractu durare solet, hæc quatuor horarum dumtaxat tempore concitatos agitauit.

De liberato à dolore capitis, & ardenti febri. Cap. LXXIV.

ANNO 1587. ardenti febri, & vehementi capitis dolore laborabat Paulus Masonus ciuis Barcinonēsis, cumque nullum humanum remedium, quod permultos dies ope medicorum adhibitum fuerat, sibi profuisse sensisset, tandem ad sacras reliquias Beati Raymundi itum est, vnde optatum remedium reportauit; cum enim petitum pallium Beati viri ad infirmū esset delatum, illudq. deuotissimè veneratus Cōfessoris Dei implorasset auxilium, mox vt sacras reliquias contigit, à dolore capitis liberatus

paulopoſt etiam à febri integram valetudinem recuperauit; quod adeptæ ſanitatis beneficium, diuino miraculo precibus Beati Raymundi, non aliquibus medicinæ præſidijs acceptum retulit, cum per octo dies antequam ſacrum pallium eſſet deoſculatus, nulla medicamenta ſumpſiſſet, ac ne poſtea quidem ſumenda curauerit.

De alia ſimiliter liberata. Cap. LXXV.



NNA Matthæi Fornerij ciuis Barcinonenſis vxore anno 1592. ardenti ſimiliter febri, & acuto capitis dolore laborante, Medicus vnctionem, qua caput ipſius, vngeretur præparauerat, quod cum Matthæus vxori denunciaſſet, illa conſtanter, nulla ſe vnctione vſuram reſpondit: cupere tamen vehementer ad ſe Beati viri afferri pallium, cuius interceſsione ſperabat à dolore capitis liberari: & quamquam maritus vrgere præceptũ Medici cõmemoraſſet, illa omnem penitus vnctionem repudiando, & ſacras viri reliquias ad ſe deferri petendo in ſententia permanſit. Quamprimum itaque optatum Sancti pallium delatum, & laborantis mulieris capiti applicatum eſt, omnis primũ dolor, ac poſtea omnis etiam febris receſsit. Hoc tam clarum ſanitatis remedium interceſsione Sancti Raymundi, ex eo contigiſſe conſtabat, quia nulla humana præſidia, nulla medicamenta, antea, vel poſt ægrotanti fuerant applicata.

De curato à graui oris infirmitate. Cap. LXXVI.

GRAVIORI infirmitate Paulus Stada ciuis Barcinonenſis ob diſtillationem ex capite in os defluentem vexabatur: ita vt nec cibum ſumere, nec os aperire poſſet. Suaſus interim à quadam pia muliere, vt ad

Beatum Raymundum recurreret, eiusq. auxilium imploraret, Paulus piæ admonitioni obtemperans, ſacrum in ſacello Sancti Raymundi celebrari, & ceream imaginem capiti ſimilem ad tumulum ſuſpendi curauit, conſequenti mox nocte, antequam ſacrum fieret, ægrotanti Religioſus quidam Ordinis Sancti Dominici ſenili ſpecie apparere viſus eſt, qui ipſum, poſtquam reſpexiſſet ęgrotantem, euanuit: paulopoſt aurora luceſcente, dum venerabile Miſſæ ſacrum celebraretur, ægrotus os aperuit, tum melius habuit, omnisq. dolor, quem diſtillatio in facie producebat, receſsit. Hoc ſalutis beneficium Sancti Raymundi meritis eo certius acceptum retulit, quo ægrotus, qui os aperire non poterat, nullum ad valetudinem conſequendam ſumpſerat arte paratum, vel caſu propinatum medicamentum: tanti beneficij memor ad ſacrum viri ſepulchrum piè colendum Paulus venerabundus acceſsit, &c.

De ſanato à peſte. Cap. LXXVII.

IAM quod anno 1589. in Michaele Amat contigit miraculum, non obſcurum exhibet ſanctitatis teſtimoniū, quod Rotæ Auditores in Relatione ſuper Canonizatione Beati viri ad Sanctiſsimum Dominum Noſtrum Clementem VIII. his verbis recenſuimus: *Cum anno 1589. grauiſſima peſtis Barcinonis, quæ multos miſerabiliter ſuſtulit, graſſaretur, tunc vir nobilis Michael Amat, ea peſte correptus, à Medicis derelictus, Sacramento extremæ vnctionis ritè munitus animam agebat: in eo periculo conſtitutus iam moribundus Beatum Raymundum corde, & animo (ore enim non poterat) piè ardenterq. orauit vt valetudinē ſibi impetraret: hac oratione præmiſſa, eodem tempore B. Raymundus viſus eſt ægrotanti apparere, qui ſimul, ac eum tetigiſſet, linteumq. (quo Michaelis confeſſarius ipſius caput inuoluerat, faciemq. obeuntis obtegerat) amouiſſet, conualeſcere cœpit, eodemq. die à lecto ſurrexit.* Miraculum redde-


reddebant illuſtrius morbi malignitas, & circunſtantiæ, nulla enim ægrotus medicamenta perceperat.

Mariana Scaiola Sancto Raymundo inuocato, liberatur à difficultate partus. Cap. LXXVIII.



ABORABAT hæc Mariana ante 30. ferè annos in ciuitate Barcinonenſi, vehementi partus dolore, & cum fœtum edere non valeret, chirurgi ſcindere vterum, vt fœtum extraherent, decreuerunt, quod cum Mariana perſenſiſſet, ad Raymundi ſuffragia implorānda recurrit, & ſuprà ſe venerabile viri pallium imponi tremebunda, piè, & lachrymabiliter poſtulauit. Pallium laboranti applicatum, ſtatim dolorem expulit, & illa quaſi laxatis paululum viſceribus infantem in lucem edidit; nullis alijs remedijs humanis vſa, præter Beati Raymundi interceſſionem poſtulatam.

Ioſephus Benach tacto lapide ſepulchrali Beati Raymundi, à graui capitis dolore liberatur. Cap. LXXIX.



NNO 1596. vtriuſque iuris Doctor, & Regius Conſiliarius Ioſephus Benach eiuſdem Beati viri beneficia expertus, egregio ſuo teſtimonio in actis huius cauſæ relato, ingenue eſt profeſſus: cum enim per aliquot dies ante quadrageſimam febri correptus decumberet, & maximo dolore capitis vrgeretur, quamquam emiſſo ſanguine à febri fuiſſet liberatus, idem tamen dolor, quo caput vexabatur, remanſit: interim miracula, quorum ſplendore S. Raymundus vbique fulgebat, recordatus, vna cum

Do-

Doctore Iosepho Mur Regio etiam Consiliario ad Monasterium Sanctæ Catherinæ, vbi sepulchrum Beati viri magno cultu habetur, initio Quadragesimæ eiusdem anni accessit. Cum vero positis genibus ante sepulchrum pie orasset, & sepulchrali lapidi, vbi foramen extat venerabundus caput admouisset, se à graui dolore capitis confestim liberum remansisse cognouit, quem amplius non persensit. Eam liberationem miraculo tribuendam ex eo etiam vir pius, & doctus contestabatur, quod postquam febrim depulerat, nulla medicorum ope præparata receperat medicamenta: addebat præterea alterius prorsus similiter miraculi historiam in actis etiam relatam: cum enim paucis post diebus Petrus Caluò doctor, & Regius Consiliarius simili dolore capitis laboraret, ac Iosephus se beneficio Beati Raymundi liberatum affirmasset, ambo ad sepulchrum venerandum accesserunt; Petrus vero iuxta sepulchrum in genua prouolutus post fusam ad Sanctum orationem statim omni prorsus dolore fugato, liberum se, atque immunem sentiens, miraculum est etiam contestatus.

Mulier, quæ de scala satis alta cadens, grauissimo dolore ob collisionem torquebatur, intercessione Beati viri liberatur.

Cap. LXXX.



ATHERINA Serampiona Barcinonensis anno 1595. cum per ligneam scalam altitudinis xxxij. palmorum non satis fixam, aut firmiter munitam ascendisset, scala ruente, Catherina in pauimentum magno fragore cecidit, & spatio xxij. dierum acerbis fuit vexata doloribus: quos cum nocte quadam acriori impetu irruētes ferre non posset, ad multa, quæ per Beatum Raymundum audiuerat fieri miracula, contemplanda se se conuertens, eum pie & deuote

precata est, vt apud Deum pro se intercedens, liberari se à tot cruciatibus postularet, precibus tibiæ cereæ ad sepulchrum Sancti deferendæ, si desiderij fieret compos, votum addidit, lassata doloribus Catherina, hæc precata, statim suauiter obdormiuit, & post aliquot horas espergefacta, nullo iam dolore perculsa, nullam amplius molestiam sensit: summo mane, recepti beneficij memor, ad sacellum Beati viri properans, tibiam ceream obtulit, quam miraculi indicem in eo sacello suspendendam curauit.

Paralitica curatur. Cap. LXXXI.

ANNO 1589. Ioanna Rafols Barcinonensis graui paralysi correpta, quasi tabida iacebat in lecto: quinque & amplius mensibus immobilis, (nullum enim membrum suo fungebatur officio) aliorum ope, actiones omnes, quibus mortalis vita sustentatur, obire cogebatur: cumque omnes, qui morbi vim agnouerant, incurabilem naturæ beneficio arbitrarentur, illa Beatum Raymundum humiliter, & deuote cœpit inuocare, deprecarique, vt salutem motumq. corporis pristinum sibi à Deo impetraret: non fuerunt irritæ preces, cum intra triduum conualuerit, & & omnium membrorum corporis officium recuperauerit.

Infans morti valde propinquus recuperat sanitatem. Cap. LXXXII.

MELCHIOR Palau 21. mensium ætatis infans, 40. dierum spatio grauissima febri correptus ab omnibus domesticis derelictus super cubili collocatus, propinquam expectabat mortem; quinimò ab intuentibus iam mortuus credebatur: interim pater illius dum rediens domum infantulum agentem iam animam, & ab omnibus derelictum deprehendisset, famulam ad monasterium Sanctæ Catherinæ festinanter ire iussit, vt pallium Sancti

Raymundi adducendum curaret, quo supra infantem molliter apposito infanteq. à patre, & reliquis domesticis Beato Raymundo deuotissime oblato, mox ille conualuit, & à febri instantiq. periculo fuit penitus liberatus. Id beneficium Pater, Raymundi sanctitati acceptum retulit, nulla enim prorsus humana remedia morienti fuerant applicata.

In periculo mortis positus ob febrim continuam cum quartana, ad contactum pallij Beati viri liberatur. Cap. LXXXIII.


CHRISTOPHORVS Nogues, Sacræ Theologiæ Doctor, & Parochialis Ecclesiæ S. Saturnini de Montornes diœcesis Barcinonensis Rector, anno 1592. mense Septembri febri quartana occupatus ad finem eiusdem mensis, & anni in acutam, & continuã, eadem quartana perdurante, incidit. Quatuor medicinæ doctores acciti malignitatem morbi ex causa mortem minante considerantes, nullamq. salutis remanere spem pronunciantes, infirmũ dereliquerunt. Ceterum Christophorus à confessario admonitus, quanto in periculo, iudicio medicorum versaretur, venerabile Eucharistię sacramentum venerabiliter sumpsit pro viatico. Confessarius præterea pallium Beati Raymundi quem sæpe ægrotus inuocauerat, ad eundem detulit contingendum, quod cum infirmo foret applicatum, simulq. parentes, & consanguinei votum Deo, & Beato Raymundo vouissent, statim post contactum pallium à mortis periculo extitit liberatus: remansit tamen nihilominus febris quartana, superuenitq. præterea dolor colicus, ita vt medici, aut nullam fore spem salutis recuperandæ, aut si vita superesset, paraliticum remansurum Christophorum affirmarent. Hæc cum ita se haberent, ad inuocationem sancti iterum recurrentes, palliumq. iterum infirmo applicantes, plenam adeptus est sanitatem.

Labo-

Laborans febri tertiana, epota terra scaturiente è sepulchro Beati *viri, statim liberatur.* *Cap.* LXXXIV.

MICHAEL Steue cum circiter annum 1580. graui, & ardenti febri tertiana laboraret, vt potuit ad Ecclesiam Sanctæ Catherinæ Ordinis Fratrum Prædicatorum se contulit, & postquam Missam deuote audiuisset, & se Beato Raymundo commendasset, paululum terræ ab eius sepulchro extractæ intra sacristiam, cuius rei causa illuc profectus fuerat, simul cum aqua reuerenter assumpsit, statimq. à febri omnino liberatus remansit, cumq. post octo menses in eandem incidisset, atque eadem Michael peregisset, Missam scilicet deuote audiendo, & terram reuerenter suscipiendo, protinus etiam fuit à tertiana liberatus, quam numquam amplius persensit.

Febricitans tertiana, contactu pallij Beati *viri statim liberatur.* *Cap.* LXXXV.



LVDOVICVS Michael de Bartomeu Canonicus Barcinonensis anno 1587. in lecto decumbens febri tertiana laborabat, quam humanis remedijs depellere non potuerat. Interim cum ad eum inuisendum quidam ipsius amicus accessisset, febricitantemq. Ludouicum ad deuotionem, & amorem Beati Raymundi accendisset, mox discedens, nemine rogante, aut impellente, ad monasterium Sanctæ Catherinæ profectus, curauit, vt Sacrista pallium Raymundi ad febricitantem deferret, quod cum ægrotus summa deuotione, & humilitate esset veneratus, precesq. ad Raymundum effudisset, statim à febribus liberatus, pristinæ fuit saluti restitutus.

Patiens vertigines, & dolores capitis, eo inserto in sepulchrum Beati R*aymundi, liberatur.*
Cap. LXXXVI.


BERNARDVS Subies Notarius ciuis Barcinonensis vehementi dolore, & vertigine capitis ita cruciabatur, vt vix salutem in reliquo corpore persentiret: Eleonora Subies eius mater filij cruciatum grauiter ferens, hortata filium est, vt se ad Ecclesiam Sanctę Catherinæ, vbi est Beati Raymundi sacellum, & venerabile sepulchrum, se conferret, caputq. in foramen sepulchri inferret, recitatisq. orationibus, & precibus, Raymundi auxilium imploraret, speraretq. eum, qui tot beneficia ad ipsum recurrentibus conferebat, sibi quoque futurum propitium. Bernardus, materna hortatione audita, ad Ecclesiam se conferens, sepulchrum Beati viri veneratus, atque in foramen caput inserens, cum primum id fecisset, melius habere cœpit: tum per aliquot dies eadem pietatis opera repetens, concupitam, perfectamq. consecutus est sanitatem.

A periculoso tumore liberatur mulier, inuocato B. R*aymundo. Cap.* LXXXVII.


ANGELA SantAndreu anno 1596. ex tumore in genu oborto ab humore defluente valde angebatur, & cum chirurgus applicata remedia inaniter cecidisse vidisset, genu scindere decreuerat: sed cũ Angela periculũ formidaret, resciſſioneq. recusaret, omissis humanis, ad remedia cœlestia confugiens, Raymundum precata est, vt se à mortis periculo liberaret: oratione deuote, ac reuerẽter facta, statim dolorem imminui sensit, & post aliquot dies à tumore, doloreq. nullo prorsus medicamento adhibito, liberata fuit.


Mulier

Mulier sumpta terra de sepulchro Beati Raymundi, liberatur à graui ventris dolore. Cap. LXXXVIII.



VM Maria Angela Rodes Barcinonensis anno 1596. spacio quinque mensium grauissimo ventris dolore laborasset, nullumq. humanum remedium inuenire potuisset, cum Beati Raymundi precibus, & intercessioni se se commendans, parum terræ, quæ ab eius sepulchro extrahitur, ouo sorbili mixtæ deglutiuisset, statim dolore liberata, cereum donarium grati, & memoris animi indicium, ob receptam salutem, ad Beati viri sacellum detulit.

Mulier à febri continua liberatur. Cap. LXXXIX.



ARIA ANNA Samsona anno 1592. febrim continuam duobus mensibus pertulit, cui cum adhibita per medicum humana remedia non profuissent, apud sepulchrum Beati Raymundi, cum eius deprecaretur auxilium, à febri liberata, nullam amplius molestiam sensit.


Lethali morbo affectus sanatur. Cap. XC.

NON minus Beati viri intercessione salutis beneficiũ recepit Antonius Ioannes Samso eiusdem Mariæ Annæ filius, qui cum mense Ianuario anni 1586. mortifero quodam morbo pallidũ, croceumq. illum efficiente, duorum mensium spacio cruciaretur, ita vt cito moriturus crederetur, Maria Anna cum primum filium deuote & reuerenter Beato

Raymun-


Raymundo commendasset, illico melius se habuit, & paucis post diebus integram valetudinem assecutus fuit: Mox mater in receptæ salutis testimonium, cereum ad sacellum Beati Raymundi deferendum curauit.

De sanata à maximo fluxu sanguinis. Cap. XCI.



OTAE Auditores in relatione Canonizationis Beati Raymundi ad Sanctissimũ Dominum Nostrum Clementem Papam VIII. hoc miraculum approbantes, his fere verbis recensuimus: Anno 1596. Annæ Benetæ Barcinonensi in ipso festo Epiphaniæ hora noctis octaua, magnus repente sanguinis fluxus accidit copiose tota nocte ex illius ore defluentis: vocati medici, & chirurgus ad fluxum sistendum, aliqua medicamenta adhibuerunt: Ceterum cum vidissent remedia humana deficere, protinus eadem nocte illam peccata sua confiteri fecerunt, atque vt sacra Eucharistiæ, & Extremæ vnctionis Sacramẽta reciperet, induxerunt: credebant enim eam illa omnino nocte morituram. Interim Beneta à medicis iam derelicta, magna deuotione Beati Raymundi precibus se commendans, de terra, quæ ab illius sepulchro extrahitur, sibi deferri petiuit: mox cum pulueres de ea terra aquæ commixtos bibisset, statim melius habere, & conualescere cœpit, nullisq. alijs remedijs deinceps receptis, salutem consecuta, post aliquot dies actura Beato viro gratias, cuius meritis ab imminenti mortis periculo fuerat liberata, Ecclesiam Sanctæ Catherinæ, sepulchrumq. Beati Raymundi deuote visitauit: Medici, qui ei curandæ interfuerant, miraculum sunt confessi, asserentes diuino muneri, intercessione Beati Raymundi, non arti medicinæ, sanitatis effectum tribuendum.

Febricitanti apparent duo Religiosi suadentes, vt Beato Raymundo se commendet, & liberatur. Cap. XCII.



IMMENSAM nobis Dei misericordiam commendat, quod meritis Beati Raymundi in Gregorio quodam Barcinonensi, cōtigit miraculum. Aegrotabat ille circiter annum Domini 1560. febri continua correptus, & de ipsius salute medici, & domestici desperabant: Quodam vero tempore hora nempe prima post mediam noctem, cum vxor ipsius expectans tempus, quo ex praescripto medicorum potionem Gregorio propinare debebat, prope dormiret, & fores essent clausae, duo viri Religiosi habitum Fratrum Ordinis Praedicatorum deferentes, vnus iuuenilis, alter aetatis prouectae apparuerunt: senex apprehensa aegrotantis manu, eum monuit, vt ad Monasterium Sanctae Catharinae se conferret, peteretq. vasculum aquae cum terra à sepulchro Beati Raymundi extracta, & biberet, curaretq. etiam, vt super Beati viri altare sacrum fieret, nec amplius de saluto sua esset solicitus: Gregorius laetitia perfusus dormientem excitauit vxorem, seque sanū iam esse, quia ita in seipso sentiebat, renunciauit. Statim enim reliquerat eum febris, quae numquam deinceps illum cruciauit, & propterea nec medicamentum sibi paratum, nec aliud remedium voluit recipere, nec recepit, quia non indiguit. Summo mane licet viribus esset imbecillis ab vxore, & amico ipsum fulcientibus ad Monasterium Sanctae Catherinae impiger perrexit, vbi aquam cum terra de sepulchro extracta bibit, Missam super altari Beati viri celebrari fecit, qua audita, domum reuersus, amplius non decubuit, & paulopost integram valetudinem, & vires recuperauit.

Pre-

Prægnans ab instanti mortis periculo ob partus difficultatem, eripitur. Cap. XCIII.



LISABETA Vaquera ciuis Barcinonensis mense Ianuario. 1596. ob partus difficultatem graues dolores tribus diebus, & tribus continuis noctibus pertulit: obstetrix remedij à se amplius adhibendi nescia vocari chirurgum ad vterum aperiendum, & extrahendum partum iussit. Interim Petrus Vaquer Elisabethæ maritus præsens periculum considerans, confestim ad sacellum Beati Raymundi propetans, hymnum in ipsius honorem (quem Cathalani goigs, idest, gaudia vocant) decantari fecit: ipse quoque deuote, & reuerenter ad Sanctum preces fundens, orauit, vt apud Deum intercedens, vxorem à dolore partus liberaret. His peractis, relicta candela accensa super eius altari domum rediens, quid egisset, moribundæ vxori renunciauit, addens, vt ipsa quoque Beato Raymundo deuote se commendaret; quo facto, illico absque dolore, valde admiratibus obstetrice, & ceteris, qui aderant, Elisabettha filiam sanam, & integram peperit. Miraculo etiam fidem auxit, quoniam nulla prorsus medicamenta fuerant parturienti propinata.

Multis annis olfactus sensu priuatus, cum aperiretur sepulchrum Beati Raymundi, *eum recuperauit.* Cap. XCIV.



VM anno 1596. die 4. Aprilis magna confluentis populi frequentia, Archiepiscopus Tarraconen. & Episcopi Barcinonensis, & Vicensis Iudices Remissoriales, sepulchrum Beati viri celeberrima solemnitate, exploraturi

eius existentiam, aperuissent, aliquot illustria cõtigere miracula, ex quibus duo potissimum quæ fuere clarissima, enarrabuntur: Vnum de suauissimo odore ex sepulchro aperto prodeunte, de quo paulo post dicetur: alterum de sensu olfactus recuperato, meritis Beati viri, quod nunc ad eiusdem laudem proponimus.

Ludouicus de Claramunt ciuis Barcinonensis anno 1580. Gerundæ (vbi munere Vicarij Regij fungebatur) ex graui morbo tabidus fere sine visu, & sine olfactu omnino remansit; & licet post duos menses videndi facultate, & cæterorum membrorum corporis functionibus vteretur, olfactum tamen numquam recuperare potuit, donec sepulchrum Beati viri fuit apertum; cum enim tunc Ludouicus ex deuotione in Sanctum concepta, ad Ecclesiam Sanctæ Catharinæ se contulisset, & quoad fieri potuit præ hominum multitudine concurrente, proxime ad sepulchrum accedere procurasset, vt & reliquias videre, & venerari posset, protinus atque sepulchrum fuit apertum, odorem suauissimum persensit: cumque præ gaudio lachrymans emittens cogitasset, num id beneficium, Beati viri intercessione, eo solum tempore collatum à Deo esset, vel potius olfactus sibi esset restitutus, cum domum reuersus odorem quoque recentis panis percepisset, se amissum olfactum spacio xvj. annorum perfecte recuperasse cognouit: quod cum & matri, & vxori fratris explicuisset, ac tantum beneficium Raymundi sanctitati, & intercessioni acceptum retulisset, incredula adhuc fratris vxor (Ludouico penitus inscio) vt veritatem explorarer, candelam à tergo extinxit: sed Ludouicus statim male olentis candelæ fumum persensit, & deinceps odores suaues, & insuaues discreuit, & naribus receptos dijudicauit. Addebat Ludouicus, adhibito iuramento, ab Episcopis iudicibus rogatus, se Beati Raymundi intercessione olfactus facultatem amissam assecutum, cum antequam sepulchrum aperiretur, nulla per sex annos ad olfactum recuperandum

medicamenta sumpsisset: & præsertim cum eo temporis momento, quo sepulchrum fuit apertum, odorem illum perceperit, & deinde alium quemlibet, siue gratum, siue ingratum, suauem, aut insuauem odorem persenserit.

Oppressus à graui mole terræ mirabiliter eruitur, & pristinæ sanitati restituitur. *Cap.* XCV.



CVM die 24. Aprilis anno 1596. Ioannes quidam del Riu alias lo Pay, Gallus ætatis 60. annorum ex diœcesi Conuennarũ, in Parochia Sancti Vincentij de Sarria diœcesis Barcinonensis in profundo scobe, terram lateribus fingendis aptam foderet, casu subito moles speluncæ imminens dissoluta, Ioannem fodientem oppressit. confestim nonnulli re intellecta concurrentes, arreptis ligonibus, terram super senem effusam celeriter educentes, miserum hominem obrutũ antequam efflaret animam, inquirebant: sed cum nescirent qua in parte scrobis iaceret, ab initio obrui potius, & onerari à quærentibus cœpit, quam leuari, cum illi inuestigantes eum in qua parte non iacebat, in oppositam, vbi erat oppressus, terram conijcerent. Accurrerat inter ceteros Vincentius quidam Vinyals iuuenis eiusdem oppidi, qui præsens considerans periculum clamare cœpit, & cæteris suadere, vt pro liberatione miseri illius oppressi deuote Beatum Raymundum miraculis clarum, & de cuius canonizatione tunc agebatur, inuocarent, & duas Missas super altari Beati viri facerent celebrari: tunc omnes inuocato Raymundo, & voto Missarum emisso, operi diligenter insistentes, hominem sub graui terræ pondere iacentem, inuentum languidum, nullius sensus indicium dantem, pallidum; terra, & puluere oppletum eduxerunt: moles

enim

enim terræ, sub qua circa dimidiam horam iacuerat, viginti vix oneratis plaustris deferri potuisset: interim dum Vincentius, & ceteri non cessarent ab inuocatione Dei, Beatæ Virginis Mariæ, & Beati Raymundi, senex sudare cœpit, & paulo post linguam in voces soluens, Dei matrem,& Beatum Raymundum inuocauit, & intra quinque proximos dies conualescens, & sanitati restitutus, duas Missas, quas vnus de concurrentibus promiserat,in altari Sancti Raymundi celebrari curauit: asserebat ab Iudice interrogatus senex, vlcus siue vulnus profundum, quod sibi factum fuerat in crure, intra quod nux latere potuisset, obducta penitus cicatrice, absque aliquo medicamento fuisse sanatum, id autem tam singulare beneficium à Deo concessum sibi intercessione Beati Raymundi ingenue profitebatur.

Vir Religiosus apparente sibi Sancto Raymundo, à grauissima ægritudine liberatur. Cap. XCVI.

FRATER Antonius de Neapoli Ordinis Beati Francisci Cappucinorum Conuentualis Monasterij Montis Caluarij extra mænia ciuitatis Barcinonensis, ætatis annorum 35. vir omnium iudicio integer vitę scelerisq.purus,mēse Aprili anno 1596. cum grauissima ægritudine laboraret,& Medici de eius salute desperarent, decretum à confratribus fuerat, vt Ecclesiasticis sacramentis munitus, mortem propinquam præparato animo, expectaret: id cum esset factum, quidam Religiosus sacerdos circa octauam noctis horam, ægrotum monuit, vt pro salute sua Beatum Raymundum, de cuius canonizatione tunc Romæ tractabatur, inuocaret, obsecraretq. vt sibi à Deo incolumitatis beneficium impetraret: ea re au-

dita, Antonius quanta potuit deuotione precatus est Sanctum, vt apud Deum pro sua salute corporali intercederet, si ad Dei gloriam esset futura. Mox fusa oratione, cum toto ægrotationis tempore insomnis mansisset, tunc visum sibi fuit quasi somno leui teneri, quamuis existimaret reuera non fuisse soporatum; vidit autem intra cellam Religiosum quendam Ordinis Sancti Dominici, qui eum tollens de lectulo, in quo iacebat, in alio strato eleganti, & valde molli reclinaret, totaq. illa nocte cum ægroto permanens maximam consolationem, & refrigerium illi tribueret; mane ad se reuersus, se melius habentem, & febrim imminutam depræhendit; Medicus cum dies criticus instaret, quo iuxta medicinæ placita non solet quidquam boni futurum expectari, valde miratus quomodo melius se habere potuerit, Antonius admirationis causa intellecta, respondit, se Beati Raymundi meritis, quem nocte præcedenti inuocauerat, fuisse sanatum. Cæterum quia tunc Antonius non satis viri Sancti, qui sibi apparuerat, faciem considerauerat, denuo eum rogare decreuit, vt priori alterum beneficium adderet, permitteretq. vt à suo cliente cognosceretur. Quamobrem consequenti nocte similiter quasi à sensibus abstractus Antonius, eundem virum Sanctum in sede ornatissima sedentem, & ægrotum hilari vultu respicientem, & quasi subridentem cubito innixum sedili, & dextera manu supposita dexteræ genæ, videre iterum promeruit, erat autem viro Sancto facies non gracilis, sed potius ad pinguem vergens colore subobscuro, niueaq. barba: Denique cum Antonius viro Sancto pro visitatione gratias, quas potuit egisset, promisissetq. se primo egressu sepulchrum suum visitaturum, Raymundus iterum quasi arridens à conspectu hominis ægrotantis euanuit. Hoc singulari munere recreatus Antonius corporales medicinas respuens, quas parum sibi profuisse experientia cognouit, cælestibus munitus, robu-
stior

ſtior poſt ægritudinem remanſit. Quamobrem ſolius Raymundi meritis ſalutem ſibi conceſſam, acceptam retulit, idemque affirmauit in iudicio religione iuramenti adactus Petrus Benedictus Soler medicus, qui Antonium ægrotantem viſitauerat: aſſeruit enim interceſſione Beati Raymundi ab ea ægritudine liberatum.

De pallio, ſeu cappa Beati *viri, ad cuius contactum miracula fiunt.* Cap. XCVII.



VM frequens hactenuo mentio facta ſit de pallio Beati viri, quo ad infirmos delato, ſæpe ab ægritudinibus liberantur, opportunum erit hoc loco pauca hæc de veneranda illa veſte ſubijcere.

In Monaſterio Sanctæ Catherinæ Barcinonenſis Ordinis Prædicatorum religioſe ab antiquis temporibus in Sacriſtia aſſeruatur pallium (cappam vulgus appellat) quod magna ſemper veneratione, & religione ciues Barcinonenſes coluerunt, & colunt. Iudices Remiſſoriales anno 1596. illud etiam explorauerunt: nam cum eſſet pannis ſericeis inuolutum, in modum puluinaris complicatum, diſſutum, & extenſum fuit, repertumq. non integrum quidem pallium, ſed maiorem tantum ipſius partem ibi contineri: erat autem obſcuri, & fuſci coloris, nec tenuibus textum filis, ſed paulo craſſioribus, quale iubent deferri à Fratribus Prædicatoribus Ordinis Conſtitutiones, quibus cauetur, vt Fratres vilibus vtantur veſtibus, & vt vilitas potiſſimum ſeruetur in cappis. diſtinct. 1. cap. 10.

Conſtanti fama receptum eſt, illud pallium indumentum olim fuiſſe Beati Raymundi, & tamquam ipſius peculiarem veſtem religioſe omnes ſuſpiciunt, deoſculantur, atque


atque venerantur. Rursus in Ciuitate Barcinonensi illud quoque frequentissimo vsu receptum est, vt ad febricitantes, parturientes, dolore capitis, & vertiginibus laborantes, & ad omnes deniq. quacumq. infirmitate vexatos pie petitum, pie etiam à Sacrista eiusdem Conuentus, vel ab aliquo alio eiusdem Ordinis Patre, deferatur: delatum ad ægrotos, cum primum ab illis est deuoto cultu exceptum, præmissa Beati Raymundi oratione, religiose applicatur eisdem; sæpeq. sicut Diuinæ placet voluntati, desideratum solamen, sanitatemq. corporalem recipiunt; & propterea miraculo liberati, ingenue confitentur per illud pallium meritis Beati Raymundi, Diuinam prouidentiam, remedia, quæ humana arte parari non possunt, pie inuocantibus mirabilia conferre.

Est etiam constanti multorum opinione receptum, eam ipsam cappam, idem illud esse pallium super quo Beatus Raymundus siccis pedibus mare tranauit.

Virorum Sanctorum indumenta, magna semper veneratione in Ecclesia Dei, fuisse culta notum est ex Sanctorum historijs, & actis: magnus ille Antonius, qui Paulum Eremitam, paulo antequam migraret ad cælum, nutu Diuino visitauit; post fœlicem Pauli transitum, tunicam ipsius accepit, diebusq. solemnibus ea tantum vtebatur. Sanctus Hieronymus in vita Pauli Eremitæ rem narrat his verbis: *Postquam autem alia dies illuxit, ne quid pius hæres [Antonius] ex intestati bonis non possideret, tunicam eius sibi vindicauit, quam in sportarum modum de palmæ folijs ipse sibi contexuerat; ac sic ad Monasterium reuersus, discipulis cuncta ex ordine replicauit; diebusq. solemnibus Paschæ, & Pentecostes semper Pauli tunica vestitus est.*

De

De linteo sacras Beati Raymundi reliquias continente integro reperto. Cap. XCVIII.



OST aliquot annos ab obitu Beati viri, sacræ ipsius reliquiæ, (vt supra indicatum est) à pijs eius sæculi viris ab humo erutæ in marmoreo sepulchro recondendæ, linteo quodam albo, & satis tenui inuolutæ sunt, quas eodem linteo inclusas intra ligneam arculam reposuerunt, quam marmoreum sepulchrum complectens, fideliter ad hæc vsque tempora conseruatam cum eisdem sacris reliquijs superioribus annis nobis reddidit: nam anno M. D. XCVI. Episcopi Iudices Remissoriales sepulchrum aperientes, eandem ligneam arculam cum reliquijs introclusis suauissimum odorem emittentibus, & idem linteum, quo ante ter centum annos exceptæ fuerant, album, minimeq. corruptum, aut laceratum, inuenerunt: quod cum ossibus terræ inuolutis esset onustum, & nullis pateret exterioribus agentibus vim incorruptibilitatis per tot sæcula tribuentibus, magnam affert admirationem. Simile quid Sanctus Hieronymus in vita Hilarionis admirabundus recenset, dum post decem menses Hilarionis corpus integrum, cum illæsa tunica, cuculla, & palliolo sublatum ab Hesychio affirmat his verbis: *Quod postquam Palæstinæ Sanctus vir audiuit Hesychius, perrexit ad Cyprum: & simulans se velle habitare in eodem hortulo, vt diligentis custodiæ suspitionem accolis tolleret, cum ingenti vitæ suæ periculo post decem ferè menses, corpus eius furatus est: quod Maiomam deferens, totis Monachorum, & oppidorum turbis prosequentibus, in antiquo Monasterio condidit, illæsa tunica, cuculla, & palliolo, & toto corpore, quasi adhuc viueret, integro, tantisq. fragrante odoribus, vt delibutum vnguentis putaretur.* hæc Sanctus Hieronymus.

De puluere, seu terra tenui ex veteri sepultura Beati Raymundi scaturiente. Cap. XCIX.

DEFVNCTO Beato Raymundo, corpus eius in defossa terra, sicut mos fere est sepelire cadauera defunctorum in Hispania, humatum fuisse constat; ceterum quia multitudine miraculorum protinus coruscare, & à populis frequentari cœpit, post aliquot annos, ossa inde extracta, in sepulchro marmoreo prope constructo (in quo etiam nunc asseruantur) honorificentiori scilicet loco, fuere recondita: fideles autem qui eius se precibus commendabant, diuino (vt creditur) moti nutu, hoc inuenere secretum, vt ex eodem primo sarcophago, siue sepultura vbi caro, & viscera in pulueres fuerant conuersa, terram extraherent, eaque ad depellendas ægritudines, & pericula imminentia, inuocato Raymundo eiusq; adhibita apud Deum intercessione, vterentur: Iam Deus, qui mirabilis est in Sanctis suis, eiusdem terræ beneficio, velut salutifero pharmaco, omnibus ægritudinibus curandis idoneo, ab eo tempore multa miracula operatus est, ac etiam quotidie operatur.

In actis huius causæ frequentia extabant testimonia, quibus valde eiusdem terræ virtus commendabatur: quodam veteris Martyrologij loco in Conuentu Sanctæ Catherinæ legi consueto ita scriptum erat: *Sic autem circunstans ipsius Sancti virtute ducit incrementum, vt locus ille, vbi ante humatum fuerat, quamuis sæpe euacuetur, mox plenus appareat. Terra autem illa sacra ipsum Beatum Raymundum deuote inuocantibus salubris, & salutifera est, vt modica cum aqua potata permultos à varijs infirmitatibus oppressos integræ saluti restituat.* Hactenus ibi. Miracula subsecuta veritati fidem faciebant, cum multi vel eadem terra.

terra cum aqua epota, vel vlceribus, aut locis male affectis applicata, statim fuerint salutem consecuti, eademq. terra in mare proiecta, inuocato Raymundo, excitatas tempestates sedauerit, tumentesq. fluctus sæpe composuerit, vt ex multis eius generis miraculis hactenus patuit.

Addebant grauissimi viri quorum attestationes Iudices legitime in actis retulerant, ab antiquissimo tempore vltra CCC. annos, inde terram erui solitam, magnam admirandi causam præbuisse, tum quia ab exiguo loculo tam immensæ quantitatis terræ prorsus incapace, ingens extracta fuerat tot sæculis terræ moles, quam multa profunda antra, & alte deffossi scrobes, vix capere potuissent, tum quia mirabiles præstiterat sanitatum fructus.

Quamobrem Rotæ Auditores in Relatione Canonizationis Beati Raymundi, hanc terræ multiplicationem miraculo adscribendam censuimus, tum inspecta natura terræ, cui crescere (cum id sit animatorum) non est proprium, vt placita philosophorum testantur, tum quia locus vnde eruitur, vtpote clausus nullisq. ventis expositus, deficiente exteriori agente, cuius vigore noua materia produci possit, non fert continuam illam terræ generationem, vt propterea Diuinæ virtuti, multiplicationis effectus iure sit tribuendus.

Atque inde præterea considerabamus, Deum optimum maximum virtute istius miraculi tot sæculis permanentis, Beati sui Raymundi sanctimoniam fidelibus populis patefacere voluisse; depræhendimus enim ex accurata lectione rerum per Sanctos gestarum, & miraculorum à Deo per eorum merita factorum inspectione, ob hanc etiam causam multa ad quorundam Sanctorum sepulchra, miracula fieri consueuisse.

Pontus Euxinus in die decertationis Sancti Clementis primi Papæ & Martyris, tribus milliaribus à littore se retrahebat, & per septem dies fidelibus sepulchrum eius ad-

euntibus (quod intra aquarum gurgites ex marmore Angelicæ manus construxerant) iter tutum siccumq. præbebat. [*Simeon Metaphrastes in vita Sancti Clementis, quam refert Surius tom. 6. die 23. Nouemb. Et narratio Martyris Ephrem, quam refert eodem loco Surius.*]

Cordubæ in Hispania iuxta sepulchrum Sanctorum Martyrum Aciscli, & Victoriæ xv. Calen. Decembris, quo die martyrium passi sunt, ob commendationem pretiosæ mortis eorum, rosæ diuinitus ortæ colligebantur. [*Vsuardus, & Ado in Martyrologio die 17. Nouemb.*]

In Hispania in Vrbe Accitana in die martyrij Sancti Torquati discipuli Iacobi Apostoli, in die solemni martyrij, oliua diuinitus florens maturis fructibus onustabatur. [*Ado in Martyrologio die xv. Maij.*]

Ex ossibus Sancti Laurentij Presbiteri Nouaræ, & puerorum martyrum simul conditorum, medicus liquor manare consueuerat, quod præter monumenta Ecclesiæ Nouariensis, testatur etiam antiquum Epigramma exsculptum in marmoreo sepulchro, quod dictorum Sanctorum Martyrum sacris ossibus est refertum, in hæc verba:

Aspicis hoc marmor tumuli de more cauatum?
Id solidum est intus, rima nec vlla patet,
Vnde queat tellus occultas mittere lymphas,
Manat ab ingestis ossibus iste liquor.
Si dubitas, medio sudantes tolle sepulchro
Reliquias, dices: vnda salubris vbi est?

Ex sepulchro Sancti Andreæ Apostoli Amalphi, liquor medicus ad languores curandos iugiter manat. [*Martyrologium Romanum die 9. Maij. Gregorius Turonensis lib. 1. de gloria Martyrum. cap. 31. vbi mirabilem modum explicat huius perennis miraculi.*]

In ipso die, quo in Hispania 200. Monachi Martyres Sancti Petri de Cardeña martyrio occubuerunt, pauimentum, vbi sepulti fuerant, sanguineum colorem referebat. [*Annales*

les Hispanorum, & Alphonsus Ciacconus in libro de Martyrio 200. *Monachorum Sancti Petri de Cardeña cap.* 21.]

Neapoli singulis annis sanguis concretus colore cinereo, ampulla inclusus sancti Ianuarij Episcopi & martyris, ad occursum capitis ipsius liquescere, & in purpureum transire colorem, perinde ac si recens effusus esset, ad hæc vsque tempora cernitur. [*Acta martyrij Ianuarij, & sociorum nuper relata in Breuiarium Romanum die* 19. *Septembris ex præcepto Gregorij Papæ* XIIII.]

De corpore Sancti Nicolai Episcopi Myrensis, cuius natalis dies vj. Decembris colitur in Ecclesia, mirificus liquor emanat, de quo in Constitutione Emanuelis Comneni Imperatoris tit. de Ferijs. ita scriptum est: *item sextus in honorem miraculis celebris, vnguentoq. scaturientis Nicolai.* Hæc ibi. duratq. hodie eiusdem liquoris fons in ciuitate Barensi, ad quam Beati viri reliquiæ fuere translatæ: cuius translationis festum die 9. Maij colit Ecclesia. [*Martyrologium Romanum.*]

Ex corpore martyris Euphemiæ, quod in Ciuitate Chalcedonensi conditum asseruabatur, ipso passionis eius die, sanguis veluti ab cæso recens corpore vulnerum tabo mixtus, & vnguentis quibusdam ex seipsis natis temperatus, prodire cernebatur, quem exiguis vasculis vitreis Episcopus exceptum, atque diuisum turbæ aduenienti distribuebat. [*Nicephorus Callistus lib.* 18. *Histor. Ecclesiast. cap.* 31.]

Consimilis liquoris riuus manabat ex tumulo admirandæ martyris Glyceriæ, cui colligendo phyalam supponebat Episcopus. [*Nicephorus Callistus lib.* 18. *Histor. Ecclesiast. cap.* 32.]

Longum esset similia miracula recensere, quibus Deus Sanctorum suorum sepulchra, ad eorum sanctitatem demonstrandam, huiusmodi mirabilibus clarificare dignatur, quæ quandoque post aliquot sæcula, occulto Dei Iudicio cessare dignoscuntur.

Beati Raymundi tumulum hoc perenni coruscare miraculo, & notum est ex hactenus enarratis, & soli diuinæ misericordiæ, ac omnipotentiæ referendum censemus.

De suaui odore ex sepulchro Beati Raymundi erumpente, eo potissimum die, quo Iudices illud explorarunt.

Cap. C.

RETVLIMVS paulo antea cap. 93. huius libri insigne miraculum meritis Beati Raymundi editum die 4. Aprilis 1596. quo Archiepiscopus Tarraconensis, & Episcopi Barcinonensis, & Vicensis Beati viri sepulchrum explorauerunt: tunc enim Ludouicus de Claramunt, qui XVI. annorum spatio olfactus facultate priuatus, dum sepulchrum aperiretur interfuerat, olfactum recuperauerat, simulq. suauissimum ex sepulchro odorem prodeuntem senserat: eundem suauissimum, ac penè cælestem odorem multi testes (quorum attestationes in actis relatas Iudices legitimo Iudicio exceperant) se percepisse affirmauerant: addebantq. nonnulli, non modo eo die, quo celeberrima solemnitate sepulchrum apertum extiterat, verum diuersis quoque alijs temporibus ex foramine quodam, in eodem sepulchro existente, suauissimum odorem (quem illi tantum, quos Deus eo honore, & gratia perfrui vult, percipiunt) exire solere: quamobrem Rotæ Auditores in Relatione Canonizationis, hanc odoris fragrantiam Beati viri sanctitatem non obscure indicantem, miraculo deputandam censuimus: cùm ipsa mortui corporis fragrantia, & odoris suauitas, vt ait Sanctus Gregorius, ostendat, in eo corpore auctorem suauitatis

Homil. 38. in Euangel.

exi-

existere: videmus enim ex omnibus defunctorum cadaueribus fœtorem potius, quam suauem prodire odorem; aut saltem cum consumptis carnibus, & sanie exsiccata sunt, licet fœtorem non emittant, suauiter tamen non olere. Et propterea huiusmodi odores suaues de Sanctorum corporibus prodeuntes, tamquam eorumdem sanctitatis indicia miraculo sunt tributi, & à viris Sanctis sæpe tamquam miracula commendati. In vitis Sanctorum, & Martyrum, & Confessorum frequentia extant huius argumenti exempla; ex multis pauca hæc referre placuit.

Memoriæ prodidit S. Ioannes Damascenus, Apostolos Domini post tres dies à dormitione Sanctæ MARIAE Virginis Dei Genitricis loculum, in quo sacrum eius corpus fuerat repositum, aperuisse, sed (in cælum nimirum sublatum) nequaquam inuenisse: ex illis tamen linteaminibus, in quibus fuerat compositum, ineffabilem, quo fuerunt repleti, odorem prodijsse. Decuit quidem ex illa sanctitatis arca, quæ Dominum gloriæ verum Deum, & hominem virgo semper permanens diuinitus concepit, & peperit, diuinum illum emiti odorem. [*Ioannes Damascenus oratione de dormitione Beatæ Virginis Mariæ Dei matris.*]

In die solemnitatis Sancti Andreæ Apostoli magnum apparere miraculum refert Gregorius Turonensis, ait enim, manna in modum farinæ, vel oleum cum odore nectareo ex eius tumulo exundare. [*Gregorius Turonensis lib. 1. de gloria martyrum cap. xxxj.*]

Sanctus Hieronymus post decem fere ab obitu Sancti Hilarionis menses, à Sancto Hesychio illum Mayomam translatum asserit, inuentumq; illæsa tunica, cuculla, & palliolo, & toto corpore quasi adhuc viueret, integro, tantisq; fragrantem odoribus, vt delibutum vnguentis putaretur, vt supra retulimus.

De Mercurio Martyre ita scribit Metaphrastes: *Post eius consummationem, factum est corpus martyris album, sicut nix, emit-*

tens

tens suauem odorem vnguentorum, & suffituum, & propter hoc signum multi facti sunt Christiani. Hæc ille.

Cum Sancti Suuiberti corpus eleuaretur, maxima dulcedinis odoris in eodem loco effusa est fragrantia, cuius suauitas omnium ora, & corda astantium reficiebat; ita vt nullus ambigeret, ibi adesse Angelorum choros.

Gloriosum Sancti Huberti Leodiensis Episcopi corpus nulla detrimenta passum, illæsum à dissolutione atque putredine, post multos annos repertum est, & pro tabo, atque putredine, quæ mos est mortalium corpora defuncta contrahere, aromatum more illud perceptum est odorifero more ferbere.

Ex ore Sanctæ Heduigis Ducissæ Poloniæ, quam Clemens quartus Sanctorum Catalogo adscripsit, tertio ab eius obitu die, priusquam sepulturæ mandaretur, suauissimus est odor profectus, & die xvj. Anno M. CC. LXVIII. quo sacrum eius corpus translatum est, aperto sepulchro, odor mirificus omnium nares compleuit, animosque stupore, & gaudio affecit.

Eandem suauissimi odoris fragrantiam de corpore Sanctorum Thomæ Aquinatis, Francisci de Paula, & aliorum profectam fuisse legimus.

Ex corpore Sancti Didaci (quem in Sanctorum numerum retulit fel. recor. Sixtus Papa V. anno 1588.) aliquot dies post illius obitum, & sæpe alias mira gratissimi odoris suauitas, gratia, & delectatio erupit, sæpeq. erumpere solet; vbi illud in primis admirationem augebat, & pietatem, ac deuotionem maximam excitabat, quod quale esset odoris, & suauitatis genus, discerni non poterat.

Quamobrem Rotæ auditores tunc deputati primo in sua Relatione, & deinde Cardinales in Congregatione habita in palatio bon. mem. Cardinalis Marci Antonij Columnæ die 28. Maij anno 1588. eum odorem miraculo tribuerunt.

Quem-

Quemadmodum & hunc etiam ex ſepulchro Beati Raymundi prodeuntem, iudicium Auditorum Rotæ ſecuti Cardinales in Congregatione habita die 5. Nouembris 1599. in palatio Alfonſi Cardinalis Geſualdi Sacri Collegij Decani, in qua nouem Cardinales conſederunt, verum miraculum eſſe cenſuerunt.

FINIS SECVNDI LIBRI.



DE ACTIS CANONIZATIONIS S. RAYMVNDI,

Liber Tertius.

AVCTORE FRANCISCO PENIA Rotæ Auditore.



VOBVS superioribus libellis aliqua ex parte ostensum fuit, quid S. Raymundus vita sanctitate, doctrina, miraculorum operatione præstiterit, ac quotidie præstare non desinat generi humano. Hoc tertio libro, quid Aragoniæ Reges, *aliique viri præstantes, & eius præsertim comprouinciales beneficiorum memores ei diuersis sæculis rependere conati fuerint, dum eum Sanctorum catalogo per solemnem* Canonizationem *à Sede Apostolica adscribendum curauerint, repetitis, ac commemoratis rebus huius rei gratia ge-*

stis breuiter, ac dilucidè demonstrabitur, vt Deus in sancto suo laudetur, & fideles ex tàm pijs suis diuinitus præmotis perseuerantiæ conatibus, meritum etiam præmium consequantur.

Iubent sacri Romanæ *Ecclesiæ libri* Rituales*, idemque eos secuti Canonistæ vno consensu docuerunt, vt antequàm quispiam solemni ritu canonizetur, cælestiumque cœtui adscribatur, maturè quædam veluti præludia obseruentur, parenturq; legitimæ probationes, vt Pontifex* Romanus *deinceps sine vllo erroris periculo, sanctum canonizare, & vniuersali Ecclesiæ colendum, venerandumque proponere poßit.* [lib. 1. sacrorum rituum S. Romanæ Ecclesiæ. sect. 6. cap. 1. & 2. Canonistæ in cap. 1. de reliq. & vener. sanctor.]

Hæc quæ, qualiaque sint, proximo capite explicabuntur, ac mox subijcientur cætera; ex quibus patebit omnia in hac canonizatione fideliter seruata fuisse.

De requisitis ad San*ctorum canonizationem. Cap. I.*

1. GRAVES primùm viri, & auctoritate præstantes Romano Pontifici denunciant merita, virtutesque illius, quem percupiunt à Sede Apostolica canonizari, pro cuius canonizatione humiles, supplicesque preces fundunt; nec id semel, ac iterum,

sed

ſed ſæpè, multumque repetitis poſtulationibus exorant, ac efflagitant. Nec ſtatim annuit Romanus Pontifex eorum precibus, qui tam graue, arduumque negotium expetunt, aut protinus inquiſitionem de vita, moribus, miraculis illius, qui canonizari poſtulatur, fieri iubet, ſed cunctanter, grauiter, & quantum ſibi temporis oportunum viſum eſt (quod planè in eius arbitrio conſtitutum eſt) diſtinet negotium, vt diù interpellatus famam viri conſideret, miraculorum frequentiam, & continuationem exploret, vt his diligenter perpenſis, tandem legitimè omnia inquirenda decernat.

Rurſus ſi preces, ſupplicationeſque inſtanter apud eum fundantur, & miraculorum frequens continuatio perdurare videatur, tunc Pontifex fratribus, ideſt Cardinalibus in Cõſiſtorio ſecreto id proponere conſueuit, & aliquibus Epiſcopis patriæ, vel regionis conuicinæ illius, qui dicitur Sanctus, vel alijs honeſtis, prudentibus, & integris viris committere ſolet, vt de fama, & populi deuotione, de miraculis, & alijs, quæ meritò nuncianda videbuntur in genere tantùm, non ſpeciatim, aut ſingulatim, nec quoad veritatem quidem, ſed quoad communem opinionem, & famam diligenter inquirant, & quidquid ſuper eo negotio inuenerint, fideliter Pontifici reſcribant, & denuncient; ſimulque iudicium ſuum interponant, an ſuper veritate prædictorum in ſpecie, ac indiuiduo committenda inquiſitio, & indagatio videatur. II.

Adhæc ſi Epiſcopi illi, aut viri prudentes, quibus id negotium commiſſum fuerat, talia reſcripſerint, ac denunciauerint, vnde iure optimo in ſpecie veritatis inquiſitio committenda videatur, iterum Romanus Pontifex cauſa in ſecreto Conſiſtorio cum fratribus communicata, rogatiſque ſententijs, vtrum Inquiſitio hæc committenda ſit, necne, definit, atque decernit. III.

Præterea ſi decretum fuerit, inquiſitionem eſſe committendam, eiſdem iterum, vel alijs Epiſcopis, & bonis viris reſcribit, iubetque, vt veritatem inquirant, primùm de fama, deinde de vita, poſtremò de miraculis, idque faciant exactè, IIII.

diligenter, fideliter, ac prudenter iuxtà formam præscriptam articulorum, & interrogatoriorum, quæ diplomate Pontificio inclusa, his commissarijs Iudicibus transmittuntur; quidquid verò illi inuenerint, obsignatum, sigillisque suis munitum, inclusum, & benè custoditum ad Romanum remittunt Pontificem.

V. Deinde inquisitio illa in partibus facta, & ad Papam trāsmissa, in Curia Romana aliquibus Capellanis, vel viris alijs auctoritate præstantibus, & prudentibus committitur, eo quidem consilio, vt eam maturè considerent, disponant rubricas, titulosuè, aut conclusiones indè forment, & iudicium suum incorruptè, religioseque interponant.

VI. Insuper Rubricas illas, seu verius conclusiones ex processu inquisitionis collectas, atque formatas, exacta diligentia adhibita, per se Romanus Pontifex, aut per Cardinales examinat, eorum sententias rogat, atque perpendit, nunquid talia exactè probata videantur, propter quæ Canonizatio meritò celebranda sit.

VII. Postea verò his omnibus peractis, si Sanctissimo Papæ celebranda canonizatio videatur, id inter Cardinales in consistorio secreto definit.

VIII. Adhæc conuocatis omnibus Episcopis in Romana Curia præsentibus, narrat publicè Papa in consistorio ea, quæ in causa Canonizationis acta sunt, & legitimè probata: definitione verò suppressa, quæ iam in præcedenti Consistorio facta est, præsentium Prælatorum consilia requirit.

IX. Mox statuitur certus aliquis dies, quo omnes conueniant, certa quoque Ecclesia designatur, vt in eam multis ornatam tapetibus, & cereis accensis fulgentem, Papa, fratres eius, Clerus, & vniuersus Populus conueniant. Vbi concionem habens Pontifex processum recitat, & probationes commemorat, simulque adstantes ad Deum orandum, & deprecandum hortatur, vt ipsum in hoc tam graui negotio, suo præsidio tueatur, ipsique cælestem, diuinamque virtutem aspiret.


His

His ritè, & piè peractis omnes genibus prouoluti deuotè orant,& cantatur hymnus; *Veni Creator Spiritus*, vel alius hymnus, siue Antiphona rei conueniens. X.

Postquàm hæc solemniter sunt decantata, Pontifex ab oratione consurgens, definit illum, de quo agitur, Sanctum fuisse,& Sanctorum catalogo adscribendum,& tanquàm Sanctum esse venerandum, & festum eius certo die colendum. XI.


Postremo Canonizationis sententia pronunciata cantatur hymnus: *Te Deum laudamus*,& Pontifex celebrat Missam in honorem Sancti tunc canonizati. XII.

Hæc in canonizatione Sanctorum rite seruanda, tum libri sacrorum Rituum Romanæ Ecclesiæ, tum doctores Canonistę cap. 1, de reliq.& vener. sanctor. tradiderunt. Cæterum Romani Pontifices, qui post Henrici Cardinalis Hostiensis, Ioannis Andr. aliorumque Canonistarum tempora (à quibus superiora requisita referuntur) Ecclesiæ Catholicæ præfuerunt, quemadmodum apparet ex Diarijs Sacelli Pontificij, & obseruationibus, à Magistris cæremoniarum monumentis literarum proditis, multa in melius commutasse, (quemadmodum rei grauitas postulabat) firmiusque stabiliuisse cernuntur, vt competentibus locis demonstrabitur. Quæ omnia in hac canonizatione cumulatè præstita, & inuiolabiliter fuisse seruata, rerum gestarum series, quam mox subnectemus, luculenter demonstrabit.



Archie-

Archiepiscopus Tarraconensis, & Suffraganei ex Cõcilio Prouinciali Tarraconis coacto anno M.CC.LXXIX. id est, quatuor annis elapsis, postquàm S. Raymundus migrauit ad cælum, sanctitatem, & miracula illius, Nicolao iij. Romano Pontifici denuntiarunt, & humiliter supplicarunt, vt ad sacram canonizationem procedere dignaretur. Cap. II.



D primum caput, seu requisitum paulo antea relatum pertinent multiplices, iteratæque denuntiationes, & preces, quibus diuersis temporibus, multi viri Principes, Episcopi, & Religiosi, Romanis Pontificibus indicabant, quidquid de beati viri sanctitate, & miraculorum operatione per gentes, & populos, publica fama referebat, simulque precabantur, vt (inquisitione præmissa) ad sacram canonizationem Apostolicæ Sedis procedere dignaretur auctoritas. Hæc in primis Tarraconẽsem Archiepiscopum, & Episcopos comprouinciales excitauit, vt rem tam grauem, & piam, grauiter, & piè suscipiendam arbitrarentur. cum enim statim post Raymundi obitum, nulla humana industria procurante, sed Deo inspirante, & hominum corda mouente, ingentem populorum ad ipsius sepulchrum vndique confluentium fieri concursum, & frequenti insignium miraculorum operatione eiusdem sanctitatem cernerent egregie coruscare, ad Nicolaum Papam III. literas dederunt, quarum hoc est exemplum.

LITTERAE ARCHIEPISCOPI TARRACONENSIS,

Et Epiſcoporum ſuffraganeorum, & vniuerſitatis Concilij congregati in Tarracone,

AD DOMINVM

NICOLAVM PAPAM TERTIVM.



SANCTISSIMO, *& omnimoda reuerentia patri ſuo digniſſimo, Domino Nicolao Dei gratia Sacroſanctæ Romanę Eccleſię Summo Pontifici, Bernardus eiusdem Prouincię Tarraconenſis Archiepiſcopus, Arnaldus Barcinonen. Berengarius Gerunden. Raymundus Vicenſis, Guillelmus Ilerdenſis, Petrus Vrgellen. Arnaldus Dertuſen. Petrus Cæſarauguſtanus, Iacobus Oſcenſis, Iaubertus Valentinus Epiſcopi, Abbates, & alij pręlati in Tarraconenſi Concilio conſtituti, totaque eiuſdem Concilij vniuerſitas, ſeipſos & deuota pedum oſcula beatorum.*

Nouorum noua materia gaudiorum, diuinitatis prouidente clementia, nouiſſimis oborta temporibus, lætabundis ſuę nouitatis applauſibus, cæleſtia ſimul, & terrena, tanto delectabilius innouauit, quanto ſupernorum ciuium choris, pro ſui beata ſocietate, ac ſocia cohabitatione, conciuis tam inclyti, tam magnifici, ac tanta ciuilitate condigni, Reuerendi ſcilicet Patris, ac fratris quondam Raymundi de Peniaforti, de ordine fratrum Prædicatorum, materia copioſior diuinæ

laudis,

laudis, & gratiarum actionis accrescit in cælis, & in terris mater Ecclesia, suis pastum & auctum uberibus alumnum gratissimum, & deuotissimum filium de sinu suo ad patrem omnium Deum assumptione gloriosa translatum eo felicius, quò iucundius gloriatur. Nempe vir iste venerabilis sanctæ memoriç Gregorij Papæ prçdecessoris vestri Capellanus quondam, et Pçnitentiarius, nouç quoq; Breuiationis Decretalium, ac Summç (quç dicitur de casibus) cōpilator, Magister etiam Fratrum dicti ordinis, ab ipso suç iuuentutis çuo mundanis contemptis illecebris, sub sanctç professionis habitu lucis arma circumferens, miro virtutum corusco fulgore, fide præuia, iustitia comite, perseuerantia subsequente, quinquaginta, & amplius annorum spatio, vsque ad ipsam mortem suam, Christi militauit in acie: cuius ducatu potius, & gratia fretus, se totum diuinis dedicarat obsequijs, & regularis obseruantiç mancipauerat institutis. Conuersationis autem eius insignia, religionis documenta, perfectionis exempla, quàm immensis laudum sunt titulis attollenda? Cuius tota incolatus peregrinatio multis fuisse dignoscitur multipliciter fructuosa. Nec enim sufficienter explicare sufficimus humilitatem eius in corde, dulcedinem in sermone, strenuitatem in opere, feruorem in charitate, in orationibus vigilantiam, in consilijs prudentiam, in moribus disciplinam. Sed nec omnino silere deuotio patitur, quantum, & quomodo zelo fidei succensus, genera linguarum vt addiscerentur à Fratribus sui ordinis, studium impenderit, & conatum? diligentiç quidem eius pia mediante sollicitudine diuulgatum, & prædicatum est nomen Christi, fidesque eius ex multorum conuersione amplioribus dilatata profectibus, nunciata est etiam vsque ad barbaras Infidelium nationes.

Raymūdus Gregorij ix. Pænitētiarius, & Decretaliū ac summæ de casibus Cōpilator.

Enarratio virtutum Beati Raymundi.

nationes. Tantæ igitur merito ſanctitatis, mirabilis in altis dominus, & in terris mirabilium operator, Sanctum ſuum dignatus eſt ſignorum immenſis mirificare prodigijs, & virtutes eius oſtendere prædicabiles vniuerſis: vt latens ad tempus lucerna ſub modio, iam ſuper candelabrum exaltata clareſcat, & quantum poſſint apud omnium Dominum tanti Patris probatiſſima merita, certiſſimis miraculorum inditijs vniuerſaliter innoteſcat: quæ quidem qualia, & quanta ſint, & quàm perſpicua, fide dignorum atteſtatione probata per Inquiſitores, ſi mittendos Sanctitatis veſtrę circunſpectio iudicauerit, Romanę Curię manifeſtè poterit, veritate comperta, patere locis, & temporibus oportunis. Hinc eſt, quod ad multam deuotionem ad eum, mentes fidelium benigna manus omnipotentis erexit, & ad ipſius inuocanda ſuffragia de diuerſis partibus diuerſarum concurrit frequentia perſonarum: propter quod, & Patris huius dignum veneratione ſepulchrum, ab illis in multa reuerentia viſitationis, & honoris habetur, multiplicatis quoque luminaribus illuſtratur: vbi & innumeroſa multitudine cerę diuerſorum effigiatorum dependentes imagines, quanta & qualia, per eum ſint facta miracula, etſi homines taceant, clamare non ceſſant, & rerum euidentia proteſtantur. O, vir per cuncta laudabilis, cuius vita ſancta, doctrina ſana, & mors extitit pretioſa. O felix Hiſpanię Regio talis indigenę dotata ſplendore, quem ſingularem in contemporaneis olim ſibi fœcunda ſæcula genuerunt. O immenſa Romanæ Curiæ gloria, quæ tam fructuoſum de officialium ſuorum numero, tamquam de vite fœcunda, mundo palmitem miniſtrauit. Tantis igitur fidei documentis edocti, tantiſque virtutum exemplis affecti, Beatitudini veſtræ duximus humi-

Inſignia, & multa Raymundi miracula.

S. Raymundi ſepulcrũ frequenti viſitatione fideliũ cultum.

A a liter

liter supplicandum, rogantes, & deuotione, qua scimus, & possumus obsecrantes, quatenus ad sancti huius sacram Canonizationem, de vita, & miraculis inquisitione præmissa, si placuerit tam feruenter, quàm efficaciter Apostolica procedere dignetur auctoritas; vt ipsum verum prædicatorem, & zelatorem fidei, fideles colant communiter, & venerentur in terris, quem Dominus virtutibus plenum, miraculis clarum, & gratia præditum, spectabilem, & mirabilem præbuit vniuersis. Dat. Tarracone anno Domini Millesimo ducentesimo septuagesimo nono in Ecclesia Beati Andreæ.

Gerunden. Dertusen. Cæsaraugustan. Vrgellen. Ilerden. Archiepiscopus Tarraconensis, Barcinonen. Vicen. Oscen. Valen.

OBSERVATIO PRIMA.

A*NTEQVAM* Sedes *Apostolica* Sanc*torum Canonizationes iustis de causis, (quas in libris de canonizatione* Sanc*torum latè prosecuti sumus) sibi reseruasset, non aliter in Ecclesia fieri consueuerant, quàm præcedente iudicio Comprouincialium* Episc*oporum in Concilio* Prouinciali. *Quamobrem* Episc*opi* Prouinci*æ Tarraconensis, veteris instituti formam quadam ex parte retinentes, non aliter super canonizatione*

*ne B.*Raymundi *impetranda ad* Romanum Pon*tificem rescribendum censuerunt, quàm ex Concilio* Prouinciali,*vbi ipsi prius maturè negotio discusso, compertum habuerunt, & sanctitatem, & miraculorum operationem, luculentis testimonijs fuisse comprobata, quod in hac epistola egregiè testificantur.*

Pro *eadem* Canoni*zatione simul cum Episcopis, tunc ad* Pontificem *literas dedisse* Regem *Aragoniæ Petrum eius nominis. iij. narratio literarum eiusdem Regis ad Martinum* Papam *iiij. sequenti mox capite subiectarum patenter ostendit. Sed literæ, quas tunc* Rex *ad* Pontificem *scripsit, non sunt hactenus repertæ.*

Quamquam autem in his Episcoporum *literis non dicatur, aliquem tunc legitimè probationis processum super miraculis B.*Raymundi *ad Sanctißimum fuisse transmissum; verisimilè tamen est, eos non aliter, vel scripturos, vel* Canoni*zationem fuisse postulaturos, quam super ea re confecto prius aliquo processu: Vnde Sanctißimus an decernenda vlterior inquisitio, vel ad* Canoni*zationem deueniendum foret, iudicare potuisset.*

Huic coniecturæ nō leue accedit argumentum, quoniam in actis huius causæ publicum instrumen

tum productum fuerat à Jacobo quodam de P*ortu publico notario exceptum, Quinto Kalendas Februarij anno* 1279. *actum, quo testificabatur ille se de speciali iniunctione, & mandato Arnaldi Episcopi* Barcinonensis, *attestationes multorum testium super miraculis, quæ Deus per Sanctum suum Reuerendum patrem Fratrem* Raymundum *de* P*eniafort, mirabiliter operari dignabatur, recepisse: continebantur autem in eo instrumento miracula numero xxvj. quæ nos supra lib.* 2. *cap.* 2. *& multis sequentibus suo ordine recensuimus. Vnde cum* Episcopi *è* Concilio Pro*uinciali Tarraconensi anno* 1279. *ad Nicolaum* III. *scripserint, & initio eiusdem anni iam ille processus esset confectus, consequens fuisse videtur, vt idem vna cum literis* Regis, *&* Episcoporum *ad* Pon*tificem missus fuerit, præsertim cum* Rex *etiam tunc specialem procuratorem ad* Pont*ificem destinauerit.*

∴

OB-

OBSERVATIO ALTERA

Super cognomine familiæ B. Raymundi.

QVAMQVAM viri Sancti de cognomine familiæ, aut nobilitate generis minimè solliciti, eam solam nobilitatem consequendam curauerint, quæ in virtutum adeptione, earumque exercitio consistit, ac per quam omnes humanæ vitæ actiones ad Dei gloriam, & honorem, Ecclesiæ suæ sanctæ vtilitatem, proximorum commodum, & Catholicæ *fidei propagationem referuntur: scriptores tamen hanc partem quoque haud omittendam, negligendamvè censuerunt; cum nobilium hominum sanctitas, & virtus nobilitate comite, magis splendeant, & quodam quasi pondere plures ad sui imitationem suauiter trahant.*

C*ogit autem hoc loco de cognomine familiæ* B. R*aymundi differere, quædam noua quorundam opinatio, qui, vt aliquid noui ad ingenij fortaßis subtilitatẽ ostendendam afferre videãtur, ea sæpe commemorant, quæ longè à veritatis scopo (quod*

ferè

ferè semper nouitatum studiosis contingere solet) discedant. Scripserat ad me superioribus diebus quidam non contemnendæ auctoritatis vir Religiosus *(cuius nomini honoris causa, parco) è primaria quadam Italiæ ciuitate, qui* B. R*aymundi vitam scribere cogitabat, putare se cognomen* R*aymundo inditum de* P*ennafort, à* P*innaculo in eius olim Patris laribus existente. Huic homini cum responderem, somnium hoc esse sine vlla veritatis imagine modestè indicaui.*

Reuerendus Pater Fr. *Franciscus* Diaghus *Ordinis* P*rædicatorum lib. 2. Histor. Prouinciæ Aragoniæ eiusdem Ordinis. cap. 7. idem argumentum tractans multa de hoc nomine commemorat, quæ quanta firmitate nitantur, facilè is, cui noua, & minus probabili ratione munita displicent, iudicabit.* C*oncedit primum ille communi opinione receptum, cognomen esse* R*aymundo de* P*eniafort; mox tamen à recepta sententia recedens, tā incerto vagatur itinere, vt nostrum hunc* R*aymundum in discrimen adduxisse, & alium ignotum & obscurum, pro noto hoc, & claro substituisse videatur. Addit mox in omnibus antiquis monumentis tam Archiui* R*egij Barcinonensis, quàm* M*onasterij S.* C*atherinæ ordinis* P*rædicatorum eiusdem*

dem ciuitatis Raymundo *attribui cognomen de* Pennafort,*quod propriè non* Peñam, *ideſt,rupem, ſed plumam,ideſt,calamum ſignificat. Agnoſcit præterea in pleriſque antiquis inſtrumentis id cognomen non cum, n, duplici, ſed cum, n, ſimplici, & lineola ſuperpoſita ſcriptum reperiri, ſic* Peña-*fort: vnde cum ex ea ſcriptione, Hiſpano Idiomati hanc pronunciationem* Peniafort *(cui omnino conſona eſt communis ſentiendi ratio, & opinio) reſpondere videret, vt eam eluderet, leuem, & nullo fundamento fulcitam ſubtilitatem excogitauit, de lineola interdum ſuper litera, è, interdum ſuper litera, n, ſuperpoſita; & me in commentarijs vitæ* S.R*aymundi à notarijs* Barcinonēſibus *deceptum ſcripſiſſe de* Peniafort*: tandemque concludit familiam, vnde* Raymundus *originem traxit, non de* Peñafort*, ſed de* Penafort *fuiſſe vocatam. Quæ nos, cum minus verè aſſerta putemus, cognomen huius familiæ, vt nunc etiam communis traditio retinet in vniuerſa Hiſpania, et præſertim in* Re-*gno Aragoniæ, Valentiæ &* Principatu C*athaloniæ, de* P*eniafort fuiſſe cenſemus. Quãquam enim ſuperioribus ſæculis orthographiæ ignari, & præſertim tabelliones id cognomen interdum cum, n, duplicata ſic, de* P*ennafort, interdum autem cum*

vnica,

vnica, n, & lineola ſuperinducta ſcripſerint in hunc modum, Peñafort:*idem tamen ſemper mane bat familiæ cognomen, & eadem vulgaris pronunciatio retinebatur; qui autem magis ad veritatem accedere ſtudebant, cognomen familiæ de* Peniafort *vnica, n cum lineola ſuperinducta ſcribebant, ſic de* Peñafort, *quod tamen pronunciando huic ſcriptioni de* Peniafort, *reſpondebat. notum eſt enim vulgare* Idioma *Hiſpanum per vnicum, n, cum lineola ſuprapoſita, idem indicare, quod Itali ſuo* Idiomate *exprimunt per, g, &, n nam quæ nomina nos ſcribimus, & pronunciamus, ſic montaña, año, paño, & ſimilia, ſi Italicè ſcribenda, & eodem modo pronuncianda forent, ita omnino ſcriberentur montagna, agno, pagno.*

Quamobrem Epiſcopi, *& alij, qui diuerſis ſæculis pro Canonizatione intercedentes, ad Sedem Apoſtolicam ſcripſerunt, vt eam, vel fallaciam, vel diuerſitatem euitarent, idem familiæ cognomen intactum retinentes, interdum ita* Peñafort, *interdum autem, ſic de Pegnafort, ſcriptum protulerunt. probe enim nouerant Italos Idiomatis Hiſpani, vt plurimum ignaros, cognomen de* Peñafort, *ſic ſcripturos, & pronunciaturos de* Pennafort.

Et

Et quamuis non negemus nobilem aliquam aliquando extitisse familiam de Penafort; illud tamen exploratum esse videtur, familiam de Peniafort, nobilem cumprimis, & claram extitisse: ad eamque potius, quàm ad illam de Penafort, aut de Pennafort referendum Raymundi genus hæc minimè obscurè demonstrant.

Primum insignia gentilitia B. Raymundi, hoc est Pineæ, vel Pini duplices super duabus editis rupibus collocatæ, quorum vtrumque ad Peniam, seu Pegnam potius, quàm ad pennam, seu penam accedere, noto notius est.

Adhæc cum probato grauissimorum virorum testimonio receptum sit, (quod nemo adhuc inficiari est ausus) Raymundum nobili genere fuisse procreatum, & in maiorum annalibus familiam de Penia, ac etiam de Pina inter primarias, (quas Aragonenses, Hieronymo Blāca teste, infancionas appellant) recenseri videamus; de Penna autem nullam, ac de Pena rarius conspiciamus, vtique illi, non istis Raymundus adnumerabitur. Quod etiam antè nos sine vlla controuersia receperunt multi nobiles scriptores, inprimis verò multi, & literis, & auctoritate præstantes de eodem Ordine Prædicatorio.

Ferdinandus del Castillo *lib.* 2. Histor. S. *Dominici. cap.* 17.

Vincentius Iustinianus *Antistius. lib.*4. *historiæ sanctæ* Inquisitionis.*cap.*5.

Michael Llot à Ribera *libro de vita* S. Raymundi *ad S. D. N. Clementem* VIII. *Pontificem* Maximum.

Saluador Pons *in Historia de vita, & miraculis Sancti* Raymundi *: alijque complures, quos longum esset recensere: quorum auctoritatem, fidemque muniebant centum ferè integri testes anno* 1596. *Barcinonis vigore* Remissoriæ *super miraculis* B. Raymundi *examinati, qui vno consensu cognomen de* Peniafort Raymundo *attribuerunt. Neque eam aut scriptionem, aut pronunciationem respuerunt tunc periti Notarij* Barcinonenses, *vtpote qui vetustis scripturis probè conuenire intelligebant, quod cum neque* R. P. *Franciscus* Diagus *negare audeat, operepretium visum est, noua, & singulari illius opinione repulsa, communem, & veram firmis munitam rationibus retinere.*

Petrus

Petrus Aragonia Rex eius nominis iij. apud Martinum iiij. Pontificem Max. pro eadem canonizatione intercessit anno M.CC.LXXXI. Cap. III.


NICOLAO Papa III. anno MCCLXXX. ab hac luce sublato, Rex Aragoniæ Petrus eius nominis III. ad Martinum Papam IIII. Nicolai successorem, anno MCCLXXXI. humiles literas dedit, quibus eandem sacram Canonizationem, commemorata eiusdem Raymundi Sanctitate, & frequenti miraculorum operatione, fieri postulabat. Eas Regis literas, quas Archiuum Regium Barcinonense nobis nuper exhibuit, hoc loco recensere placuit.

Epistola

PETRI III. ARAGONIAE REGIS AD SANCTISSIMVM PONTIFICEM MARTINVM.


SANCTISSIMO Patri, ac Domino præ cæteris Reuerendo Martino Diuina prouidentia Sacrosanctę Romanę Ecclesiæ Summo Pontifici, Petrus per eandem Rex Aragonum, recommendationem, & reuerentiam debitam, & deuotam.

Inter eas, quas pro Republica gerimus curas, cordi nobis

extitit Diuinarum rerum ſemper ampliari debita deuotione culturam, in ijs præcipuè, quę gloriam Dei, decus Regni, ac nobis accumulant gaudia ſubditorum. Sanè bon.mem. Nicolao prædeceſſori veſtro iampridem ſcripſiſſe meminimus per dilectum Fratrem Berengarium de Cruillis Ordinis Fratrum Prędicatorum tunc ſuper hoc ſpecialem Procuratorem noſtrum, nunc autem Pœnitentiarium veſtrum, quantum, & quàm crebris ſignorum prodigijs mirificaſſet Dominus Sanctum ſuum venerabilem Fratrem Raymundum de Peniafort Domini Gregorij ix. *prędeceſſoris veſtri Pœnitentiariũ, & Capellanum, & Ordinis Fratrum Prędicatorum Magiſtrum, virum vtique virtutibus, & gratijs coram Deo, & hominibus multipliciter approbatum: Inſinuantes etiam quanta ad eius imploranda ſuffragia deuotio populorum exurgat, preces tandem, & ſupplicationes addentes, vt meritorum ipſius, & miraculorum veritate diſcuſſa, ad Canonizationem eiuſdem Apoſtolicę dignitatis auctoritas procedere dignaretur. Verum, quia finalem conſummationem nondum ſortito negotio, videtur hoc ipſum Veſtræ Sanctitatis prouidentię diuinitus reſeruatum, nunc etiam pro eiuſdem expeditione fœlici, preces ſupplicationeſque noſtras duximus innouandas. Attendat itaque, obſecramus, humiliter Sanctitas Veſtra, Fratrumque veſtrorum venerabilium Cardinalium Reuerenda deuotio, ad pręclara Patris huius merita, cuius virtutum glorioſa pręconia, ſi per ſingula explicare conemur, vtique vincimur, dum copioſam narrationis affluentiam excedat, & ſuperet rerum laudabilium altitudo. Quis enim referre ſufficiet quanto paupertatis amore terrena contempſerit, quanta humilitatis virtute gloriam mundi calcauerit, quanto fi-*

dei

dei Zelo studium, & operam ad infidelium conuersionem impenderit, quantam denique habuerit in sermonibus gratiam, in operibus modestiam, & exemplarem in cunctis moribus disciplinam? Exultamus vberius, & letanter Romanę congratulamur Ecclesię, loca nobis subiecta tanto praeminere patrono, cuius pio interueniente suffragio, succedant in temporalibus prospera, & adueniant in calestibus gaudia repromissa. Igitur de tanti patroni meritis plenam gerentes fiduciam, Sanctitati *Vestra iterata precum instantia supplicamus, quatenus per Inquisitores idoneos, iuxtà Romanae Curię morem in talibus, examinari facere dignetur Sanctitas Vestra, quantum, & quomodo, quae de hoc Beato viro scribuntur à pluribus, & apertè feruntur, solidum & inuiolabile fundamentum veritatis attingant, vt tandem vita sancta, ac miraculorum veritate comperta, per sacram Canonizationem diu desideratam à pluribus, ipsum Apostolica ducat auctoritas, (prout decretum fuerit) Sanctorum Confessorum Catalogo adscribendum.* Datum *Ilerdę. vj. Idus Augusti Anno* Domini. MCCLXXXI.


OBSERVATIO.

E*X his, quae in hac* Regis *Epistola continentur, magis affirmate asserendum putauimus, quod superiori capite adnotauimus de trāsmisso tunc ad* Romanam *Curiam processu, miracula, quae Deus intercessione Beati* Ray*mundi*

mundi operatus fuerat, quotidieque operabatur, continente: Rex *enim his litteris non petit decerni Remissoriam, vt delegatis Iudicibus in Catalonia, vel Barcinonis, super* Sanctitate *vitæ, &* miraculis Beati Raymundi *examinandorum testium, aut aliarum probationum recipiendarum cura demandaretur: sicut nec petiuisse videntur* Episcopi *ex* Concilio Prouinciali, *vt patet ex serie litterarum superiori capite relatarum; sed vt* Sanctissimus *ad finalem negotij consummationem perueniret, postquàm eius antecessor id morte præuentus absoluere non potuerat, quod non fuisse contra formam sacrorum Canonum illud satis ostendit, quòd iure potuit Barcinonensis* Episcopus *super vita, & miraculis* Beati Raymundi *testes examinare, & legitimas probationes recipere, vt in relatione super* Canonizatione *Beati Raymundi ad* Sanctissimum D. N. *Clementem* VIII. *ostendimus* Rotæ Auditores. *Supradictis accedit specialis procuratoris constitutio, cum his litteris* Rex, *Fr.* Berengarium *de Cruillis Ord. Prædicatorum super hoc negotio specialem procuratorem ad Nicolaũ Papam* III. *se transmisisse, vt causam vrgeret, illiusq. fœlicẽ exitum procuraret, aperte cõtestetur: Sed omnis difficultatis scrupulus*

pulus ex eo sublatus videtur, quòd asseritur in litteris, quas decem Conuentus Ordinis Prædicatorum scripserunt ad Bonifacium Papam VIII. quibus affirmatur, tandem Martinum Papam IV. tribus Cardinalibus commisisse, vt expenderent probationem miraculorum, quia super vitæ Sanctitate Beati Raymundi nulla probatio videbatur requirenda. Quamobrem non videtur amplius dubitandum de confectione processuum ad Nicolaum Tertium transmissorum, licet hactenus non sit alius processus repertus, quàm ille, quem fabricauit Iacobus de Portu, de quo supra dictum est.

Mandatum eiusdem Regis Petri datum venerabili Hugoni de Mataplana Præposito Massilien. & electo Episcopo Cæsaraugustan. Fratri Comitis Pallarien. vt causam Canonizationis Beati Raymundi ageret in Curia apud Martinum IV. Cap. IV.



X litteris Regis Petri superiori capite relatis constat, Fratrem Berengarium de Cruillis fuisse à Rege constitutum specialem procuratorem in causa Canonizationis Beati Raymũdi apud Nicolaum Papam III. Apud Martinum tamen Papam IIII. eandem causam egisse Hugonem de Mataplana,

plana, apparet ex ipsius Regis mandato, ex archiuo Barcinonensi nobis nuper transmisso, quod in Regesto ipsius Regis signato. B. annorum 1278. vsque ad 1284. fol. 109. pag. 2. continetur his verbis.

Nos Petrus Dei gratia Rex Aragonum constituimus, & ordinamus Venerabilem, & dilectum nostrum Hugonem de Mataplana Massilien. Præpositum procuratorem nostrum specialem, ad instandum apud D. Papam, & Reuerendos Romanæ Curiæ Cardinales pro Canonizatione promouenda, & expedienda Sancti, ac Venerabilis Patris Fratris Raymundi de Peniafort Ordinis Fratrum Prædicatorum, ad allegandum quoque pro ea, & supplicandum, atque alia exequendum, quæcunque potest exequi, & expedire legitimus Procurator, & ad substituendum alium, vel alios Procuratores quandocunque, & quotiescunque vobis visum fuerit expedire, & ad omnia alia facienda, quæ per nos personaliter possent fieri in negotio supradicto: Promittentes ratum, & firmum habere quidquid in hac parte per vos, vel substitutum, aut substitutos à vobis actum fuerit, vel procuratum, ac si à nobis personaliter esset factum. Datum Valentiæ, quarto Kalendas Martij. Anno Domini MCCLXXXI.

OBSERVATIO.

COMMENDANDA *est pietas Regis pariter, & imitanda, qui ad causam Canonizationis agendam, Procuratorem constituerit specialem, quanquam in Curia Romana præsens adesset ipsius Regis Orator. Nunc Regum, & Principum consiliarij, aut Secretarij satis esse putant per litteras suis oratoribus iniungere, vt causas huiusmodi Canonizationum*

num apud Pontificem, & Cardinales agant, & promoueant, quod, quãuis sufficere fateamur, magis tamen ad legitimas, & canonicas sanctiones arbitramur accedere, eiusmodi legalibus mandatis, procuratores constituere speciales.

De litteris ad Cardinales super eadem Canonizatione scriptis. Cap. V.


PRVDENTER admonuit Petrus Benetus scriptor in Archiuo Regio Barcinonensi, Regem Petrum tunc ad Romanæ Curiæ Cardinales litteras etiam scripsisse, quibus significaret, gratum sibi futurum omne diligens eorum officium, quod in promouenda, perficiendaque Canonizationis causa adhibuissent: Quoniam cum pro alijs negotijs minus arduis litteræ scribi solerent, pro hac etiam causa grauissima verisimile est scriptas fuisse: eas tamen in Regestis Archiui Regij non reperiri propter amissa nonnulla Regesti folia, ideoque nec nos aliquod earum litterarum exemplum hic recensere potuimus.

Solent etiam his temporibus Reges, & Principes pro causis Canonizationum, quas fieri optant, ad Cardinales litteras dare, non semper ad omnes, sed ad quosdam sibi magis notos, inprimis verò ad illos, qui sacris ceremonijs sunt præfecti, in quorum congregatione ex instituto fœl. recor. Sixti V. causæ nunc Canonizationis aguntur.

Est quidem valdè commendanda hæc consuetudo scribendi ad Sanctæ Romanę Ecclesiæ Cardinales, quoties causæ, præsertim arduæ ventilantur, vt ipsi pro sua singulari pietate, industria, & prudentia, qua vniuersalis Ecclesiæ com-

moda, & vtilitatem, præsertim verò fidei Catholicæ propagationem, rerum Diuinarum cultum, ac bonarum, & Catholicarum doctrinarum studium (falsis, nouis, ac periculosis cohibitis, & repressis) respicere debent, Sanctissimo Pontifici multitudine negotiorum ferè semper oppresso, ea in dies commemorent, quæ maximè ad Dei gloriam, & honorem pertinere videantur.

De interrupto, & dilato Canonizationis negotio propter bella, & dissensiones inter Petrum Aragoniæ Regem iij. cui Martinus iiij. sacris interdixit, & Carolum Regem Siciliæ. Cap. VI.



VM hæc ardenti studio Princeps Catholicus Romæ per speciales Procuratores vrgeret, inter Romanum Pontificem, & eundem Regem grauissima orta discordia, differendum, & intermittendum desideratum Canonizationis negocium coegit. Martinus enim Papa IV. anno 1282. Monteflascone, quinto idus Nouembris pro æde Sancti Fabiani Cardinalium collegio assidente, Petrum Aragoniæ Regem execratum, sacris interdictum, & eos qui eius arma sequerentur, eandem noxam sustinere declarauit, Siculosque omnes, qui à suo Rege defecerant, eadem dirarum imprecatione detestatus, inimicum, atque Ecclesiæ hostem Regem denunciauit, neque Regi modo, sed Regnis quoque eius sacris tunc interdictum fuit [*Hieronymus Surita lib. 4. Annalium cap. 37. idem lib. 2. Indicum rerum ab Aragoniæ Regibus gestarũ sub anno MCCLXXXII.*]

Huius formidandi exempli causa memoratur Caroli Siciliæ Regis impotens in Siculos dominatus, à quo cum grauissimo,

uissimo imperio premerentur, ad Regem Aragoniæ deficientes, cum eius auxilium implorassent, Rex eorum patrocinium suscipiendum decreuit. Quamobrem timens Romanus Pontifex, ne dum Rex Siculos tueri nitebatur, publica Reipublicę Christianæ tranquillitas perturbaretur, Pontificia exercens arma, omnibus consulere vigilanti studio decertans, quæ pacis erant, omnibus modis procurabat. dum itaque tunc ità in Regem animaduertere visum est, cætera opera interrupta fuerunt. [*Hieronimus Surita lib. 4. Annal. cap. 17. & 22.*]

Cum primis verò negotium hoc Canonizationis, quasi ingenti inuolutum silentio conquieuit, neque aliud quidem actum de eo vlterius promouendo constat, vsque ad tempora Bonifacij Papæ VIII. vt mox explicabitur.

Post dilatum per aliquot annos Canonizationis negocium, iterum repetitur tempore Bonifa*cij viij. anno Domini* MCCXCVII. *Cap. VII.*



ITA FVNCTO Petro Aragoniæ Rege eius nominis III. anno 1285. ei in Regno succedens Alfonsus Tertius, nihil in negotio Canonizationis egisse reperitur, donec ad Regnum Iacobi eius nominis II. Aragoniæ Regis deuentum, est tunc enim cum iam post Martinum IV. Honorius IV. Nicolaus IV. & Cęlestinus V. vniuersali Ecclesiæ præfuissent, post Cęlestinum Bonifacius VIII. Anno MCCXCV. Pontificatum est adeptus: ad quem anno MCCXCVI. & MCCXCVII. Ciuitatis Barcinonensis Consiliarij, & Nouem Ciuitatum Aragoniæ, & Catalonię, nempè Barcinonen. Ilerden. Oscen. Xatiuen. Cæsaraugustan. Calataiuben. Valentin. Dertusen. & Gerunden. Rectores, & decem Conuentus Ordinis Prædicato-

Surita li. 4. Annalium cap. 71.

dicatorum, deprecatorias litteras pro Canonizatione intercedentes scripserunt, quas suo ordine, quia rem continent grauem, & scitu dignam, hic referre placuit.

Consiliarij, & Ciuitas Barcinonen. *ad* Bonifa*cium Papam viij. super* Canonizatione B. R*aymundi deprecatorias scribunt litteras.* Cap. VIII.



CONSILIARII, & Ciuitas Barcinonensis pro insita pietate, & deuotione, qua semper Beatum Raymundum conciuem, & alumnum suum prosecuti sunt, sæpè ad Romanos Pontifices humiles litteras scripserunt, quibus assiduè petebant, eundem virum Canonizari: eæ verò quas anno 1296. dederunt ad Bonifacium Papam VIII. singularem continent deuotionis affectum, quarum hoc est exemplum.

Sanctissimo in Christo Patri, & Domino, Domino Bonifacio diuina prouidentia, Sacrosanctę Romanæ Ecclesię Summo Pontifici, Consiliarij, ac tota Barchinonę Ciuitatis vniuersitas, salutem, & pedum oscula Beatorum.

Omnipotentis magnificentia Creatoris, qui in Sanctis *suis semper est mirabilis, nostris temporibus audita est in terra nostra, & auditui nostro datum est gaudium, & cumulata lætitia, prodigiorum cælestibus intonantibus signis, quæ mirabilium* Deus *operator, & auctor, per Patrem Reuerendam Beatæ memorię Fratrem Raymundum de Peñafort, Ordinis Prędicatorum quondam Magistrum, operari dignatus est, & ad multorum extendere notitiam populorum, ex his ostendens, suę virtutis immensam potestatem, & serui sui probatissimam Sanctitatem. Nempe ad eius venerabile sepul-*

chrum ceræ pendentes imagines, non solum hominum, sed & brutorum, nauigiorumque similitudines obtenti beneficij ob sacra ipsius merita, intuentibus testimonia preseferunt manifesta. Sanè odor eius bonus, dum adhuc in carne degeret, non solum latissimos ipsius Cathaloniæ, ac totius Hispaniæ fines, verum etiam vniuersalis Ecclesiæ iam dudum cuncta penè loca resperserat. Vnde tanta est ad ipsius imploranda suffragia, in populis orta piæ deuotionis immensitas, tantusque frequentatur ad eius venerabile sepulchrum sexus vtriusque concursus, quod licet tacuerimus malitia temporis, nostris peccatis exigentibus, obuiante proposito, quandiu contra nos Ecclesię Romanę sęuit indignatio, iam per vestri gratiam, & industriam cooperante Deo, pace reddita, petitionem nostram, & supplicationem super Canonizationem Patris venerabilis prenominati, quam retroactis temporibus, ad Romanam Curiam misimus, duximus de fauore, ac beneuolentia vestra multa concepta fiducia, iteratis precibus innouandam. Tantam enim diuinitus nobis gratiam factam, ac toti Ecclesię super manifestatione Sanctitatis dicti Patris, cuius specialem notitiam, ac familiaritatem habere meruimus, animo dissimulare non possumus, nec rationabiliter debemus. Maximè qui sępius experimento probauimus, multam eius humilitatem in conuersatione, modestiam in opere, gratiam in sermone, sanctitatem in moribus, prudentiam in consilijs, industriam in agendis: nec vllo ambiguitatis scrupulo vacillare sinitur intentionis nostrę deuotio, qua firmiter credimus, virum tanta diuinorum charismatum vbertate conspicuum, post vitę huius laudabilis speciosa curricula ritè completa, diuturnis diuinæ seruitutis obsequijs, ad cælestia fæliciter euolasse. Ideo dignum fore ratio censet, vt quem Deus mirifi-

cauit

cauit in terris, & tam Beatum fecit in cælis, vestri Pontificatus auctoritas per orbem terrarum colendum, et venerandum annuntiet vniuersis. Decet *nimirum, vt per cuius labores, & studia totius ferè Mundi partes fructum salutaris doctrinæ percipiunt, per cultus debiti reuerentiam, gloriam reddant ei communiter, & honorem. Ipse namque cum esset fælicis recordationis* Domini *Papæ Gregorij Noni prædecessoris vestri Capellanus, & Pœnitentiarius, ipsius iniunctione, & auctoritate compilationem Decretalium ordinauit, ad multorum eruditionem summulas composuit perutiles, & Ordinis sui prudenter administrauit, & tenuit Magistratum. Nec vacat à laude, quod Archiepiscopatum Tarraconensem renuit humilis, humilem secutus* Dominum *Iesum Christum, honoris sæculi contemptorem. Quis autem enarrare sufficiat, quanta fuit in corde eius humilitas? quanta in verbis ædificationis vtilitas? quanta in operibus pietas? Quis ergo de virtutibus eius, ac meritis, quantum apud* Dominum *valeant, ambigere possit, aut debeat? qui terrenis abdicatis illecebris, ab ipso iuuentutis flore,* Deo *totum totaliter se deuouit, pauperis Ordinis pauperem foris gerens habitum, sed intus spiritualium pinguescens opulentia thesaurorum, qui proinde sanctæ conuersationis adeptus insignia, cor suum tanta diligentia salutaribus studijs occupauit, vt tandem gemina scientia, efficacissime clar uerit, spiritualium factus apotheca charismatum, & quasi de pleno fonte redundans vberrimè gratiarum cælestium officina. Falsitatis forsan argueretur nostra simplicitas, nisi cuiuscunque viri peroptimi pia credulitas nobiscum in eandem sententiam conueniret: omnis siquidem hæsitationis de virtutibus eius via recluditur, cuius merita cõmuni omnium testimonio comprobantur. Ecce Pater* Sanctissime *quanta*

Vestræ


Vestræ Beatitudini de vestro prædicto filio spiritualium offertur materia gaudiorum, quanta Reuerendæ Romanæ Sedis officialibus sanctæ congratulationis occasio ministratur, de quorum sacro Plantario flos collectus amœnus, odoris fragrantia suauissime teneat vniuersos. Nec parum eisdem laudis, & honoris accrescit, si de ipsorum Collegio, ad excelsiorem quis assumatur supernorum agminum Curiam, & quem iam habuerunt comministrum in terris, & socium, mundus colat, & prædicet venerandum. Quanta insuper vniuersali Ecclesiæ laus promissionis adijcitur, cuius fides, atque doctrina fundamento stabilito perpetuo, ædificijs tàm immensis existit, & argumentis roborata cælestibus, virtutum signis euidentibus innotescit. Nunc igitur ex via Domini Nostri Regis, ad curiam vestram, grata opportunitate captata, cuius præsentia, & reuerentia multum posse videntur, ad expeditionem negotij suffragari, toto deuotionis affectu, Sanctitatis Vestræ pedibus inclinati, suppliciter exoramus, quatenus ipsi domino Regi nostro, cuius nobiscum in hac parte pia concordant vota, & alijs, qui pro Sancti huius Patris nostri, ac specialis patroni sacro negotio suæ Canonizationis instabunt; Excellentiæ Vestræ benignitas Clementem præbeat audientiam, gratiam, & fauorem. Ita tandem, vt de vitæ ipsius sanctitate, & miraculorum virtute, plena fide comperta, ad gloriam Dei, Ecclesiæ suæ Sanctæ promotionem, ac Romanæ Curiæ speciale decus, & priuilegium, cui quod optandum fuerat, alacriter accipiendum est, dum offertur, sic procedat, & proficiat ipsum diu optatæ Canonizationis negocium, pro quo tam feruenter, & humiliter flagitat affectum deuotio supplicantium, vt de Vestræ Paternitatis pia exauditione per obtentum eius, quod petimus Deo

laudes,

laudes, & gratias referentes, intimo iucunditatis applausu, semper in Domino gloriemur. Amen.

Datum Barcinone quarto *Idus Nouembr. Anno* Domini *Millesimo ducentesimo nonagesimo sexto.*

OBSERVATIO.



Rant tunc Consiliarij ciuitatis Barcinonensis, qui literas has ad Pontificem dederunt Petrus *Mallol,* Bernardus Burget, *Galcerandus Nagera, Bartholomeus* Burges, *&* Bernardus Sabater, *quorum exempla secuti varijs temporibus alij eiusdem ciuitatis* Consiliarij *sæpe ad* Romanos Pontifices *pro eadem Canonizatione impetranda instanter, pie, & prudenter scripserunt, vt paulòpost patefiet.*

Quod attinet ad Regis *viam, de qua in eisdem literis, mense Nouemb. anno 1296. scriptis, quo tempore nondũ* Rex *ad vrbem peruenerat (mense enim Martio anni mox sequentis M.CCXCVII vt paulopost explicabitur,* Romam *est ingressus) prudenter accipiendum est. Consiliarij enim cum probe nouissent,* Regem *iam tunc* Romam *venire decreuisse, propositum pro facto posuerunt. cetera siqua sunt, quæ interpretationis luce indigeant, paulopost explicabuntur.*

Super

*Super eadem Canoni*Z*atione intercedunt Rectores, siue Gubernatores nouem ciuitatum Aragoniæ, & Cathaloniæ.* Cap. IX.



Vanta pietate omnes horum regnorum ciuitates tenerentur, vt pium negotium, quod ad omnes æque pertinere putabant, optatum finem consequeretur, ardens eorum studium,& vnanimis consensio patenter ostendit: cum omni contentione deposita, (quæ, vt plurimum, in rebus à multis simul tractandis, oriri solet) sua quoque desideria ad Romanum Pontificem humiliter scribentes, ingenue patefecerint.

LITERÆ RECTORVM NOVEM CIVITATVM ARAGONIAE ET CATHALONIÆ AD BONIFACIVM PAPAM VIII.

Sub Millesimo ducentesimo nonagesimo septimo.



ANCTISSIMO in Christo Patri, & Domino, Domino Bonifacio, diuina prouidentia, Sacrosanctæ Romanæ, ac vniuersalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Consiliarij, ac Rectores Ciuitatum infrascriptarum in Aragonia, & Cathalonia constitutarum, scilicet, Cæsaraugustę, Barcinone, Ilerdę, Tarracone, Oscæ, Calataiu-

lataiubij, Valentiæ, Xatiuę, Dertusę, Gerundæ, salutem, & pedum oscula Beatorum.

Omnipotentis magnificentia Creatoris, qui in Sanctis suis semper est mirabilis, nostris temporibus audita est in terra nostra, & auditui nostro dátum est gaudium, & cumulata lætitia, prodigiorum cælestibus intonantibus signis, quę mirabilium Deus operator, & auctor, per Patrem Reuerendum Beatæ memorię Fratrem Raymundum de Peñafort, Ordinis Prędicatorum quondam Magistrum, operari dignatus est, & ad multorum extendere notitiam populorum, ex his ostendens, suæ virtutis immensam potestatem, & serui sui probatissimam Sanctitatem. Nempe ad eius venerabile sepulchrum cereę pendentes imagines, non solum hominum, sed & brutorum, nauigiorumque similitudines obtenti beneficij, ob sacra ipsius merita, intuentibus testimonia præseferunt manifesta. Sanè odor eius bonus, dum adhuc in carne degeret, non solum latissimos ipsius Cathaloniæ, ac totius Hispanię fines, verum etiam vniuersalis Ecclesiæ jam dudum cuncta penè loca resperserat. Vnde tanta est ad ipsius imploranda suffragia, in populis orta pię deuotionis immensitas, tantusque frequentatur ad eius venerabile sepulchrum sexus vtriusque concursus, quod licet tacuerimus malitia temporis, nostris peccatis exigentibus, obuiante proposito, quandiu contra nos Ecclesiæ Romanæ sęuijt indignatio, iam per vestri gratiam, & industriam cooperante Deo, pace reddita, petitionem nostram, & supplicationem super Canonizationem Patris venerabilis pręnominati, per pręsentes viua voce Sanctitati vestrę offerre non possumus duximus de fauore, ac beneuolentia vestra, multa concepta fiducia, ipsam vestrę Excellentię præsentibus humiliter offerendam. Tantam enim diuinitùs nobis gratiam fa-

ctam

ctam, ac toti Ecclesię super manifestatione Sanctitatis dicti Patris, cuius specialem notitiam, ac familiaritatem habere meruimus, animo dissimulare non possumus, nec rationabiliter debemus. Maximè qui sępius experimento probauimus, multam eius humilitatem in conuersatione, modestiã in opere, gratiam in sermone, sanctitatem in moribus, prudentiam in consilijs, industriam in agendis: nec vllo ambiguitatis scrupulo vacillare sinitur intentionis nostrę deuotio, qua firmiter credimus, virum tanta diuinorum charismatum vbertate conspicuum, post vitę huius laudabilis speciosa curricula ritè completa, diuturnis diuinę seruitutis obsequijs, ad cęlestia fœliciter euolasse. Ideo ratio censet, vt quem Deus mirificauit in terris, & tam Beatum fecit in cęlis, vestri Pontificatus auctoritas per orbem terrarum colendum, et venerandum annuntiet vniuersis. Decet nimirum, *vt per cuius labores, & studia totius ferè Mundi partes fructum salutaris doctrinę percipiunt, per cultus debiti reuerentiam, gloriam reddant ei communiter, & honorem. Ipse namque cùm esset fœlicis recordationis* Domini *Papæ Gregorij Noni prædecessoris vestri Capellanus, & Pœnitentiarius, ipsius iniunctione, & auctoritate compilationem Decretalium ordinauit, ad multorum eruditionem summulas composuit perutiles, &* Ordinis *sui prudenter administrauit, & tenuit Magistratum. Nec vacat à laude, quod Archiepiscopatum Tarraconensem renuit humilis, humilem secutus* Dominum *Iesum Christum, honoris sęculi contemptorem. Quis autem enarrare sufficiat, quanta fuit in corde eius humilitas? quanta in verbis ædificationis vtilitas? quanta in operibus pietas? Quis ergo de virtutibus eius, ac meritis, quantum apud* Dominum *valeant, ambigere possit, aut debeat? qui terrenis abdicatis illecebris, ab ipso iuuentu-*

tis flore, Deo *totum totaliter se deuouit, pauperis Ordinis pauperem foris gerens habitum, sed intus spiritualium pinguescens opulentia thesaurorum, qui proinde sanctæ conuersationis adeptus insignia, cor suum tanta diligentia salutaribus studijs occupauit, vt tandem gemina scientia efficacissime claruerit, spiritualium factus apotheca charismatum, & quasi de pleno fonte redundans vberrimè gratiarnm cęlestium officina. Falsitatis forsan argueretur nostra simplicitas, nisi cuiuscunque viri peroptimi pia credulitas nobiscum in eandem sententiam conueniret: omnis siquidem hæsitationis de virtutibus eius via recluditur, cuius merita cõmuni omnium testimonio comprobantur. Ecce Pater Sanctissime, quanta Vestræ Beatitudini de vestro prædicto filio spiritualium offertur materia gaudiorum, quanta Reuerendæ Romanæ Sedis officialibus sanctæ congratulationis occasio ministratur, de quorum sacro Plantario flos collectus amœnus, odoris fragrantia suauissime teneat vniuersos. Nec parum eisdem laudis, & honoris accrescit, si de ipsorum Collegio, ad excelsiorem quis assumatur supernorum agminum Curiam, & quem iam habuerunt comministrum in terris, & socium, mundus colat, & prædicet venerandum. Quanta insuper vniuersali Ecclesię laus promissionis adijcitur, cuius fides, atque doctrina fundamento stabilito perpetuo, ædificijs tàm immensis existit, & argumentis roborata cælestibus, virtutum signis euidentibus innotescit. Nunc igitur ex via Domini Nostri Regis, ad Curiam vestram, grata opportunitate captata, cuius præsentia, & reuerentia multum posse videntur ad expeditionem negotij suffragari, toto deuotionis affectu Sanctitatis Vestrę pedibus inclinati, suppliciter exoramus, quatenus ipsi domino Regi nostro, cuius nobiscum in hac parte*

pia

pia concordant vota, & alijs, qui pro Sancti huius Patris nostri, ac specialis patroni sacro negotio suæ Canonizationis instabunt; Excellentiæ Vestræ benignitas Clementem præbeat audientiam, gratiam, & fauorem. Ita tandem, vt de vitæ ipsius sanctitate, & miraculorum virtute, plena fide comperta, ad gloriam Dei, Ecclesiæ suæ Sanctæ promotionem, ac Romanæ Curiæ speciale decus, & priuilegium, cui quod optandum fuerat, alacriter accipiendum est, dum offertur; sic procedat, & proficiat ipsum diu optatæ Canonizationis negocium, pro quo tam feruenter, & humiliter flagitat affectum deuotio supplicantium, vt de Vestræ Paternitatis pia exauditione per obtentum eius, quod petimus, Deo laudes, & gratias referentes, intimo iucunditatis applausu semper in Domino gloriemur. Amen.

Datum Barcinone quarto Idus Nouembr. Anno Domini *Millesimo ducentesimo nonagesimo octauo.* Alio tamen cõputo est anno 1297.

Barcinonen. Ilerden. Oscen. Xatiuen. Cæsaraugustan. Calataiuben. Valentin. Dertusen. Gerunden.

OBSERVATIO.




X harum literarum clara testificatione primaria quædam, & illustriores actiones B. Raymundi, quas præsertim toto lib. I. prosecutus est vetustus scriptor, & nos cõpetentibus locis paulò fusiori oratio-

oratione demōstrauimus, cōfirmātur; quales sunt cōpilatio Decretaliū: editio summæ de casibus conscientiæ: administratio Magistratus, (quem Generalatum vocant sui Ordinis:) renunciatio Archiepiscopatus Tarraconen.: sana, & prudens consiliorum exhibitio: continua per totum vitæ curriculum virtutum exercitatio: profunda humilitatis professio: & quod est præcipuum, & maximum, & ad Canonizationem facilius obtinendam valde opportunum, miraculorum post mortem subsequens operatio, & populorum continuata deuotio, & ad eiusdem sepulchrum frequens hominum vtriusque sexus spontaneus concursus, nulla hominum industria, nulla arte suorum procuratus. Ab obitu enim Raymundi vsque ad scriptionem harum literarum elapsi iam fuerant 23. anni, & tamen semper populorum augebatur deuotio, miracula magis, ac magis multiplicabantur, & sepulchrum viri Sancti donarijs concurrentium, & per eius intercessionem accepta beneficia protestantium, miris modis frequentabatur, & illustrabatur.

OB-

OBSERVATIO ALTERA.



AVLO post initium harum litterarum indicatur causa dilatæ Canonizationis ex indignatione Romanæ Ecclesiæ contra Reges Aragoniæ petita. Processum enim contra Petrum Aragoniæ Regem, & eius Regnum à Martino iiij. factum, successores Pontifices (vt Hieronymus Surita scribit) repetere consueuerant; tametsi Nicolaus iiij. id facere recusauerit ex eo potissimum, quòd cum esset sui Ordinis S. Francisci Minister Generalis, Alfonsus Tertius, qui Petro in Regno successerat, Cæsaraugustæ genibus positis, magna humilitate ab eo petiuerat, vt sibi, suisque filijs, & nepotibus suam benedictionem impartiri dignaretur. Quãobrem ad Pontificatum assumptus, Principi Salerni continuationem processus contra Regem Aragoniæ petenti, assidentibus Cardinalibus respondit, se nolle maledicere ei, cui semel benedixit. Denique post diuturna dissidia; molestosque labores industria, prudentia, & pietate Bonifacij Papæ viij. subsecuta fuit pacificatio, grataque concordia inter Regem Franciæ, & Carolum ipsius Fra- Surita li. 4. Annalium cap. 102.

trem, & Siciliæ Regem ex vna parte, & Jacobum Aragoniæ Regem eius nominis ij. ex altera, super iuribus, & prætensionibus Regni *Siciliæ. Hanc pacificationem initam refert Hieronymus* Surita li. 5. Annalium cap. 10. *Surita Ananiæ coram Bonifacio Papa viij. anno MCCXCV. primo scilicet sui* Pontificatus *anno. Atque hoc est, quod breuiter superioribus literis indicatur per illa verba*. iam per vestri gratiam, & industriam, cooperante Deo, pace reddita.

OBSERVATIO TERTIA.




LLIS verbis earundem literarum, nec parum eisdem laudis, & honoris accrescit, si de ipsorum collegio ad excellentiorem quis assumatur superno rum agminum Curiam, & quem habuerunt comministrum in terris, & socium, mundus colat, & prædicet venerandũ. *illud indicari planè videtur, quod lib. 1. cap. 8. vitæ* B. R*aymundi adnotauimus, ipsum scilicet de collegio* A*uditorum* R*otæ fuisse. Quamuis enim tũc non esset collegium Auditorum* Rot*æ duodenario numero comprahensum, (plures enim pro negotiorum magnitudine, & multitudine in id collegium cooptari, prout* R*omanus* P*ontifex videbat expedire, interdum consueuerant) nihilominus tamen*

verè

verè Auditorum erat collegium, qui capellani vocabantur: hac ergo huius collegij egregia laus indicatur his verbis, quod de eo assumptus Raymun*dus, ad collegium supernorum ciuium translatus, per* Canoniz*ationem à toto mundo colatur, & prædicetur.*

OBSERVATIO QVARTA.



RVRSVS *obseruandum, quòd de via; seu itinere* Regis, & Regin*æ, ad* Romanā Curiam *eisdem literis insinuatur, ibi:* [Hunc igitur ex via Illustrissimi D. Regis, & permissione Reginæ Dominæ nostræ grata opportunitate captata.] *quod hoc loco clarius, breuiter tamen explicare oportet: magni momenti res, vt* Romam *veniret,* Regem *Iacobum eius nominis secundum impulerunt: Martio ergo mense ferè exacto Anni 1297.* Tiberina *Ostia* Rex *classe præteruehitur. Eodem tempore cum* Carolo Rege Rom*æ congreditur. Nuptiæ inter* Robertum Calabri*æ Ducem Caroli filium, & Iolantem Regis sororem magna celebritate coniunguntur. Sardiniæ, &* Cor*sicæ* Regnum Regi*, eiusque hæredibus, vtriusque*

ſexus legitimis perpetuo à Sede Apoſtolica attribuitur. His, *alijſque grauibus negotijs peractis* Rex *in* Cathaloniam *reuertitur, ac dum* Romæ *moratur pro* Canonizatione, *ſicut primariæ ſuorum* Regnorum Ciuitates *petiuerant, apud* Pontificem *præſens agit, interceditque; ſed neque tunc omnino impetrari potuit: nec conſtat, quid tunc amplius in hoc negotio actum fuerit. Illud ſane videtur exploratum, iam ſuper ſanctitate vitæ, & miraculorum operatione proceſſus confectos, & ad Curiam fuiſſe delatos; cum non vt probationes reciperentur, ſed vt Canonizatio fieret, ſupplicaretur.*

Pro eadem Canonizatione humiles etiam preces ad eundem Bonifacium *viij. obtulerunt decem* Conuentus Ordinis Prædica*torum.* Cap. X.



INTER antiqua huius cauſæ monumenta literæ etiam decem Conuentuum Ordinis Prædicatorum repertæ ſunt, quibus Fratres Prædicatores humilibus precibus poſtulant, vt Sanctiſſimus Beatum Raymundum ſuæ Religionis alumnum, in Sanctorum catalogum referre dignaretur. Harum quoque exemplum literarum ideo hic inſerere placuit, quia multa notatu digna, & ad hanc cauſam pertinentia complectuntur.

Literæ

Literæ decem Conuentuum ad D.

BONIFACIVM PAPAM VIII.

Pro Canonizatione Fr. RAYMVNDI de Peñafort Ordinis Prædicatorum.



XIMIÆ prouidentiæ in Christo Patri Sanctissimo Domino Bonifacio, diuina clementia Sacrosanctæ Romanæ, ac vniuersalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Priores, & Conuentus Fratrum Prædicatorum per Aragoniam, & Cathaloniam constituti, Barcinon. Cæsaraugustanus, Oscensis, Calataiuben. Jlerden. Maioricen. Valentin. Tarraconen. Gerunden. Urgellen. & Xatiuen. Reuerentiam humilem, & pedum oscula Beatorum.

Vsquequo meruimus ignauia, q̃do vlz nostro inimica proposito diffidentia, intra angustum referanda concludens, obfirmata superflua dubietate repagula taciturnitatis opposuit, & vacillantia mentis proposita formidinis inquietudine in opposita trahens, rebus gerendis, per silentium finem imposuit: vbi verborum fructus exoptari debuit gratiosus, quam detestabiliter damnosa guerrarum importuna commotio, quæ contra solitæ benignitatis fontanam emanantem, Sedem Apostolicam adhoc compellere potuit, vt bene incæpta non progrederentur, nec finem optatum initiata legitime sortirentur. Cæpimus iam ab annis retroactis, sub diuersis successiue Romanæ Sedis Episcopis, optantibus, & acclamantibus multis de Clero, & Populo, pro Canonizatione Reuerendi Patris no-

ſtri, Fratris Raymundi de Peniafort, Capellani quondam Domini Papæ, ac Pœnitentiarij, non minus ſuppliciter, quam feruenter inſtare, & eam cum deuotione omnimodo humiliter poſtulare. Cumque in Curia diligenter agitaretur negocium, tandem per Dominum fęlicis recordationis Martinum Papam facta eſt commiſſio tribus Cardinalibus, vt per eos examinarentur ſolum, quæ proponebantur miracula, quia de vitæ ſanctitate nulla videbatur eſſe requirenda probatio, cuius notitiam odor miræ fragrantiæ, circumquaque fama volitante, diſperſerat, quam multorum de viſu, pluriumque de auditu fidele teſtimonium comprobabat. Sic ſane *proceſſu pendente, noſtris oppoſita deſiderijs grauis inter Reges eſt ſuborta diſſenſio, eo inſtigante, qui rex eſt ſuper omnes filios ſuperbiæ, quæ Dominum Petrum Regem quondam Aragoniæ, qui primarius erat de interceſſoribus, & præcipuus, occaſione inuaſionis Regni Siciliæ, ſic à communione, & gratia Sedis Apoſtolicę (peccatis exigentibus) ſeparauit, quod ipſi, & nobis ablata eſt omnis fiducia, quod petitum fuerat, obtinendi. Nam iratus Dominus in Populum ſuum, dimiſit nos ad tempus priuatos Eccleſiaſticis ſuffragijs, & indignos: ſed non in perpetuum ira permanſit, nec continuit in ira ſua miſericordias ſuas. Reuera placuit altiſſimo ſuos ſibi, & Eccleſiæ reconciliare fideles, & per veſtram induſtriam, ac prouidentiam, terris pace reddita, ſicut hodie cernimus, reſtaurare deperdita, & quæ deformata fuerant, reformare. Iam corda gelida ſuo prorſus algore conſtringens hyems tranſijt, et inceſſanter imber opprimens abijt, & receſſit, flores iucunditatis apparuerunt in terra noſtra, quos, Aquilone fugato, temperantia produxit auſtralis: Ex quibus aſſidue gaudiorum, & pacis, fructus ſuauiſſimi decerpuntur. Verum quia marcida eſt ſine ſermone hilaritas, &*

Martinus Papa iiij. cõmiſſit tribus Cardinalibus, vt expenderẽt probationẽ miraculorũ quia ſuper vitæ ſanctitate nulla videbatur probatio requirenda.

mortis imago vocem in lætitia non habere, nos, qui super prædicta Canonizatione tacendi tempus obseruauimus, iam loquendi tempus accepimus, vt eam incessanter votis, ac vocibus postulemus. Nempe ad sancti huius merita gloriosa, pia deuotione petentibus sunt pluribus morborum diuersa diuinitus collata remedia, & ad locum sepulchri eius confluentibus, vel terræ de ipso assumptæ particulam apud se habentibus, (sicut per testes constat idoneos) quamplurimis sunt miraculose concessa in diuersis partibus corporis beneficia sanitatum. Tali quidem honore dignum fecit Dominus Sanctum suum, quem adhuc viuentem in carne mirificauit, & post mortem miris amplioribus mirabilibus exaltauit. Ad hoc eum diuinorum charismata donorum prouexerunt. Munditiæ vtique puritas, abstinentię vigor, animarum Zelus, prædicationis instantia, humilitatis insigne, conuersationis honestas, charitatis feruor, & morum perfectissimorum inimitabilis disciplina. Sed quo eum extollere sufficiet lingua pręconio, qui sic ordinatus ad Deum, quæ deuotionis erant, quæ contemplationis, & orationis explebat: vt ad proximum, quę correctionis erant, quę consolationis, quæ exhortationis, indesinenter extenderet. Sic vacillantium animos sani consilij stabili radice fundabat, quod ad se iam consulentis probata peritia, de Regibus aliquos, de Baronibus, Milibus, Ciuibus, vtpote iucunda receptione gratus & dulcis eloquio, plurimos atrahebat. Sic Magister sui Ordinis factus, quia cognoscebat in nomine, qualem esse oporteret in actione, Ordinem regebat ad perfectiorem promouens profectum, & statum: quia ornabat mirabiliter moribus, & actibus Magistratũ. In his omnibus nemo nos extimet inanis opinionis leuitate moueri, sed ꝗ audiuimus, ꝗ vidimus oculis nostris ex nobis multi, et manus nostræ cõtrectauerũt, annũtia-

mus fideliter, & testamur. quod si nos tacuerimus, lapides clamabunt, muta etiam elementa tantis virtutum prodigijs sua testimonia non negabunt. Iste est, quem fęlicis recordationis Papa Gregorius Nonus in suum sibi elegit Confessorem, Capellanum quoque suum institutum, & Pœnitentiarium esse iussit: huic etiam Decretalium *Compilationem ordinandam commisit, quam non solum approbauit, sed etiam Apostolica auctoritate sancitam, legendam, & tenendam tradidit vniuersis. Succedente autem tempore, Sanctus iste Summam edidit, quam vocauit de pœnitentia, materias iuris, & casus multiplices explicantem: cui, & summulam addidit de Matrimonio in foro pœnitentiali, & alijs admodum fructuosam. In his studijs, & operibus suis tanto erit doctrina certior, auctoritas maior, & studentium vtilitas amplior, quanto compilatoris eorum fides, & sanctitas pro Canonizationis suę autenticata virtute, vsque in futura sæcula diuulgata fuit vniuersis. Nec reticendum, quod euidenti pręconio titulum laudis attolit, quod Archiepiscopatum in sua prouincia renuit verus mundani contemptor honoris, a Domino Papa absolutione obtenta; quę post multam, & lachrymosam supplicantis instantiam, pia condescensione affectus, quam prouidendo de ipso Tarraconen. Ecclesię pauloante imposuerat, sarcinam releuauit. In hoc equidem per humilitatis tramitem, sui secutus est vestigia Saluatoris, cui & suorum humilium Generalis, per Ecclesiam exaltatio grata valde fore creditur, & accepta. Porro de gestis eius oportet pręterire non pauca, & in breui restringere, quibus opus esset longa narratio, quam epistolaris angustia non admittit. Quis ergo iam ambigat, tantæ opinionis virum ab omnibus merito esse colendum, quem tantorum magnificentia operum, & coruscantium frequentia*

multipli-

multiplicata signorum, prędicat vniuersaliter venerandum?
O, Beatum virum, cuius vita gratiosa, doctrina fructuosa, & mors extitit pretiosa. O, felix Cathaloniæ Regio talis indigenæ illustrata fulgore, cuius per Canonizationem exaltatio, abstersis præteritę infamiæ maculis, eam gloriosam faciet, & famosam. O, immensa Romanę Curiæ gloria, quæ tanti decoris florem de officialium suorum numero, quasi de speciali, & electo plantario colligere meruit, cuius odore suauissimo cęlestia, et terrestria delectantur, Vestræ igitur beatitudinis pietati tota deuotione duximus humiliter supplicandum, quatenus illustris, & fidelis Romanę Ecclesię filij, qui ad hoc personaliter, & feruenti studio laborare intendit, domini Regis Aragonię pia vota fauore debito suscipientes, & ad multam eius deuotionem clementer attendentes, quam in hoc, et in alijs, quampluribus, quæ ad cultum Dei, *ac promotionem fidei pertinent, tamquam verus Catholicus sua bonitate, & Christianę Religionis amore prætendit; Cleri quoque, ac Populi Ciuitatum pijs occurrentibus votis, tamdiu optatæ Canonizationis sanctum negotium tam ardenter, quam efficaciter assumere Apostolica dignetur auctoritas, & assumptum fideliter expedire, vt per cuius prouocationem, & gratiam donum reconciliationis, & pacis accepimus, per eiusdem piam exauditionem super Canonizatione, quam petimus, ad cuius concessionem inter cætera suffragari debere videtur domini Regis nostri pręsentia, & Reuerentia, desiderata gaudia capiamus. Hoc enim certitudine indubitata tenemus, & scimus ad gloriam* Dei, *ad exaltationem fidei, & ad honorem vniuersalis Ecclesię prouenturum. Circa hoc, & alia Dominus Iesus Christus, cuius vicem in terra geritis, dirigat actus vestros in beneplacito suo, & ad bonum Ecclesię suę regimen, cum prosperitatis successu*

vitam

vitam conseruet incolumem, magis, ac magis sanctam lętificet mentem, et multorum meritorum vberioribus semper amplificetur incrementis. Amen,

Recommendamus nos gratię, ac sanctis orationibus vestris.

Barcinonen. Vrgellen. Ilerden. Oscen. Calataiuben. Cæsaraugustan. Xatiuen. Valentin. Tarraconen. Maioricen.

OBSERVATIO.



AEC *Epistola licet indictione, seu prænotatione temporis, quo scripta fuit, careat, series tamē docet, eam anno Domini* 1297. *quo* Rex *Aragoniæ Iacobus eius nominis secundo* R*omam venerat, scriptam fuisse, cum similiter de præsentia* Regis *in* V*rbe mentionem faciat, & eum feruenti studio, in negotio* C*anonizationis promouendo laboraturum indicet.*

OBSERVATIO ALTERA.



VOD initio eiusdem Epistolæ continetur de commißione à Martino quarto facta tribus Cardinalibus, vt probationem miraculorum expenderent, quia super vitæ sanctitate, nulla videbatur probatio requirenda, satis apertè confirmat

eam.

eam ſententiam, quam ſupra hoc eodem libro. cap. 2. obſeruat. 1. & cap. 3. obſeruat. item 1. protulimus, nempè Epiſcopos Prouinciæ Tarraconenſis, qui ſuper Canonizatione impetranda è Concilio Tarraconenſi ad Nicolaum tertium literas ſcripſerant, ſimul proceſſum cum teſtificatione miraculorum ad eum tranſmiſiſſe; neque enim aliter Martinus tribus Cardinalibus rem expendendam commiſiſſet, præſertim cum iam tunc librorum Ritualium lata regula videri poßit, vt confecti proceſſus aliquot Capellanis, id eſt, Rotæ Auditoribus, & tribus Cardinalibus Epiſcopo Presbytero, & *Diacono expendendi traderentur.* [Lib. 1. ſacrar. cęremoniar. ſect. 6. cap. 1. §. deinde ſi retulerint.]

OBSERVATIO TERTIA.



LLIS eiuſdem Epiſtolæ *verbis.* & per veſtram prouidentiam terris pace reddita. *idem omnino indicatur, quod ſuperiori capite obſeruatum eſt,* Bonifacij *ſcilicet ſingulari prouidentia factum fuiſſe, vt dißidia inter potentiſſimos* Reges *exorta ſedata, & pax, tranquillitasq.* Chriſtianæ Reipublicæ *reddita fuerit, quod etiam*

conſequentibus aliorum literis ad eundem Bonifacium continetur.


OBSERVATIO QVARTA.


VOD libro ſecundo cap. 99. de puluere, ſeu terra tenui ex veteri ſepultura B. Raymundi deſumpta ad curandas morborum moleſtias retulimus; aperte indicat hic locus, vbi Patres Prædicatores grauiſſimo teſtimonio ad Bonifacium ſcribentes atteſtantur, iam tunc per applicationem eius terræ miracula fieri. dicunt enim ita. vel terræ de ipſo aſſumptæ particulam apud ſe habentibus (ſicut per teſtes conſtat idoneos) quamplurimis ſunt miraculosè conceſſa in diuerſis partibus corporis beneficia ſanitatum.

OBSERVATIO VLTIMA.


X illis verbis. Succedente autem tempore, Sanctus iſte ſummam edidit, quam vocauit de Pœnitentia. *cōſtare videtur verum eſſe id, quod lib. 1. cap. 5. adnotauimus, Beatum nempe Raymundum poſt compilationem Decretalium*

talium, Summam hanc de Conscientiæ casibus composuisse: nam & hoc loco Patres Prædicatores, qui eam rem, vt gesta fuerat, probe nouerant, postquàm dixissent, eum ex commissione Gregorij Noni *compilasse* Decretales, *addunt, succedente tempore Summam de casibus* Con*scientiæ edidisse tametsi enim eam Summam ante* Compila*tionem Decretalium inchoare potuerit, certum tamen est post editam compilationem perfecisse, vt præcitato loco demonstraui. Addunt ijdem Patres præter istam Summam de casibus conscientiæ* Raymundum *Summam quaque aliam de matrimonio in foro pœnitentiali conscripsisse, quod & verum est, nam in vetustis codicibus Summa de casibus conscientiæ eadem Summa de matrimonio continetur, in quibusdam quidem exemplaribus in principio, siue ante Summam de casibus conscientiæ, in quibusdam verò alijs in fine.*



Bernardus de Buixedos Prior in Conuentu Prædicatorum Barcinonen. *scribit ad* Cardina*les* Roman*æ Curiæ pro eadem* Cano*nizatione. Cap. XI.*



X itinere Regis ad Romanam Curiam occasione desumpta, cum nullam aliam opportuniorem futuram arbitrarentur, qui canonizari Raymundũ peroptabant, multi vt patuit, ad Bonifacium VIII. deprecatorias literas scripserunt. Et quãquàm Rex apud Cardinales de eadem re acturus nõ dubitaretur, ad ipsos tamen super eadem causa Prior Conuentus Prædicatorum Barcinonen. scribendum censuit literas, tenoris sequentis.

EPISTOLA PRIORIS, ET CONVENTVS BARCINONEN. ORDINIS PRÆDICATORVM

Ad Venerandum Collegium Cardinalium.



EVERENDIS dilectis in Christo Patribus, ac Dominis Dominorum Cardinalium Romanæ sedis venerando Collegio, Frater Bernardus de Buixedos Prior in Conuentu Prædicatorum Barchinone, totusq; eiusdem loci Conuentus, salutem, & humilem reuerentiam, debitumq; famulatum. Scitote Patres Rectores nostri, quoniam qui in Sanctis suis semper est mirabilis, mirificauit Dominus Sanctum suum beatæ recordationis Venerabilem

rabilem Patrem Fratem Raymundum de Peniaforti, Domini Gregorij Noni Capellanũ quondam, & Pœnitentiarium, magnis, & crebris signorum prodigijs, nec accensam lucernam passus latitare sub modio, sanctitatis eius insignia in populo reuelauit: ob ipsius nempè præclara merita tanta est ad eius implorandá suffragia oborta in plebe piæ deuotionis immensitas, tantusq; frequentatur ad eius sepulchrum uenerabile sexus vtriusq; concursus, tantaq; per eum mirabilia fiunt signa virtutum, quod iam omnino dissimulare rationabiliter nec possumus, nec debemus: Nos præcipuè, qui eiusdem Ordinis, et habitus, eidem ratione, notitia, & speciali familiaritate cõiuncti, sæpiùs experimento probauimus humilitatem eius in conuersatione, modestiam in opere, gratiam in sermone, sanctitatem in moribus, prudentiam in consilijs, industriam in agendis. Vnde nec vllo ambiguitatis scrupulo vacillare nos sinit intentionis nostræ deuotio, qua firmiter credimus virum tanta diuinorum charismatum vbertate conspicuum, iam post vitæ laudabilis speciosa curricula, ritè completis diutiùs diuinæ seruitutis obsequijs, ad cælestia fœliciter euolasse. Quis enim de virtutibus eius, & meritis, quantum apud Dominum valeant, hæsitationis cuiuscunq; locum accipiat, qui terrenis abdicatis illecebris, ab ineunte suæ iuuentutis flore, Deo totum totaliter se deuouit, paupere Ordinis nostri gerens exterius habitum suum, intus spiritualium fungens opulentia thesaurorũ. Quis enarrare sufficiat, & quanta fuerit in eius conuersatione cordis humilitas? quanta in sermonibus ædificationis vtilitas? quanta in operibus iustitia similiter, & pietas? In quibus omnibus iugiter perseuerans, & lucis arma secum ferens, miro coruscans fulgore, fide præuia, iustitia comite, charitate feruẽte, quinquaginta & amplius annorũ spacio, vsq; ad ipsam mortẽ suam agoni-

sta fi-

sta fidelis, sub nostræ professionis habitu, Christi militauit in acie; cuius ducatu potius, & gratia fretus se totum diuinis dedicarat obsequijs, et regularis obseruãtiæ mãcipauerat institutis. Proinde gemina scientia efficacissimè claruit, & spiritualium factus est apotheca charismatum, & quasi de pleno fonte redundans vbertate, Doctrinarum cælestium officina. Iste est, quem fælicis recordationis Papa Gregorius IX. ad se vocatum Capellanum suum instituit, & Pænitentiarium, insuper & in Confessorem suum specialiter præelegit. Tandem nouam Decretalium compilationem eidem ordinandam imposuit, & legendam tradidit vniuersis. Factus quoq; Magister Ordinis nostri, quia cognoscebatur in nomine, qualem esse oporteret in actione, sic Ordinem rexit semper ad perfectiora promouens, quòd ornabat mirabiliter moribus, & actibus Magistratum. Insuper & Summã edidit, quam vocauit de Pænitentia, & summulam addidit de matrimonio in foro Pænitentiali, & alijs admodùm fructuosam: in quibus studijs, & operibus suis tanto erit doctrinæ certior, auctoritas maior, & studentium vtilitas amplior, quantò compilatoris eorum fides, & sanctitas diuulgata fuerit vniuersis. Nec decet omittere, quod Archiepiscopatum Tarraconensem accipere renuit, Magistri sui domini Iesu Christi factus in contemptu honoris sæculi fidelissimus imitator. Nos igitur pensatis ijs omnibus, retroactis temporibus, paulò post fælicem transitum eius, multorum de Clero, & populo, concurrentibus uotis, & literis scriptis scripsimus Domino summo Pontifici, huius S. Viri Canonizationem humiliter postulantes. Cumque in Curia diligenter agitaretur negotium, tandem tribus Cardinalibus est facta commissio, vt per eos examinarentur solum, quæ proponebantur, miracula, quia de vitæ sanctitate nulla uidebatur requirenda esse

proba-

probatio, cuius notitiam odor miræ fragrantiæ, circumquaque fama volitante, disperserat, quam multorum de visu, pluriumque de auditu fidele testimonium comprobabat. Sic sanè processu pẽdente, nostris opposita desiderijs, inter Reges est suborta dissensio, eo instigante, qui Rex est super omnes filios superbiæ, qui dominum primum Regem quondam Aragonum, qui prius vnus erat, & præcipuus inter supplicantes occasione inuasionis Regni Siciliæ sic à communione, & gratia sedis Apostolicę, peccatis exigentibus, separauit, quod ipsi, & nobis ablata est omnis fiducia, id quod petitũ fuerat, obtinendi. Reuera placuit tandem altissimo Domino suos, & Ecclesię suæ reconciliare fideles, & per industriam Summi Pontificis, & vestram, terris pace reddita, restaurare deperdita, & multam spem nobis administrare, vt iam fiducialiter, qui vsq; nunc silueramus pro dicta Canonizatione supplicare debeamus denuò, & instare. Maximè ergò nunc ex via Domini Regis Aragonum ad Romanam Curiã opportunitate captata, & ipsius ad promotionem huius sancti negotij multa deuotione pensata, cuius etiam præsentia, & reuerentia multum posse videntur ad fœlicem expeditionem ipsius non immeritò suffragari, petitionẽ nostram duximus, iteratis supplicationibus innouandam; propter quod ex parte nostra, & multorum de Clero, & populo super obtinenda dictæ Canonizationis gratia, ad Dominum Papam, cuius circa hoc specialem expectamus fauorem, & gratiam, literæ plurimæ destinantur. Nos igitur licet pauperes, & penè nulli, quibus propria nõ sufficiunt merita; tamẽ verisimiliter arbitrantes illis vndiq; omninò deesse non posse subsidium, vbi tantorum, tamq; piorum Patrum contingat petentibus fauorabilem sacrum adesse conuentum, excellentiæ vestræ clementiam duximus deuotione, qua possumus, exoran

dam,

dam, quatenus ad huius adeò digni Sācti dirigendum in Curia promouendumque negotium Canonizationis, nobiscum, & pro nobis apud Dominum Papam, gratia vestræ benignitatis insistat, vt ad vitam, ac miraculorum eius inueniendam, comprobandamque veritatem, deinde ad diu optatam prædictam Canonizationem pro interuentu nostro, Apostolica, & vestra procedat auctoritas. Ita vt nos, cum his, qui ad hoc suspirijs frequentatis anhelat, tales nobis elegisse congratulemur intercessores, auxiliarios, et cooperatores, quibus familiariores non occurrebant Summo Pontifici, nec cōmodiores ad id, quod petimus, impetrandum. Quem ergò quondam Romanæ Sedis Officiales comministrum habuerunt, & socium, nunc pro suæ sanctitatis meritis ad Dei *gloriam, & ipsius sedis honorem, de qua assumptus est, in Cælis Patrem specialem habere se gaudeant & Patronum. Amen. dat. Barchinone sex to calendas Iulij. Anno* Domini *Millesimo, ducentesimo, nonagesimo octauo.*

Alio cōputo est anno 1297.

Dilato iterum Canonizationis negotio à tempore Bonifacij VIII. vsq; ad Ioannem. XXII. Episcopi prouinciæ Tarraconen. e Concilio prouinciali Tarracon. vbi fuerāt congregati, iterum scribunt ad eundem Ioannem Papam XXII. anno. 1317. Cap. XII.



TEMPORE Bonifacij Papæ VIII. nihil fuisse actum, aut stabilitum in causa Canonizationis B. Raymundi euentus subsecutus demonstrauit, cum ad Ioannem XXII. iterum porrectæ preces eam fieri postularent. Obierat Romæ Bonifacius VIII. anno M. CCCIII. post cuius obitum neq; Benedictus XI. neq; Clemens V. qui Catholicæ Ecclesiæ præfuerunt, aliquid in Canonizatione egisse leguntur.

tur. Quamobrem Archiepiscopus Tarraconen. & suffraganei, datis iterum literis è Concilio Tarraconen. pro eadem Canonizatione celebranda intercesserunt.

Eos tamen id fecisse à Rege præmonitos indicant eiusdē Regis literæ ad Archiepiscopum Tarraconensem, & cæteros Episcopos, & Prælatos in Tarraconensi Concilio proximè celebrando congregandos, eodem tempore scriptæ, quæ paulopost cap. 14. recensentur.

Literæ Archiepiscopi Tarraconensis, & suffraganeorum existentium in Concilio Tarraconensi ad Dominum Papam Ioannem XXII.

Pro Beato Raymundo de Peñafort Canonizando.

SAnctissimo Patri nostro in Christo, ac Domino, Domino Ioanni summa Dei prouidentia Sanctæ Romanæ, ac Vniuersalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Eximinus eiusdem permissione Tarraconensis Archiepiscopus, Martinus Oscensis, Berengarius Vicensis, Frater Raymundus Vrgellensis, Guillelmus Gerundensis, Frater Guillelmus Ilerdensis, Berengarius Dertusensis, Petrus Tirasonensis Episcopi, Abbates, & alij Prælati in Tarraconensi Concilio constituti, totaque eiusdem Concilij Vniuersitas cum humili cōmendatione pedum oscula beatorum.

Cælestis agricola in horto Ecclesiæ, velut in Paradiso voluptatis, ineffabili sua sapiētia, tot ligna produxit pomifera diuersorū meritorū, & graduū, et impetu fluminis de æterno fonte manātis, incōpræhensibilibus alueis gratiarū cælestium irrigare non cessat; quod eorum attenta consideratio omnem intuentem supra se extollit, & eleuat, in sui amorem conditoris vehementer accendit, glutino dilectionis inuincibilis coniungit Ecclesiæ, & ad Sanctorum honorem debitum instruit, mouet, acuit, & disponit. Ex hoc dudùm post felicem de mundo transitum Venerabilis Viri Dei Fratris Raymundi de Peñafort Ordinis Fratrum Prædicatorum magnis, & cre-

 bris

viris coruſcantibus miraculis, quibus in vita claruit; & poſt mortem ex condigna deuotione piè motum ſacrum Tarraconenſe Concilium ſub bonæ memoriæ Bernardo Tarraconenſi Archiepiſcopo, beatæ recordationis Domino Nicolao Papæ Tertio humiliter ſupplicauit, quatenus celſitudo Apoſtolica circa Viri Dei ſacram Canonizationem affectum beneuolum concedere dignaretur. Et quia Viri Dei eximiæ vitæ ſanctitas, morum honeſtas, fructuoſa doctrina, ſpectabilis vita, excelſa humilitas, fama clara dilatata per orbem notæ erant adhuc tunc ſuperſtitibus Curiæ Romanæ officialibus; Summus tunc Pontifex iuxta Sancti viri Dei meritum, & noſtræ Prouinciæ deſiderium in dicto negotio incipiebat procedere, ſed ſuperueniens malitia temporis tam pium, Deo gratum, & Sancto ſuo condignum negotium impediuit. Cæterum Pater Sanctiſſime, quia non ceſſat omnipotentis Dei manus certiſſimis, ac continuatis miraculis de die in diem Sanctum ſuum extollere, & tam frequentatis beneficijs quaſi quibuſdam vocibus de cælorum faſtigio intonantibus, honorem alijs Sanctis per Eccleſiam exhibitum pro iſto importunius poſtulare; & eius venerabile ſepulchrum deuotis populorũ encomijs, & luminaribus efficere glorioſum, Apoſtolicæ veſtræ Beatitudini tota, qua ſcimus, & poſſumus humilitate deuotiſſime ſupplicamus, quatenus ad Sancti huius glorioſam Canonizationem veſtra ſingularis, & excelſa procedat auctoritas, & præmiſſo miraculorum examine, dignetur Sanctorum catalogo annotare. Summus, & cæleſtis Pontifex ſuæ ſacroſanctæ Eccleſiæ incolumem vos conſeruet. Datum Tarraconæ in die cathedræ S. Petri anno Dñi M CCC X V I I.


Epiſcop. Tiraſonen. Epiſcop. Dertuſen. Epiſcop. Gerũd. Epiſcop. Oſcen. Archiepiſcop. Tarraconen. Epiſcop. Vicen. Epiſcop. Vrgellen. Epiſcop. Ilerden.

OBSERVATIO.

AB obitu Beati Raymundi vſq; ad tempus ſcriptionis harum literarum, iam xxxxij. effluxerant anni, & tamen neq; populorum deuotio tepuerat, neq; operatio miraculorum continuata ceſſauerat, vt luculento teſtimonio hac epiſtola Epiſcopi cõteſtantur: quæ res, & valdè mirabilis eſt ad probandam Beati viri Sanctitatem, & ad Canonizationem impetrandam, neceſſaria: neq; enim ſolent Romani Pontifices fre-

frequenter, aut præcipitanter rem tantam peragere; sed vt paulò anteà hoc libro cap. 1. dictum est, cunctanter, & grauiter distinent negotium, vt hæc eadem de frequentia, & continuatione miraculorum, & fama sanctitatis, quæ in Beato viro concurrere conspiciebantur, in alijs etiam diligenter explorent.

Fratres Prædicatores Regis Iacobi fauorem implorant apud Ioannẽ XXII. pro Beato Raymũdo canonizãdo, ad quem mittunt etiam Fratrem Arnaldum Burgueti, qui Regi in ea re assistat. Cap. XIII.



NON solùm Episcopi Prouinciæ Tarraconensis, sed Ordo quoq; Prædicatorũ, & Rex Iacobus denuo à Ioanne canonizari Beatum Raymundum postularunt; & quoniam scitu dignum est, quid sub eo Pontifice in hac causa actũ fuerit, id breuiter hic referre placuit.

Cùm Ordo Prædicatorum multos viros Beatos, & miraculorum operatione claros haberet, Ioannes xxij. vnum se de illis canonizaturum obtulit, quem eiusdem Ordinis proceres elegissent. Quamobrem Diffinitores in Capitulo generali apud Pampilonam congregato, cui Petrus de Palude Vicarius præerat, Raymundum canonizandum petere decreuerunt, & ad Regem Iacobum tunc Ilerdæ commorantem, eius fauorem implorantes, die 29. Maij annò M. CCCXVII. literas tenoris sequentis (quas nobis nuper Regium Archiuum Barcinonense subministrauit) scripserunt.

Serenissimo Principi D. Iacobo Aragonum, Valentiæ, Sardiniæ, & Corsicæ Regi Illustri, Frater Petrus de Palude Ordinis Fratrũ Prædicatorum Vicarius in nostro Capitulo generali apud Pampilonam congregato, omnesq; Diffinitores Capituli antedicti diu regnare fæliciter, et possidere cælestia consequenter.

Progenitorum vestrorum ad dictum Ordinem nostrum affectio singularis ducit nos multipliciter, & inducit, quòd licet ex Ordine prædicto col-

legerit Deus flores pulcherrimos in gloriam regni sui; Fratres videlicet plurimos, quos cælestibus dotauit virtutibus, & miraculorum multiplicium, & magnorum euidentissima gratia claros fecit; tamen volentes pro viribus procurare, quæ cedunt ad exaltationem, & gloriam Regni vestri, Beatum Fratrem nostrum Raymundum Generalem Magistrum nostri Ordinis antedicti, quem nō solum vestri Regni singularem alumnum prouidentia Dei Patris produxit in lucem, quasi generale virtutum exemplar verum, & totius vniuersalis Ecclesiæ fecit per Canonicarum Sanctionum disertionem solertissimum directorem, Sanctiss. Patri Dño nostro Summo Pontifici vnanimiter duximus canonizandum offerre, qui se canonizaturum obiulit vnum, quem duxerimus eligendum. Quare cum istum Deus videatur singulariter elegisse, vt patenter ostendit ex miraculis, quæ vsq; in præsens operatur in eos, qui in ipsum dirigunt vota sua, decreuimus debitum adhibere conatum, vt in ipso nobis oblata gratia gratum meritò toti mundo, & singulariter regno vestro sortiatur effectum. Et quia hoc nostrum propositum amplectēdum meritò minimè dubitamus, elegimus Fratem Arnaldum Burgueti virum scientia, & moribus approbatum, vt vestræ inclitæ Maiestati in huius fælici prosecutione negotij feruenter assistat, vt sic coadiutores vnanimiter facti Dei, in diuulganda gloria Sancti eius, cum ipso tandem beatitudine perfruamur. Addat Dominus vobis vitam felicissimam, vt optamus. In quorum testimonium sigilla nostra duximus præsentibus apponenda. Datum Pampilonæ, xxix. Maij in nostro antedicto Capitulo generali.

OBSERVATIO.



REX his literis acceptis, ad Consiliarios Barcinonenses eodem Fratre Arnaldo supplicante idibus iunij eiusdem anni M. CCCXVII. rescripsit, vt postquam id negotium diuinum obsequium, & Regnorum suorum, ac in primis ciuitatis Barcinonensis, vbi Beatus Raymundus in pace quiescerat, honorem respiciebat, omni adhibita diligentia, considerarent, quid præstare potissimum oporteret, simulq; hortatus est, vt suum ipsi auxilium, & operam liberaliter impenderent.

Cum verò Consiliarij Regi humiliter respondissent, se omnem operā suam diligen-

diligentiam, & studium adhibituros, Rex iterum iij. nonas Augusti eiusdem anni M. CCCXVII. ad eosdem Consiliarios, alijs literis datis, se ad Romanam curiam eundem Fratrem Arnaldum missurum decreuisse affirmat his verbis.

Vnde scire vos volumus nos pro meliori via taliter prouidisse, quòd ordinauimus mittendos super hoc ad præsentiam Domini Papæ, & Sacrum Collegium Dominorum Cardinaliũ, & ad quosdam ex eis speciales amicos nostros Religiosum Fratrem Arnaldum Burgueti Ordinis Prædicatorum Conuentus Barchinonæ, & discretum Petrum Comitis L.D. cum literis nostris negotio conuenientibus, et videtur nobis expediẽs, vt uos per eosdem debeatis cum vestris literis Domino Summo Pontifici supplicare pro obtinenda gratia negotij prælibati, expositis illis veris, & iustis causis, de quibus discretioni vestræ videbitur expedire; Et vt super hoc certius possitis procedere, mitti facimus vobis per fidelem Notarium nostrũ Bernardum de Auersone tenores literarum, quas propterea Domino Summo Pontifici, & Cardinalibus destinamus. Poteritis etiã à prælibato Fratre Arnaldo, qui est de negotio plenè instructus, informationem recipere per vos sic, vt videritis vtile, in vestris literis inserendam. Sanè quia res hæc absq; subuentione succursus aliquatenus expediri, nosq; iã ad id succursum nostrum duxerimus exhibendum, inducimus vos propterea & hortamur, quatenus pro bono, atq; honore, & gloria Ciuitatis, vestrum auxilium, & succursum taliter exhibere curetis, quod possit res ad uotiuum perduci effectũ, ne expensarum defectu (quod absit) cessari contingeret, vel differri. Consequemini autem propter hoc & à Domino præmium, & à gentibus præconium bonæ laudis. Dat. Ilerdæ iij nonas Augusti. Anno Domini M. CCCXVII.

OBSERVATIO ALTERA.



E Ioannis XXII. Romani Pontificis de Canonizando quocunq; Fratre Prædicatore, quem Proceres eiusdẽ Ordinis ducerent eligendum, promissio nimis fortassis facilis alicui videatur, ad Fratres, qui ab initio eius Ordinis vsq; ad tẽpus Ioãnis XXII. insigni sanctitate, & miraculis claruerũt, recurrere oportet: hic.n. Ordo cùm omni sæculo, tum illis præsertim primis sanctitatis, sanctorumq; fœcundum extitit seminarium. Tempore autem Ioannis XXII.

multi

multi beati viri de eadem familia Canonizandi meritis præclari occurrebant ex copioso tamen numero, pauci quidam (quos memoria suppeditauit) visi sunt referendi.

Reginaldus de Sancto Aegidio, qui relicto Aurelianensi Decanatu, hûc professus Ordinem, singulari emicuit sanctitate, quem Beata Virgo Dei genitrix tanta dilectione prosecuta fuit, vt cum eo, sicut solet amicus cum amico, familiariter loqueretur. [Gesta, & Chronica Ordinis Prædicatorum, alijq; qui Beatorum huius Ordinis vitas scripserunt.]

Ioannes Vincentius, qui ob eximiam vitæ puritatem adhuc viuens cognominatus est Sanctus.

Conradus Theutonicus primus in Germania Hæreticorum censor, qui pro fide Christi prædicãda, & defendẽda ab Hæreticis anno M.CCXXVIII. trucidatus primus ex hoc Ordine martyriũ consummauit. [Leander Albertus lib.2.de Viris Illustribus Ordinis Prædicatorum.]

Laurentius Anglus vitæ sanctimonia conspicuus, & etiam dum viueret miraculorum virtute potens, & futurorum præscius.

Manes Hispanus Sancti Dominici, vt Antonino placuit, carnalis frater, qui postquàm sincero corde, & mente pura in conuertendis Hæreticis in Tholosana prouincia laborasset, huius vitæ cursum, miraculis coruscans sanctissimè absoluit. [S.Anton.3.par.Histor.tit.23.cap.4.]

Iordanus Saxo Secundus post Beatum Dominicum Magister Ordinis Generalis, assiduus Euangelij præco, vita purus, & miraculorum operatione clarus.

Iacobus Huton Mediolanensis, qui diuino instinctu commotus in transmarinas partes traijciens, postquàm multos fructuosè admodum conuertisset, miraculis coruscus in Cretensi Insula vltimum clausit diem, vbi velut Sanctus colitur.

Ioannes, & Nicolaus natione Hungari, ambo Episcopali dignitate insigniti per martyrium pro Christo susceptum cælestia habitacula susceperunt.

Guillelmus Arnoldus de Montepessulano acer Hæreticorum censor, qui anno 1242. martyrio est coronatus.

Pontius Hispanus Hæreticorum quoq; censor, qui anno 1243. veneno sibi ab Hæreticis propinato occubuit, & miraculorum gloria claruit. [Leander Albertus lib.5.de viris Illustribus.]

Thomas Aquinas Angelicus doctor, Theologiæ cognitione insignis, moribus incorruptus, & castus, quem Ioannes XXII. solẽni ritu consecrauit.

Hyacinthus Polonus nobili genere natus, qui à Sancto Dominico Romæ piè institutus, hûc Ordinem in Poloniam primus inuexit, quem superioribus annis Sanctissimus D.N. Clemens Papa VIII. in Sanctorum catalogum retulit.

Am-

Ambrosius Sansedonius Senensis vir sanctitate vitæ, doctrina, & gratia prædicationis illustris, & Sancto Thomæ de Aquino coætaneus, quem tandem Sanctißimus D.N. Clemens Papa VIII. anno 1597. inseri iussit Romano Calendario.

Guido Longimellus vir conuersatione vitæ clarus, & verbi Diuini præco insignis, qui, dum prædicationi Euangelij in partibus transmarinis indefessus insisteret à Sarracenis pro fide Christi est trucidatus.

Paganus Bergomensis alias Petrus Fidelis vocatus, Hæreticorum censor Cumanus, qui ipso die festo protomartyris Stephani anni. 1277. ab Hæreticis in Valle Tellina occisus, gloriosum martyrium consumauit.

Albertus quoq; ob eminentiam doctrinæ, & multiplicem omnium rerum peritiam cognomento, Magnus, quem Sixtus IIII. ab antiqua sepultura, in qua sub terra per 200. annos Coloniæ iacuerat, in illustriorem locum Conuentus Prædicatorum Coloniensis transferri iussit, vbi multa veneratione colitur.

Hos, pluresq; alios, quos recensuerunt Leander Albertus, Antonius Senensis, Iustinianus Antistius, & Gesta Ordinis Prædicatorum, Canonizare meritò potuisset Ioannes XXII. Ceterum nostro Raymundo omisso, postquam primo sui Pontificatus anno, paulo antequàm Arnaldus cum Regijs literis ad Sedem Apostolicam peruenisset, Ludouicum Episcopum Tholosanum germanum fratrem Regis Roberti & claræ mem. Blãchæ Reginæ Aragonum eiusdem Iacobi II. coniugis, quem Dominus propter illius merita conciuem Sanctorum effecerat, solemni Canonizatione Sanctorum catalogo adscripsisset, ad Thomam Aquinatem consecrandum animum conuertit. Surita lib. 6. Annal. cap. 23. & lib. 2. Indicum rerum ab Aragoniæ Regibus gestarũ sub anno 1317.

Iussu Iacobi Regis Arnaldus Burgueti ad Curiam Pontificiam cum Regijs literis destinatur. Cap. XIIII.

POST Communicatum itaque negotium cum Consiliarijs Barcinonẽsibus, mox Rex Arnaldo Burgueti viro religione præstanti, & hæreticæ prauitatis in Regnis, & terris eiusdem Regis Inquisitori generali iniunxit, vt ad Curiam Pontificiam properaret, Iussio Regis his verbis concepta memoratur.


Iacobus Dei gratia Rex Aragonum &c. Religioso viro Fratri Arnaldo Burgueti de Ordine Fratrum Prædicatorum salutem, & dilectionem.

Cum

Cum licitum nobis sit mittere Fratres dicti Ordinis, ad quascunque partes voluerimus, ex concessione inde nobis facta per Magistrum iam dicti Ordinis, velimusq; vt cum vno socio eatis ad Romanam Curiam *ratione* Canonizationis *Viri Beati Fratris Raymundi de Peniafort quondam: ideò volumus, ac vobis dicimus, quatenus assumptò vobis vno socio, quem eligẽdum duxeritis, vna cum eo ex ipsa causa ad dictam Romanam Curiam accedatis & circa obtinendam Canonizationem prædictam à Domino Summo* Pontifice *vigilanter, ac sollicitè intendatis. Dat. Ilerdæ tertiò Nonas Augusti. Anno Domini.* M. CCCXVII.

Scripsit autem tunc Rex Iacobus ad Federicum Siciliæ Regem, vt pro eadem Canonizatione apud Pontificem intercederet: item ad Episcopos, & Prælatos Concilij Tarraconensis, vt suam quoque ipsi diligentiam adhiberent: item ad Collegium Cardinalium & alios, quos negotio perficiendo idoneos iudicauerat. Has autem pias Regis literas, ideò in his Canonizationis actis recensere placuit, vt Principes sæculi habentes Catholicorum Principum, quæ piè, & laudabiliter imitentur, exempla, intelligant è Virorum Sanctorum (qui in suis nascuntur, aut moriuntur Dominijs) patrocinio, Regnorum, & Dominiorum incolumitatem pendere, & honorem maximum ex eorundem Canonizatione sibi, Dominijsq; suis conciliari.

REGI SICILIAE.



LLVSTRI Principi charissimo fratri suo Frederico Dei gratia Regi Siciliæ, Iacobus per eandẽ Rex Aragonum salutem, et votiuæ fælicitatis augmentũ. Conspicientes, & veridicis relationibus audientes (experientia rei notoriæ etiam manifestè monstrante) qualiter religiosus fælicis memoriæ Frater Raymundus de Peniafort Ordinis Prædicatorum (sicut iam ad aures vestras credimus peruenisse) ex suis actibus placens Deo, cælestibus dotatus virtutibus, & multiplicium miraculorum gratia mirabiliter decoratus mundum contempserit, ipsumq; dogmatibus sacrarũ Scripturarum

direxe-

direxerit, cœlicam vitam elegerit, suo Creatori Domino in sanctitate, & puritate vitæ seruiuerit, non immeritò credimus eum in cœlis fore sanctorum aggregatum consortio, & fœliciter collocatum. Cernentes etiam inter alia dicti Fratris Raymundi Canonizationem, si ad optatum finem peruenerit (super quo domino Summo Pont. nouiter duximus supplicandum) cedere ad bonum, & gloriam Regni nostri, à quo in partibus Cataloniæ ipse vir tantis insignitus virtutibus originem suam traxit, suumque corpus in domo Prædicatorum Conuentus ciuitatis nostræ Barchinonæ (vbi Dominus pro ipso plura, & quam plura miracula propitius demonstrauit, & mõstrare non desinit) honorabiliter est sepultum, ex præmissis circa eiusdem Canonizationis effectum efficaciter intẽdentes, nostræ sollicitudinis super eo operam præparamus: confidentes, & è certo tenentes meritum in altis, animæ nostræ acquirere, dùm promotionem, & expeditionem tam fructuosi negotij procuramus. Affectantes igitur plenis desiderijs, vt res tam vtilis, tamq; laudabilis votiuum consequatur effectum, Serenitatem Vestram interno deprecamur affectu, quatenus (vt tam pij operis participes fieri mereamini) velitis, & placeat negotium hoc feruenter assumere promptis votis: & proinde tùm ob diuina obsequia, tum ad acquirendum animæ vestræ meritum, tùm etiam ob multarum animarum salutem, quæ inde Deo propitio pullulabit, Domino Summ. Pont. scribere supplicando, pro ut meliùs, & decentiùs videritis negotio conuenire, & pro fœliciori expeditione negotij efficaciter intendere prout religiosus Frater Arnaldus Burgueti de Ordine Prædicatorum (quem propterea ad Sacram Apostolicam præsentiam destinamus) super ijs, quæ conueniunt de nostro proposito informatus, excellentiam vestram poterit clariùs informare, atque personam aliquam idoneam ordinare, quæ suo tempore hac de causa, possit Apostolicam adire præsentiam, & dictum negotium efficaciter promouere. Ex hoc autem (vt indubitãter habemus) altissimo bene placebitis, præmiũ acquiretis in altis, idq; nostræ quam plurimum Voluntati placebit. Dat. Valentiæ septimo Idus Ianuarij Anno Domini M. CCCXVII. Barcinon. tamẽ computo 1318.

Bernardus de Auersone mandato Regio.

Cum licitum nobis sit mittere Fratres dicti Ordinis, ad quascunque partes voluerimus, ex concessione inde nobis facta per Magistrum iam dicti Ordinis, velimusq; vt cum vno socio eatis ad Romanam Curiam ratione Canonizationis Viri Beati Fratris Raymundi de Peniafort quondam: ideò volumus, ac vobis dicimus, quatenus assumptò vobis vno socio, quem eligẽdum duxeritis, vna cum eo ex ipsa causa ad dictam Romanam Curiam accedatis & circa obtinendam Canonizationem prædictam à Domino Summo Pontifice vigilanter, ac sollicitè intendatis. Dat. Ilerdæ tertiò Nonas Augusti. Anno Domini. M. CCCXVII.

Scripsit autem tunc Rex Iacobus ad Federicum Siciliæ Regem, vt pro eadem Canonizatione apud Pontificem intercederet: item ad Episcopos, & Prælatos Concilij Tarraconensis, vt suam quoque ipsi diligentiam adhiberent: item ad Collegium Cardinalium & alios, quos negotio perficiendo idoneos iudicauerat. Has autem pias Regis literas, ideò in his Canonizationis actis recensere placuit, vt Principes sæculi habentes Catholicorum Principum, quæ piè, & laudabiliter imitentur, exempla, intelligant è Virorum Sanctorum (qui in suis nascuntur, aut moriuntur Dominijs) patrocinio, Regnorum, & Dominiorum incolumitatem pendere, & honorem maximum ex eorundem Canonizatione sibi, Dominijsq; suis conciliari.

REGI SICILIAE.




LLVSTRI Principi charissimo fratri suo Frederico Dei gratia Regi Siciliæ, Iacobus per eandẽ Rex Aragonum salutem, et votiuæ fælicitatis augmentũ. Conspicientes, & veridicis relationibus audientes (experientia rei notoriæ etiam manifestè monstrante) qualiter religiosus fælicis memoriæ Frater Raymundus de Peniafort Ordinis Prædicatorum (sicut iam ad aures vestras credimus peruenisse) ex suis actibus placens Deo, cælestibus dotatus virtutibus, & multiplicium miraculorum gratia mirabiliter decoratus mundum contempserit, ipsumq; dogmatibus sacrarũ Scripturarum direxe-

direxerit,cælicam vitam elegerit,suo Creatori Domino in sanctitate, & puritate vitæ seruiuerit,non immeritò credimus eum in cælis fore sanctorum aggregatum consortio,& fœliciter collocatum. Cernentes etiam inter alia dicti Fratris Raymundi Canonizationem,si ad optatum finem peruenerit(super quo domino Summo Pont. nouiter duximus supplicandum) cedere ad bonum,& gloriam Regni nostri, à quo in partibus Cataloniæ *ipse vir tantis insignitus virtutibus originem suam traxit,suumque corpus in domo* Prædicatorum *Conuentus ciuitatis nostræ Barchinonæ(vbi Dominus pro ipso plura,& quam plura miracula propitius demonstrauit,& mõstrare non desinit) bonorabiliter est sepultum, ex præmissis circa eiusdem Canonizationis effectum efficaciter intẽdentes, nostræ sollicitudinis super eo operam præparamus: confidentes,& è certo tenentes meritum in altis, animæ nostræ acquirere,dùm promotionem,& expeditionem tam fructuosi negotij procuramus. Affectantes igitur plenis desiderijs,vt res tam vtilis, tamq; laudabilis votiuum consequatur effectum, Serenitatem Vestram interno deprecamur affectu, quatenus (vt tam pij operis participes fieri mereamini) velitis, & placeat negotium hoc feruenter assumere promptis votis: & proinde tùm ob diuina obsequia,tum ad acquirendum animæ vestræ meritum,tùm etiam ob multarum animarum salutem,quæ inde Deo propitio pullulabit,Domino Summ. Pont. scribere supplicando,pro ut meliùs, & decentiùs videritis negotio conuenire, & pro fœliciori expeditione negotij efficaciter intendere prout religiosus Frater Arnaldus Burgueti de Ordine Prædicatorum(quem propterea ad Sacram Apostolicam præsentiam destinamus) super ijs, quæ conueniunt de nostro proposito informatus,excellentiam vestram poterit clariùs informare,atque personam aliquam idoneam ordinare, quæ suo tempore hac de causa,possit Apostolicam adire præsentiam,& dictum negotium efficaciter promouere. Ex hoc autem (vt indubitãter habemus) altissimo bene placebitis,præmiũ acquiretis in altis,idq; nostræ quamplurimum Voluntati placebit. Dat. Valentiæ septimo Idus Ianuarij Anno Domini M. CCCXVII.* Barcinon. tamẽ computo 1318.

Bernardus de Auersone mandato Regio.


Concilio Prouinciali Tarraconæ.




ACOBVS &c. Reuerendo, ac Venerabilibus in Christo Patribus, Eximino diuina prouidentia Tarraconæ Archiepiscopo, nec non Episcopis cæterisq; Prælatis in Tarraconensi Concilio proximè, celebrando congregandis, salutem, & dilectionem.

Ex sinceræ volũtatis affectu, quem erga negotium Canonizationis Religiosi fœlicis memoriæ Fratris Raymundi de Peniafort Ordinis Prædicatorum (qui ex Regno nostro natalem traxit originem) gerimus, & habemus, feruenter inducimur, vt circa eius effectum nostræ sollicitudinis operam præbeamus, et vobis propterea prouidimus scribere super eo, Paternitatem vestrã affectuosè rogantes, quatenus consideratẽs qualiter ex hoc (si optatum finem susceperit) cultus diuinus amplificabitur, fidelium augebitur deuotio, multaq; commoda nedum temporalia, sed spiritualia, ac perpetua fidelium animarum saluti prouenient, & qualiter hoc cedere dignoscitur ad honorem, & gloriam Regni nostri, à quo, vt prædicitur, originem suam traxit; insequentes etiam prædecessorum vestrorum vestigia, qui vt audiuimus, pro re huiusmodi sollicitè laborarunt, velitis negotium hoc efficaciter assumere, ac prosequi promptis votis: scribentes proinde Domino Summo Pontifici supplicando eidem, prout melius, & decentius videritis negotio conuenire, & pro fœliciori expeditione negotij suprãdicti, aliquam idoneam in dicto Concilio eligere, & etiam ordinare personam, quæ suo tempore posśit hac de causa Apostolicam adire præsentiam, & negotium promouere. Ex hoc autem (vt indubitanter credimus) altisśimo gratum præstabitis famulatum, animabus vestris, & multorum prouidebitis, nobisq; rem hanc suscipientibus, eiusq; vtilitatis participes effici desiderantibus, placebitis in immensum. Dat. vt in proxima.

Idem.



Domino Summo Pontifici.



ANCTISSIMO, ac Reuerendissimo in Christo patri, & Domino, Domino Ioanni Diuina prouidentia Sacrosanctæ Romanæ, & uniuersalis Ecclesiæ sũmo Pontifici, Iacobus Dei gratia Rex Aragonũ &c. eius humilis, & deuotus filius pedum oscula beatorũ. Quoniã iusta, & Sancta desideria propter dilationẽ temporis non decrescunt, immò validius, & fortius inualescunt: idcirco Pater Sanctissime, cùm nos, & prædecessores nostri Canonizationem Venerabilis Patris Fratris Raymundi de Peniafort Ordinis Fratrum Prædicatorum tota deuotione, & tẽpore obtinuerimus, & petiuerimus, propter diuturnitatem deprecationis à corde nostro non excidit, immò noster animus ad eam obtinendam inexplicabili desiderio continuo inardescit. Conspicientes enim, & veridicis modernorum relationibus audientes (Experientia rei notoriæ etiam manifestè monstrante) qualiter dictus Frater Raymũdus ex suis operibus placens Deo, cælestibus dotatus virtutibus & multiplicium miraculorum gratia mirabiliter decoratus, mundum contempserit, ipsumq; dogmatibus sacrarum scripturarum direxerit, cœlicam Vitam elegerit, suo Creatori Domino in sanctitate, & puritate vitæ fei uixerit, non immeritò credimus eum in Cœlis fore Sanctorum aggregatum consortio, & fœliciter collocatum; in quo nostri, & omniũ de Regno nostro ex præmissis indubitabilis fundata residet firma fides ex operibus, quæ nostri viderunt, & nobis suis relationibus reliquerunt, & ex prodigiorũ multorum euidentia, quæ dominus in gratiam dicti Fratris misericorditer exhibet in illis, qui in eum dirigunt fiducialiter vota sua. In hoc equidem benignißime Pater, si optatus finis ex Apostolica prouisione, & bonitate processerit, cultum viderimus amplificari Dominicũ, deuotionem augeri fidelium, multaq; bona nedum temporalia, sed spiritualia, ac perpetua animarum saluti fidelium prouenire, nec prætermittimus hoc, quin cedat ad bonum, & gloriam Regni nostri, in quo in partibus Cataloniæ ipse vir tantis insignitus virtutibus originem suam traxit, suumq; corpus in domo Prædicatorum Conuentus Ciuitatis nostræ Barchinonæ (vbi dominus pro ipso plura, & quamplura miracula propitius demonstrauit, & monstrare non desinit) honorabiliter est sepultum.

pultum. Confidimus etiam, & è certo tenemus meritum animæ nostræ acquirere, dum promotionem, & expeditionem tam fructuosi negotij apud Sanctitatem Vestram interponimus intercessum. Totis igitur desiderijs, & voluntatibus affectantes, vt res tam vtilis, tamque laudabilis votiuum consequatur effectum, Reuerendum ac Venerabilem in Christo Patrem Eximinum Tarracone. Archiepiscopum, & Guillermum Gerunden. Episcopũ Apostolicam præsentiam adituros, intentata affectione rogauimus, sibi Regijs exhortationibus imponentes, vt ad obtinendũ tam laudabilis, & vtilis rei exitum apud vestram Beatitudinem efficaciter, ac diligenter insistant, & coram Sanctitate Vestra, & Consistorio Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ supradictæ ex parte nostra ea proponant. Igitur Sanctitati Vestræ, & piæ mansuetudini intentiùs supplicamus, quatenus ad expeditionem tam fœlicis negocij, tum ex causis sistentibus, tum ex nostro Regio intercessu intendere, & procedere dignetur, & placeat Apostolicis operationibus rem tam Deo placidam, & vniuersaliter omnibus Christum colentibus tam proficuam effectiuo, ac votiuo concludere fine: super hoc etiam, quia præsentes voces solent plus alijs, ac efficacius expedire, ad sacram Apostolicam præsentiam destinamus Religiosum Fratrem Arnaldum Burgueti Ordinis supradicti Inquisitorem hæreticæ prauitatis in Regnis, & terris nostris à Sede Apostolica deputatum, super ijs, quæ conueniunt de nostro proposito, informatum per .... Archiepiscopum, Episcopum, & Fratrem humiliter petimus benigne recipi, clementer audiri, atq; per solitam benignitatem vestram ad exauditionem admitti. Prælibatus verò Frater Arnaldus negotium hoc coram Sanctitate Vestra sedulus prosequetur. Qui propria potentia sua de nihilo cuncta fecit, Beatissimam personam Vestram ad sua Sancta seruitia conseruet incolumem plenis annis. Dat. in Ciuitate Dertusæ calendis Aprilis anno D. M. CCCXVIII.

Quædã hic in originali corrosa, tẽporis vetustate, legi non potuerant.

Prædictę literæ fuerãt iam expeditæ Ilerdæ 3. non. Augusti 1317. sed postea fuit mutata ipsa data ad calend. Apri. 1318. iuxta computum Barcinon.

Idem

Collegio Dominorum Cardinalium.

REVERENDIS *in Christo Patribus Sacro Collegio, siue cœtui Dominorum Cardinalium Romanæ Ecclesiæ Sacrosanctæ specialibus amicis nostris, Iacobus Dei gratia Rex Aragonũ, etc. salutem, & debitam reuerentiam cum honore.*

Ignorare

Ignorare nolumus Paternitatem Vestram, nos scribere Sanctissimo in Christo Patri Domino Summo Pont. per literam nostram continentiæ subsequentis. inferatur. *Cum itaq; causæ in supra inserta nostra litera recitatæ affectum nostrum ducant efficaciter, & inducant, quod partes nostræ sollicitudinis exponamus, vt pro quibus scribimus, plenum sortiantur effectum, sciamusq; vos, & vestrum singulos in hoc præsertim vestram dirigere voluntatem, vt cultus augeatur Dominicus, & animarum saluti fidelium consulatur; quodq; etiam ad exaudienda nostra precamina esse paratos, Paternitatem, & charam amicitiam vestram interno deprecamur affectu, quatenus, vt negotium Canonizationis, quam petimus, pro tam fructuosis causis imminentibus, effectum plenariè consequatur, fauorem, auxilium, & consilium vestrum placeat exhibere supradictis Archiepiscopo, & Episcopo, ac Fratri Arnaldo, vel eorum alteri negotium prosequenti, pro eiusdem expeditione fœlici: nihilominus apud prælibatum Dominum Sum. Pont. opportunis, & operatiuis intercessionibus insistendo. Ex his enim indubiè Deo placebitis, & beneplacitis nostris plenè satisfacietis, ac respondebitis, & quamplurimum habebimus ea grata. Si quæ de Regnis, & terris nostris vobis occurrerint placita, ea, quæsumus, fiducialiter requiratis. Dat. vt in proxima.*

Idem

Svb simili forma fuit scriptum verbis competenter mutatis, nonnullis Dominis Cardinalibus ipsius Domini Regis amicis specialibus.

Item fuit scriptum eisdem verbis, paucis mutatis, Reuerendo Patri Eximino Archiepiscopo Tarraconæ, nec non Venerando Guillelmo Episcopo Gerunden.

Præterea fuit scriptum Ioanni Luppi Archidiacono Calataiubij in Ecclesia Tirasonæ, procuratori memorati Regis in Curia Romana, vt eidem negotio incumberet.

Porro sub simili forma, qua scriptum est Regi Frederico Siciliæ, fuit etiam scriptum Illustri Sancio Regi Maioricarum, Comiti Rossilionis, & Ceritaniæ, ac Domino Montispessulani Consanguineo dicti Domini Regis Aragonum, dempta penultima clausula circa mittendum Nuntium ad Dominum Sum. Pont. pro negotio prælibato sub eisdem data, signatura, & referendata.


Denia:

Denique in Barchinona xvi. cal. Iulij anno M. CCCXVIII. sub eadem forma proxime dicta, fuit scriptum verbis competenter mutatis, Illustri Roberto Regi Hierusalem, & Siciliæ; præterquàm quod in locum penultimæ periodi fuit illi rogatum, quod si adeßet ipse tunc in Romana Curia, cum Domino Papa intēdere vellet pro expeditione negotij sæpè dicti.

Item sub simili forma, qua scriptum est Collegio Dominorum Cardinalium, mutatis mutandis, fuerunt expeditæ binæ literæ nobili, & prudenti viro Petro de Via militi Domini Papæ nepoti, & Petro Fabri eiusdem notario.

Has literas, vetustatisq; monumenta nuper nobis exhibuit Regium Archiuum Barcinonen.

OBSERVATIO.



Vlta nobis obseruatione digna in his Iacobi Regis literis notanda occurrebant, sed hæc in primis visa sunt maxima.

Primùm Regem hunc Catholicum dignam fide sua sententiam protulisse, dum affirmauit ex honore Sanctis exhibito, nedum cultum amplificari Dominicum, deuotionem augeri fidelium, & animarum saluti consuli, sed etiam inde bona temporalia prouenire, & ad bonum, & gloriam Regnorum cedere; quod ipsum Sanctus Leo Papa ad Martianum Imperatorem testatur bis verbis: Quem statum esse cupitis Religionis, eundem habeatis & Regni. [Leo. I. epistola 42. incip. Quamuis per Constantinopolitanos.]


Sicut è contra nouimus ob istarum rerum contemptum, aut neglectum, Religionem, aut Ecclesiasticam auctoritatem spretam, violatam, aut deminutam, Reges, & Regna interire, & viros Sanctos deficere, locoq; ipsorum adulatores, & quærentes, quæ sua sunt, licet sub specie pulchri, & sanctitatis obtrudi.

Alterum, rem adeò grauem, & sacrosanctam putari Sanctorum Canonizationem (sicut reuera est) vt Rex non quemlibet casu occurrentem, vel ex industria se offerentem, sed Religiosum virum literis, & auctoritate præstantem, & Hæreticæ prauitatis generalem Inquisitorem ad Curiam Pontificiam, vt causam ageret, destinasse.

Po-

Postremò Regem bis, tùm inliteris ad Summum Pontificem, tùm in his, quas scripsit ad Regem Siciliæ, asseruisse Raymundum Sacrarum Scripturarum dogmatibus mundum direxisse; quod & verum eße tot Sarracenorum, & Iudeorum catervæ ad fidem Christi conuersæ satis ostendunt, quas non potuisset verè conuertisse affirmari, nisi pure, sincereq; sacrarum Literarum, fideiq; Catholicæ, quam Romana profitetur Ecclesia, propositis, explicatisq; dogmatibus: Sed neq; aliter licuisset ipsius petere Canonizationem, aut eum Sanctorum catalogo adscribere: nam quos constat contrarium, aut diuersum aliquid docuisse, aut sensisse, quantalibet sanctitate pollere dicantur, nō consueuit Ecclesia Canonizare, nec tanquam Sanctos venerari, nisi egregia aliqua sanctitatis testificatione, aut martyrij susceptione, vitæ finem peregerint.

Arnaldus Burgueti Inquisitor, & Regis procurator specialis ad petendam Canonizationem, antequam iter arripiat, nouam curat fieri informationem super miraculis Beati Raymundi. Cap. XV.



Roperaturus Arnaldus ad Curiam omnia ad causam tractandam, & peragendam necessaria secum deferenda putauit; & vt processibus, & probationibus iam in Curia existentibus nouum robur adijceretur, nouam probationem fieri curauit. Quamobrem, septimo Calen. Aprilis an. M. CCCXVIII. juxtà computum Barcinonen. sed iuxtà commune an. M. CCCXVII. tanquàm Procurator à Capitulo generali sui Ordinis ad prosequendam Canonizationem Beati Raymundi specialiter deputatus, Raymundum de Vilalta Canonicum, & Pontij Episcopi Barcinonen. Vicarium generalem adeundo requisiuit, vt ad instructionem, informationem, & certitudinem in Curia Pontificia faciendam, examinari faceret testes producendos super miraculis, quæ precibus, & meritis Beati Raymundi fieri asserebantur. Itaq; Vicarius tunc petitione audita, cum testium receptionem Bartholomeo de Vilalta publico Notario Barcinonensi commisisset, illeque multorum

testium attestationes legitimè excepisset, xiij.insignia miracula fuere cõprobata, quæ nos suo ordine suprà lib. 2. à cap. 29. vsq; ad cap. 41. retulimus. Eum processum tunc Arnaldus secum ad Curiam detulit, in Curiaq; repertus tempore Gregorij XIII. magno præsidio fuit, vt Canonizatio instantius peti, & celebrari potuerit.

Hæc cùm ita reuera gesta fuerint, non possum consentire viro alioquin docto Magistro Michaeli Llot, qui in enarratione vitæ Beati Raymundi cap. xvj. §. qua epistola. scriptũ reliquit, Ioannem XXII. ob literas à Concilio Tarraconensi acceptas, Episcopo Barcinonensi formationem processus super nouis miraculis comprobandis commisisse, Arnaldumq; Burgueti propterea eum processum fieri curasse: Res enim ita se omnino habuit; quemadmodum à nobis hactenus est enarrata, cuius summa hæc est.

Prædicatores in Capitulo generali Pampilonæ celebrato de prosequenda Canonizatione decernentes, Regis fauorẽ implorarunt: Rex omne studium adhibendum censuit, vt tandem impetraretur, & propterea ad eam causam tractandam idoneum ministrum Fratrem Arnaldum à Capitulo generali iam designatũ, sua etiam auctoritate, & decreto constituit. Dum verò ista omnia in Cathalonia tractarentur, Frater Arnaldus nouam probationem super nouis miraculis corã legitimo Iudice Episcopo, scilicet Barcinonensi (cuius Diœcesanus Raymundus extiterat) fieri procurauit, eamq; secum ad Romanam Curiam detulit.

Sed neq; à Ioanne XXII. impetrari Canonizationem potuisse, demonstrauit euentus, cum vsq; ad hæc tempora fuerit dilata. Quod diuino planè consilio factum videtur, cum Romanus Pont. nostro Raymũdo omisso, ad S. Thomã de Aquino Canonizandũ (vt paulo ante dicebamus) animũ cõuerterit. Et licet mirũ tũc videri potuerit, cur Raymũdus, pro quo Canonizando tot Reges & Principes apud Romanum Pontificem ardenti studio intercedebant, non fuerit canonizatus, sed


ſed eo potius honore cumulatus Thomas extiterit, pro quo nec tot, nec tanti Magnates ſupplicabant: nos (humiliter tamen, vt decet de Diuina prouidentia ſentientes) ideò factum arbitramur, quia magis id Chriſtianæ Reipublicæ expediebat. Decuit enim eximium, & Angelicum hũc Doctorẽ hoc honore decorare, vt inſignis eius doctrina, hac etiam auctoritate munita, inſurgentibus prauis doctrinis, & hæreſibus firmius, fortiuſque reſiſteret, & vniuerſali Dei Eccleſiæ clarius prælucceret. Ioannes itaque xxij. proceſſu confecto, miraculiſque Beati viri comprobatis, Thomã Aquinatem egregium Sacræ Theologiæ Doctorem, nobilẽ quidem genere, ſed conuerſatione nobiliorem, & celebri fama clarum, & vitæ integritate clariſsimum, Auinione ſui Pontificatus anno ſeptimo ideſt Anno M. CCC.XXIIII. ſolemnis Canonizationis ritu conſecrauit.

Rex Aragoniæ Petrus eius nominis quartus denuo agit apud Clementem VI. pro Canonizatione Beati Raymundi. Cap. XVI.

OBIERAT Ioannes. XXII. Auinione anno M. CCCXXXIV. cui ſucceſsit Benedictus. XII. in cuius Pontificatu, in quo ſeptem annos, & amplius vixiſſe narratur, nihil de hac Canonizatione actum reperio: tẽpore tamen Clem. VI. qui anno. M. CCCXXXXII. Pontifex maximus eſt renũciatus, Petrus Aragonię Rex eius nominis quartus, qui poſt Iacobum II. & Alfonſium IIII. in Regno ſucceſſerat, de Canonizatione promouenda, & impetranda cogitaſſe, & egiſſe videtur. Is enim anno. M. CCC.XXXXIX. ad Clementem. VI. literas ſcripſit, quarum ex Regio Barcinonenſi Archiuo hoc eſt exemplum.

Sanctissimo ac Beatissimo in Christo Patri, & Domino Clementi Diuina prouidentia sacrosanctæ Romanæ, ac vniuersalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Petrus Dei gratia Rex Aragonum, Valentiæ, Maioricarum, Sardiniæ, & Corsicæ, Comesq; Barchinonæ, *Rossilionis, & Ceritaniæ, eius humilis filius ac deuotus Pedum osculator* Beatorum.

Meruit Sancta vita Beatæ mem. Fratris Raymundi de Peniafort Ordinis Prædicatorum, nostri siquidem naturalis, quem dùm viueret, Diuina clementia præseruauit à vitijs, & assuetius insigniuit virtutibus vniuersis, vt, sicut post præsentis vitæ certamen, in quo de hostibus spiritualibus triumphauit, palmæ victoriam est assecutus, sic attollatur vbique titulo donorum insigni, & decoretur priuilegio speciali. Cùm itaque, Pater Beatissime, prout multarum solemnium, & fidelium personarum fide digna relatione percepimus, dictus Frater Raymundus sic in terris munditiæ, al. nitore. *& sanctitatis splendore præfulserit, sicque se altissimo gratam & acceptabilem hostiam immolauerit, quo per illius excelsa merita, multa, & euidentia miracula operatus fuit dominãtium Dominus, & iugiter operatur idcirco Beatitudini vestræ supplicamus humiliter, & ex corde, quatenus cùm debitũ sit, & dignũ, vt humanis laudibus extollatur in terris, quẽ prouidentiæ Diuinæ sublimitas honorare voluit in excelsis, dignetur Sanctitas vestra præuio processu solito super talibus, ob inclita merita dicti Fratris, decorem, & famam laudabilem dicti Ordinis, & vt pro fidelibus populis, quorum erga eum augebitur amplius ex hoc feruens deuotio, sit apud altissimnm sedulus intercessor, prædictum Fratrem Raymundum adscribere Sanctorum Catalogo Confessorum. Hoc autem Pater Beatissime, pro dono reputabimus speciali. Almam personam vestram conseruare dignetur Altissimus ad sua Sancta seruitia per tempora prospera, & longæua. Datum Valentiæ duodecimo Calendas Augusti. Anno Domini Millesimo trecentesimo quadragesimo nono.*




OB-

OBSERVATIO.



TSI verisimile sit, tunc Consiliarios Barcinonenses, aliarumq; ciuitatum Regni Aragoniæ, & Cathaloniæ Magistratus ad Romanum Pontificem vna etiam cum Rege scripsisse pro Canonizatione impetrãda, et specialem etiã aliquem procuratorẽ fuisse constitutum, qui causam ageret; iniuria tamen temporum, quibus omnia obliterari solent, nihil eorum inuentum est hactenus. Qualis autem euentus fuerit, res ipsa demonstrauit, quia nulla vnquàm Canonizatio Beati viri fuit impetrata, aut à sancta Sede Apostolica celebrata.

Postquam Causam Canonizationis Beati Raymundi longo tempore intermissa fuisset, tandem Paulus Papa III. Prædicatoribus prouinciæ Aragoniæ indulsit, vt in suis Conuētibus officium Diuinum ad eius honorem celebrare possent. Cap. XVII.



A Clemente VI. vsq; ad Paulum Papam Tertium. XXIII. Romanæ Ecclesiæ, spatio 180. annorum, præfuere Pontifices, quorũ tẽpore, quid in causa canonizationis actum fuerit, incertum est. Quamquàm enim primo illo sæculo, paulò post obitũ Beati Raymundi, bella, & dissensiones inter Principes Christianos Canonizationem distulisse noscamus: toto tamen hoc tempore, quid eius remorandæ causa fuerit, ignoramus, nisi (quod certissimum est) id ad Dei prouidentiam sit referendum, qui occulto iudicio suo, nunquàm tamen iniusto, hos honores; cùm vult, & vt vult, Sanctis suis exhiberi decreuit. Post tot ergo annorum decursum, quibus iam Beati viri memoria in Vrbe quodammodo videbatur extincta, Frater Ioãnes de Toledo ex Ordine Prædicatorio Cardinalis, anno 1543. à Paulo Papa III. qui ex fide dignorum relatione probè intellexerat,

quanta Beatus Raymūdus & vitæ Sanctitate claruisset, & cōtinua miraculorum operatione coruscaret, viuæ vocis oraculum impetrauit, vt Fratribus Prædicatoribus prouinciæ Aragoniæ solemne de Beato viro officium recitare liceret, qua de re idem Cardinalis fidele testimonium exhibuit in hæc verba:

Nos Frater Ioannes à Toledo, miseratione diuina Tit. S. Sixti S.R.E. Præsbyter Cardinalis, Ecclesiæ Burgensis perpetuus administrator, &c. Dilectis nobis in Christo vniuersis & singulis Patribus, & Fratribus Prouinciæ Aragoniæ Ordinis Prædicatorum, salutem in Domino sempiternā. Hodie Sāctissimus in Christo Pater, & Dominus noster, Dominus Paulus diuina prouidentia Papa III. animaduertens, sicut ex fide dignorum relatione intellexit, Beatum Raymundum de Penafort, *prædicti vestri Ordinis quondam Generalem, cuius corpus in monasterio Prædicatorum Barchinonensi requiescit, quamplurimis clarere miraculis, ac propterea cupiens vestræ, & aliorum Christi fidelium deuotioni satisfacere, supplicationibus vestris inclinatus, vobis, vt die, quo emisit spiritum, singulis annis in Vestris Conuentibus, & Monasterijs, ac si esset Canonizatus, officium de eo etiam solemniter ad laudem omnipotentis Dei, & Vestri Ordinis decorem facere, & dicere possitis, per suæ viuæ vocis oraculū desuper factum Apostolica auctoritate indulsit. In cuius rei testimonium præsentes nostras attestationis literas per Secretarium nostrū fieri, & subscribi, nostrique sigilli appensione communiri mandauimus. Dat. Romæ apud* Pariomem *in ædibus nostræ solitæ residentiæ, sub Anno à Natiuitate Domini, Millesimo quingentesimo quadragesimo secundo, Die vero tertia Mensis Iunij,* Pontificatus, *præfati Domini nostri Papæ, Anno octauo. Ita attestamur, & fidem facimus.*

F. Ioannes Cardinalis Burgensis.


OB-

OBSERVATIO.

TAMETSI toto hoc tempore causa Canonizationis intermissa fuerit, nullo tamen tempore populorum erga Beatum virum friguit deuotio, nunquam concursus comprouincialium ad eius sepulchrum fuit interuptus, nunquam continuatio operationis miraculorum cessauit, nūquam fama sanctitatis extincta fuit, nunquam deniq; Fratres Prædicatores à Canonizatione procuranda destiterunt. Quapropter tot concurrentibus Sāctitatem protestantibus argumentis, prudenter Paulus Papa III. concessit, quod non solet alioquin Sedes Apostolica indulgere, istæ enim particulares concessiones verè species sunt Canonizationis, cum id per eas liceat in priuatis quibusdam Ecclesiis, aut prouinciis, quod per solemnem Canonizationē in toto orbe Christiano circa cultum Sanctorum præstare licet.


OBSERVATIO ALTERA.

SVPERIORIS Apostolicæ concessionis potestate, protinus Officium Diuinum in honorem Beati Raymundi institutum fuit: nam Frater Iacobus Ferrari eiusdem ordinis Prouinciæ Aragoniæ Magister, & Prior Prouincialis officium in festo Beati viri recitandum composuit, compositumq; Franciscus Romeus Castilionensis totius Ordinis Generalis Magister approbauit, & toti prouinciæ cantandum, & recitandum concessit die XX. Iulij anno M. D. LI.



Pio V. Pontifici Max. denuò à Consiliarijs Barcinonen. & à Principatus Cataloniæ Deputatis, offeruntur preces pro Canonizatione Beati Raymundi impetranda.

Cap. XVIII.



A Tempore Pauli Papæ III. vsq; ad Pium V. quatuor Sedem Petri rexere Pontifices, Iulius III. Marcellus II. Paulus IV. & Pius IV. quorum tempore nihil in hac causa reperitur actum. Sub Pontificatu tamen Pij Papæ V. res iterum tentata, & fortassis obtēta fuisset, nisi citius, quàm crederetur, misericors Deus virum sanctum ad superas Beatorum sedes euocasset. Consiliarij enim Barcinonenses, & Principatus Cataloniæ Deputati, quorum cura, & sollicitudo in hac causa promouenda sæpè fuit maxima, ad Pium V. anno M. D. LXX. supplices scripserunt literas, quibus humiliter precabantur, vt tandem ad desideratam Beati viri consecrationē peruenire dignaretur. Earum verò literarum hoc est exemplum.

Beatissime Pater. Maxima pietas, qua tota Barchinonen. Ciuitas prosequitur Beatum Raymundum de Penaforti olim Magistrum Generalem totius Ordinis Prædicatorum, qui innumeris penè claruit miraculis, vt refertur in libro de Viris Illustribus dicti Ordinis, & vt videre est in processu formato de sanctitate, & miraculis eius, cogit nos Consules, & Patres conscriptos dictæ Ciuitatis confugere ad tuam Beatitudinem, eãq; maxima humilitate obsecrare, vt quæ in minoribus eandem Religionem professa fuit, & quam Deus ad summum promouit Pontificatum, ipsomet festo Beati Raymundi dignetur, quem iam fœl. recor. Paulus Papa III. quodammodo Sanctorum Catalogo adscripsit, concedens facultatem Regnis Aragonum celebrandi festum eius, per consuetam Ecclesiæ solemnitatem Canonizare, ad maiorem omnipotentis Dei, & Sancti eius gloriam, & honorem; vt non modo Barchinonen. populi, sed etiam totius mundi

deuotis

deuotio erga tam præclarum Ecclesiæ Iubar indies augeatur, & specia-tim ad decorem totius Almi Ordinis Prædicatorum, à quo nostra hæc Ci-uitas iam inde à primo anno confirmationis eius, ingentia recepit beneficia, quotidieq; recipit. Et cum non mediocre obsequium existimet Barchino-nensis Ciuitas se præstitisse toti Ordini Prædicatorum pariendo, & nu-triendo ei tertium Magistrum Generalem, à quo tam præclare illustrata fuit; maxima cum fiducia ad tuæ Beatitudinis pedes prouoluta, eam obse-crat, vt quem ipsa genuit, quem Deus tam mirificis miraculis in vita pa-riter, & in morte illustrauit, tua Beatitudo dignetur, quo potest honore prosequi. Nisi enim tua Beatitudo id [illegible] fecerit, [illegible] amittimus tam pij, tamq; desiderati beneficium. Et hoc [illegible], necnon pro di-ligentia, qua intelligimus totum Ordinem Prædicatorum hoc ipsum apud tuam Sanctitatem efflagitasse, & procurasse, necnon iugiter procurare, animum nostrum impulerunt ad tam insigne postulandum beneficium, con-fisi de singularissima tua clementia, cui & nos, nostramq; Ciuitatē, quan-tum possumus, commendamus parati in omnibus, & per omnia Sanctissi-mis tuis parere mandatis. Quæ semper fœlicissimè valeat. Datum Bar-chinone, prima die mensis Aprilis anno à natiuitate Domini millesimo quingentesimo septuagesimo.

Humiles, ac deuoti Oratores Sanctitatis vestræ pedes osculantes.

Consiliarii Barchinone.

Deputatorum literæ, quæ eiusdem erant tenoris, consultò omittuntur.

Qua

Qua tandem ratione diuina prouidentia aditum patefecisse videatur, vt Canonizatio Beati Raymundi confidenter petita fuerit.

Cap. XIX.




DENIQVE apud quinq; Romanos Pontifices Gregorium XIII. Sixtum V. Vrbanum VII. Gregorium XIV. & Innocentium IX. qui post Pium V. vniuersali Ecclesiæ præfuerunt, de hac Canonizatione, nihil est actum, donec ad Sanctissimum Dominum nostrum Clementem Papam VIII. deuentum est, qui, cùm se Beatum hunc Canonizaturum aliquando significasset, si ex præscripto Sacrorum Canonum (quorum est obseruantissimus.) ad consecrationem deuenire posset, ideò super ea re adhibita est summa, quæ adhiberi potuit, diligentia.

Qua autem ratione pie credi possit, tādem placuisse Deo, vt tot sæculis intermissa, ac derelicta causa repeteretur, & retractaretur, casus, qui antè aliquot annos contigerat, demōstrabit. Gregorio XIII. Pontifice anno 1583. die 4. Octobris, Romæ in Conuentu Beatæ Mariæ supra Mineruam Ordinis Prædicatorum inter antiquas scripturas in veteri, & cariosa arca reconditas repertæ sunt illæ eædem originales literæ, quas Episcopi è Concilio Prouinciali Tarraconensi ad Nicolaum III. & Ioannem XXII. scripserant, simul cum processu Barcinonis facto, procurante Arnaldo Burgueti coram Vicario generali Episcopi Barcinonensis, hæc cùm iterum atque iterum perlegissem, ac deindè Paulus Constabilis eiusdem ordinis Magister generalis intellexisset, initoq; inter nos consilio, quid fieri oporteret, mutuòq; cōferremus, visum tandem fuit, paulò diligentius expendere, quanta fide, & probationis pondere instrumenta hæc munirentur,

cumq;


cumq; nouis alijs scripturis conquisitis, & monumentis antiquitatis inuestigatis constitisset, magna quidem auctoritate fulciri, & si ea, quæ desiderari videbantur, opportunè adderentur, non fuisse amplius dubitandum, quin omnia ad Canonizationem necessaria parata viderentur, censuimus cum aliquot primarijs viris Nationis præsertim Cathalanæ communicare: inprimis autem cum nobili viro N. Palau, qui tūc in Romana Curia Principatus Cataloniæ nomine causas aliquot graues apud Pontificem agebat, cuius industria harum rerum certiores redditi Barcinonenses, mox negotium libenter amplexi, id se peroptare, quod maiores eorum tantopere desiderauerant, non obscurè significauerunt, quod cùm pariter Philippo Regi eius nominis secundo, cui id Cōsules Barcinonenses per literas denunciauerant, vehementer placuisset, causa propterea inchoari denuo cępit.

Philippus Rex Catholicus eius nominis secundus ad Clementem Papam VIII. & ad aliquot S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & Ducem Sessæ suum in Romana Curia apud Pontificem Oratorem literas scribit super Canonizatione Beati Raymundi. Cap. XX.



Petiuerant à Rege Catholico Consiliarij Barcinonenses, vt fauorabiles literas scriberet ad Summum Pontificem, Cardinales, & Ducem Sessæ suum apud Sedem Apostolicam Oratorem; id vt erat pietatis opus, non egrè à Rege Catholico obtinere potuerunt, qui libentissimè ad eam rem literas dedit tenoris sequentis.

Literæ ad Summum Pontificem.



VY Sancto Padre. Escriuiendo al Duque de Sessa de mi consejo, i mi embaxador, que de mi parte diga à Vuestra Santidad lo que deel entenderà cerca dela Canonizacion, de Fray Raymundo de Peñafort dela Orden de Predicadores, cuyo cuerpo està en el monasterio de Santa Catelina dela ciudad de Barcelona, que es de la misma orden, En esta no aura mas que dezir, de suplicar humilmente à Vuestra Santidad que dandole entera fe, i creentia alo que de mi parte se dixere, tenga por bien de mandarlo mirar con la consideracion que Vuestra Beatitud acostumbra, i hazer en ello, loque entendiere, que conuiene alos meritos de tan aprouada Sanctidad, como la de este Religioso, que demas que esto resulta en honra, i gloria de nuestro Señor, i beneficio, i auctoridad dela dicha orden, i prouincia de Cataluña, recibire io muy singular gracia de Vuestra Beatitud, cuya muy Sancta persona Nuestro Señor guarde al prospero, i felice regimiento de su vniuersal Iglesia. De Madrid à xix. de Decembre año M. D. XCIV.

De Vuestra Santidad

Muy humilde, i deuoto Hijo, Don Philippe por la gracia de Dios Rey delas Españas, delas dos Sicilias, de Ierusalem, &c. que sus muy Sanctos pies, i manos besa.

Io el Rey.

Literæ ad Cardinalem Gesualdum sacri Collegij Decanum, & Congregationi sacrorum Rituum Præfectum.

MVY Reuerendo en Christo Padre Cardenal Gesualdo, nuestro muy caro, i muy amado amigo. Aunque escriuiendo à su Sanctidad sobre alo que toca ala Canonization de Fray Ramon de Peñafort Religioso dela Orden de Predicadores, cuio cuerpo està en el Monasterio de S. Catelina dela Ciudad de Barcelona, que es dela misma Orden; parece que podria escusar de encomendar os por lo que à vos toca el complimēto de ello: toda via por ver quan enderezada va la dicha Canonization a maior gloria del seruicio de nuestro Señor Dios, i augmento dela dicha Religion, i Prouincia, no e querido dexar de rogaros muy affectuosamente tengais la mano paraque dicha Canonization tenga deuido effecto, que en ello recibire de vos muy grata complacentia. I sea muy Reuerendo en Christo Padre Cardenal nuestro muy caro, i muy amado amigo, nuestro señor en vuestra continua guarda i protecion. De Madrid a xix. de Deciembre. Año M. D. XCIV.

Io el Rey.

Eisdem Verbis, nominibus solum mutatis, scriptæ sunt literæ ad alios Cardinales Paleottū, Alexandrinū, Dezam, Saluiatum, Lancellotum, Montelparum, Iustinianum, Parauicinum, Borromeum, Montaltum, Ascanium Columnam, Aldobrandinum, & quosdam alios.

Literæ ad Ducem Sessæ Regium apud Sedem Apostolicam Oratorem.




LLVSTRE Duque Primo nuestro del nuestro Consejo, i nuestro Embaxador. En la nuestra Ciudad de Barcelona en el Monasterio de Sancta Catelina dela Orden de Predicadores, esta el cuerpo de F. Ramon de Peñafort, Religioso dela dicha Orden, el qual esta tenido en muy grande veneracion, por su singular, i exemplar vida, i hauer hecho en ella, i despues de muerto muchos milagros, i hauiendo tratado años ha dicha Ciudad, i Cōuento de Canonizarle por Sācto, por comission particular delos Summos Pontifices, se ha recibido informacion de su vida como dizen que consta por el processo autentico, que sobre ello esta en essa Corte; i porque de nueuo quierem embiar personas, que instē dicha Canonization, os encargo i mando, que en virtud delas cartas de creencia, que con esta iran para su Sanctidad, i algunos Cardinales, hagais con el, i ellos, i los demas que conuenga, todas las diligencias, i esfuerço, que fuere necessario afin que conforme los meritos del processo dicha Canonizacion tenga effecto, que en ello recibire de vos muy accepto plazer, i seruicio. Dat. en Madrid a xix. de Deciembre. Año M. D. XC.IV.

Io el Rey.

OBESR-

OBSERVATIO.



Ciuitas Barcinonensis antiquæ pietatis, & deuotionis ergà Beatum Raymundum, quasi hæres ad Sanctissimum D. N. Clementem Papam VIII. anno mox sequenti: M. D. XCV. deprecatorias quoq; literas scripsit, quibus postquam commemorasset eiusdem Beati insignem Sanctitatem, continuationemq; miraculorum, tandem efflagitabat, vt eundem Sanctum Canonizationis bonore cumulare dignaretur.

Deputati etiam Principatus Cataloniæ tunc eiusdem argumenti literas scripserunt.

Rodulphus Imperator pro eadem Canonizatione intercedit. Cap. XXI.



RODVLPHI Imperatoris maxima pietas in hac etiam causa promouenda enituit, cũ pro eadem Canonizatione sæpè supplicauerit, & datis ad Romanum Pontificem literis, eam vrgere non destiterit. Reducebat sæpè hoc pietatis opus Cæsari in memoriã Don Guillelmus de Sant Clement Barcinonensis Philippi Regis apud eundem Cæsarẽ orator, vir nobili genere natus, prudentia insignis, pietate conspicuus, qui cum ardenti desiderio perficiendę Canonizationis teneretur, & in Beatũ Raymundum singulari voluntatis affectu duceretur, nullam rei benè gerendæ occasionem prætermittebat.

Raymundus de la Torre Comes Vallasinæ, & Romani Imperij comes, & Baro liber, Cæsaris apud Sedẽ Apostolicam orator, oblata occasione, Cæsaris nomine, pro eadem Canonizatione singulari pietate sæpe quoq; intercessit.

Sanctissimus D. N. Clemens Papa VIII. per speciale rescriptum committit Cardinalibus sacrorum Rituum, vt in causa Canonizationis Beati Raymundi procederent. Cap. XXII.



VM Sanctissimus D. N. Clemens Papa VIII. sæpè à Duce Sessæ Regis Catholici oratore interpellatus, vt in causa Canonizationis B. Raymũdi ad vlteriora procederet, cùm ab ipso Oratore, tùm ab aliquibus Cardinalibus statum causæ intellexisset, ac per seipsum etiam (vt solet) nonnulla acta diligenter videre voluisset, & quid superioribus sæculis à nonnullis Romanis Pontificibus prædecessoribus suis esset actum, probe nouisset, ac deniq; sæpè pro ea re oblatas Sedi Apostol. preces perspexisset, nec propterea iam amplius dubitasset, quin primo requisito ad Sanctos Canonizandos de quo paulo anteà diximus, abũdè fuisset satisfactum, Cardinalibus congregationis sacrorum Rituum per speciale rescriptum committendum censuit, vt in hac causa ad vlteriora procederent: eius rescripti verba ita habent.

Ad futuram rei memoriam. Quod supremæ Romani Pontificis auctoritati reseruatum est, vt in decernendis summis in militanti Ecclesia honoribus, illisque illustribus sanctitate viris tribuendis iudicium ferat; id vt prudenti, maturoq; consilio fiat, ac ea, qua decet, diligentia, diuina assistente gratia, debitæ etiam executioni demandetur, quantum cum Domino possumus, curare debeamus. Cum itaque Charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum Rex Catholicus, qui etiam Principatus Cathaloniæ Princeps existit, ac dilecti filij Deputati eiusdem Principatus, ac ciues Barcinonenses, necnon vniuersus Ordo Fratrum Prædicatorum, fama sanctitatis bo. mem. Raymundi de Peniafort olim Fratris, & tertij Magistri Generalis dicti Ordinis Prædicatorum Barchinone nati, ac miraculorum, quæ Deum omnipotentem per illius intercessionem operatum esse credunt,

ac


ac diuturno, singulariq; populorum illarum partium erga ipsum Raymundum deuotionis affectu ducti, atque ea quoque ratione commoti, quod, vt nobis exposuerunt, fæl. recor. Paulus Papa III. prædecessor noster de eo officium solemne, ac si Canonizatus esset, in Ecclesijs Monasteriorum, & Conuentuũ prædicti Ordinis Prædicatorum Prouinciæ Aragoniæ, Anniuersaria illius obitus die recitari, atque celebrari, quemadmodum hodie celebratur, indulsit, ipsumq;, quem in cælis æternitatis gloria perfrui piè existimant, in terris quoque Sanctorum Catalogo adscribi cupiant, & propterea apud nos tùm per literas, tùm per dilectum filium nobilem virum Antonium de Cardona Ducem Sessæ, Regium apud nos Oratorem, iteratis, humilibusq; supplicationibus insteterint, vt incœptam sub fæl. recor. Nicolao Tertio, Bonifacio Octauo, & Ioanne XXII. Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris Canonizationis eiusdem Fratris Raymundi causam reassumere, & ad finem perducere, ac ipsum Raymundum, si ita iudicaremus, Sanctorum catalogo adscribere dignaremur. Nos tam pijs Regis Catholici, cuius insignis in Sedem Apostolicam obedientia, & præclara extant in fidem Catholicam merita, ac celebris illius Ordinis, optimè etiam de fide Catholica meriti, necnon supradictorum populorum, qui nobis, & Apostolicæ Sedis sunt maximè deuoti, desiderijs, ac precibus benignè annuentes: considerantesque, quantum in huiusmodi negotio curam, & diligentiam adhiberi oporteat, quàm cautè, quàm maturè procedendum sit, vt clara, & perfecta fidei, excellentiæ vitæ, sanctitatis, & miraculorum eius Fratris Raymundi notitia haberi possit, rem ipsam venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationis sacrorum Rituum à fæl. recor. Sixto Papa V. etiam prædecessore nostro institutæ, quibus in causis Canonizationis Sanctorum procedendi specialis inter alias facultas ab eodem Sixto tributa fuit, demandandam duximus.

Motu igitur proprio, & ex certa scientia, maturaq; deliberatione nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine negotium Canonizationis dicti Raymundi in statu, & terminis, in quibus reperitur, reassumentes, Venerabilibus fratribus nostris Alfonso Episcopo Hostien. Gesualdo, Gabrieli Episcopo Sabinen. Paleotto, ac dilectis filijs nostris Alexandro Sanctæ Praxedis Florentin. Augustino Sancti Marci Veronen. & Francisco Mariæ in Aracæli de Monte, Titulorum Præsbyt[illegible] necnon Ascanio

ctum Petrum sub annulo Piscatoris die xxix. Nouemb. M. D. XCV. Pontificatus nostri, anno quarto.

De Consilio inito cum Duce Sessæ Regio Oratore super modo procedendi in eadem causa Canonizationis. Cap. XXIII.

HIS omnibus ita constitutis, antequàm Congregatio Cardinalium Sacrorũ Rituũ adiretur, illud primum in consultationem venit: An cum solis antiquis instrumentis in Curia repertis, videlicet cum literis ad Nicolaum tertium, Bonifacium VIII. & Ioannem XXII. & processu Barcinonis coram Vicario Episcopi anno M. CCC. XVII. vel M. CCC. XVIII. confecto Canonizatio peti, & celebrari posset, vel potius noua probationis præsidia quærere oporteret. Et quanuis qui desiderio negotium citius absoluendi tenebantur, cum solis antiquis instrumentis, & probationibus tractandam causam censerent, tandem ab omnibus in meam sententiam itum est, vt nouæ probationes parari deberẽt, ne fortassis aliqua difficultas in discursu causæ suborta, in alia sæcula Canonizationẽ sæpe petitam differre compelleret. Quamobrem Orator, & Magister Michael Llot à Ribera Ordinis Prædicatorum ab eodem Oratore procurator in causa constitutus, ita omnino agendum rati, à Cardinalibus sacrorum Rituũ Remissoriam, & Compulsoriam petendam censuerunt.



Cardinales Congregationis sacrorum Rituum simul cōuenientes, Remissoriam, et Compulsoriam ad testes examinādos, & instrumenta extrahenda concedendam decreuerunt. Cap. XXIV.



DIE V. Decembris anno M. D. XCV. in palatio Alfonsi Cardinalis Gesualdi prima Congregatio, seu Conuentus in hac causa est habitus, ad quem præter Gesualdum, Gabriel Paleottus, Augustinus Valerius dictus de Verona, Alexander Medices dictus de Florentia, Franciscus Maria de Monte nuncupatus, Ascanius Columna, Odoardus Farnesius, Antonius Fachinetus Sanctorum quatuor nuncupatus, Cardinales conuenientes Remissoriam, & Compulsoriam super negotio Canonizationis concedendam decreuerunt, ad eamque debitæ executioni demandandam, Ioannem Teres Archiepiscopum Tarraconensem, & Ioannem Dimas Lloris, & Petrum Iayme Barcinonen. ac Vicen. Episcopos Iudices delegatos per suas literas tenoris sequentis constituerunt.

Alphonsus Episcopus Hostiensis Gesualdus, Gabriel Episcopus Sabinen. Paleottus, Augustinus Sancti Marci Veronen. Alexander Sanctæ Praxedis Florent. Franciscus Maria Sanctæ Mariæ Aracœli de Monte Titulorum Præsbyteri, Ascanius Sanctæ Mariæ in Cosmedin Columna, Odoardus Sancti Eustathij Farnesius, necnon Antonius SS. Quatuor Coronatorum Diaconi S. R. E. Cardinales super Cauonizationibus Sanctorum ritè, & rectè faciendis per fœl. recor. Sixtum Papam V. generaliter tanquam Congregationi sacrorum Rituum Præfecti, ac nuper etiam per Sanctissimum Dominum Nostrum Clementem diuina prouidentia Papam Octauum super Canonizatione bo. mem. Raymundi de Peniafort Barchinonen. professi Ordinis Prædicatorum specialiter deputati, prout in literis

in

in forma Breuis desuper emanatis, tenoris infrascripti, videlicet.

Clemens Papæ *Octauus.*

[Hic inserebatur motus proprius, siue speciale rescriptum Clemen. Papæ VIII. relatum supra cap. xxij.]

Reuerendis in Christo Patribus Tarraconen. Archiepiscopo, & Barchinonen. ac Vicen Episcopis salutem in Domino sempiternam. Nouerint VV. fuisse nuper pro parte Serenissimi Domini Philippi Hispaniarũ Regis Catholici, nec non Deputatorum Principatus Cathaloniæ, ac antiquæ, & Illustris Ciuitatis Barchinonen. apud eundem Sanctissimum Dominum Nostrum enixè, & deuotè instatum, vt ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei, ac Catholicæ fidei exaltationẽ, Canonizationis eiusdem Fratris Raymundi de Peniafort negotium iamdiu cæptum, & propter varia impedimenta ad hæc vsque tempora dilatum, tandem ad optatum finẽ perduceretur; Ac deinde Religiosum Virum Fratrem Michaelem Lothum Sacræ Theologiæ Doctorem, eiusdem Ordinis Prædicatorũ, *tanquã prædicti Catholici Regis, totiusque Religionis Sancti Dominici procuratorem, necnon vice, & nomine prædictorum* Principatus *Cathaloniæ Deputatorum, ac Ciuitatis, & hominum Barchinonæ, coram nobis comparuisse, & ad iura iuribus, ac probationes probationibus addendum (licet ex iam habitis, & factis ad prædicti Fratris Raymundi Canonizationem fortassis deueniri posse existimaret) nonnullas positiones, & articulos, seu materias articulatas coram nobis produxisse, citato prius de mandato nostro, pro die, & hora infrascriptis, Magnifico viro Domino Ioanne Iacobo Nerotto Sanctitatis suæ, & Reuerendæ Cameræ Apostolicæ Generali Procuratore Fiscali ad dicendum contra prædictas positiones, & articulos, si quid d[…]ere, seu excipere vellet, necnon ad videndum, & audiendum prædictas positiones, & articulos extra Romanam Curiam, & ad partes ad probandum admitti, remissoriamq; desuper decerni, & concedi, necnon ad concordandum de Iudice, seu Iudicibus, coram quibus, ac loco, loci, in quibus executio dictæ remissoriæ facienda esset, quibus die, & hora aduenientibus, coram nobis supraseriptum Religiosum virum Fratrem Michaelem Lothum Procuratorem, & nominibus, ac vice, vt supra po-*

sitiones, & articulos prædictos extrà Romanam Curiam; & ad partes ad probandum admitti, Remissoriamq; per nos desuper decerni, & concedi, cum Iudicum, & locorũ deputatione à nobis petijsse, et debita cum instantia postulasse. Quapropter Nos Alphonsus, & Gabriel Episcopi, Alexander, Augustinus, & Franciscus Maria Præsbyteri, Ascanius, Odoardus, & Antonius Diaconi Cardinales præfati, attendentes requisitionem huiusmodi fore iustã, & rationi consonã, non obstantib. ex aduerso deductis per prædictum Magnificũ D. Ioannẽ Iacobum Procuratorem Fiscalem, articulos, & positiones prædictas ad probandum extrà Romanam Curiam, & ad partes admittendum duximus, & admisimus, literasq; remissorias desuper decernendum decreuimus. Idcirco Vobis Reuerendis Patribus Tarraconen. Archiepiscopo, & Barcbinonen. ac Vicen. Episcopis prædictis à nobis auctoritate prædicta ad specialem inquisitionem, & probationem faciendam in hac causa specialiter deputatis, de quorum fidei sinceritate, religionis zelo, ac perpensa, & debita erga hanc Sanctam Sedem obedientia, plurimum in Domino confidimus, auctoritate Apostolica, qua fungimur in hac parte, per præsentes committimus, & mandamus, quatenus vos, vel duo saltem ex vobis, per vos ipsos, vice nostra omnes, & singulos testes, literas, scripturas, instrumenta, monumenta, & alia quæuis probationum genera, quæ coram vobis, seu duobus vestrum, vt supra præsentari, & produci contigerit, de, & super interrogatorijs per prædictum Dominum Procuratorem Fiscalem datis, & positionibus, & articulis per dictum Fratrem Michaelem Lothum exhibitis, & productis, quæ, & quos sub sigillo prædicti Alphonsi Episcopi Hostien. inclusa, & inclusos, vobis transmittimus, in Ciuitatibus Tarraconen. Barcbinonen. & Vicen. ac in alijs Oppidis etiam totius Prouinciæ Tarraconen. & in locis per vos in eisdem Ciuitatibus, & Oppidis deputandis pro Tribunali sedentes admittatis, & ab ipsis testibus iuramentum de veritate dicenda super his, super quibus examinabuntur, in manibus vestris recipiatis, eosq; super dictis interrogatorijs, & articulis, per vos, siue duos ex vobis coram fideli Notario à vobis, seu duobus vestrum deputando diligenter examinetis, ipsorumque testium attestationes, dicta, depositiones, necnon literas, scripturas, instrumenta, monumanta, & iura quæcunq; coram vobis, aut vestrum duobus exhibita fideliter transcribi faciatis, & clausa, vestrisq; sigillis munita, per

fidelem

fidelem Nuntium quantò citiùs ad nos transmittere curetis; significantes nobis quam, & quantam fidem testibus desuper examinandis, iuribus, scripturis, & monumentis prædictis exhibendis præstandam esse duxeritis: sepulchrum, in quo corpus prædicti Raymundi reconditum asseruari dicitur, visitetis, aperiatis, & cum omnibus, & singulis circunstantijs describatis, seu describi faciatis: Vt demum prædictis omnibus per vos transmissis Sanctitati suæ a nobis oblatis, Apostolicam suam benedictionem, ac æternæ retributionis præmium consequi valeatis. In quorum omnium fidem, & testimonium præsentes manibus nostris, & infrascripti Prothonotarij Apostolici subscriptas expediri, & sigilli prædicti Alphonsi Episcopi Hostien. antiquioris Cardinalis, iussimus, & fecimus appensione communiri. Dat. Romæ in ædibus eiusdē Alphonsi Episcopi Hostien. in quibus pro negotio huiusmodi cōgregati fuimus. Anno Domini M. D. XCV. die vero quinta mensis Decembris, Pontificatus prælibati Sanctissimi Domini Nostri Clementis Papæ Octaui Anno quarto.

Alphonsus Episcopus Hostien. Card. Gesualdus Commissarius.
Gabriel Episcopus Sabinen. Card. Paleottus Commissarius.
Alexand. Card. T.S. Praxedis vocatus Floren.
Augustinus Card. T.S. Marci nuncupatus Veronen.
Franc. Maria T.S. Mariæ in Araceli à Monte nuncupatus.
Ascanius Card. Columna.
Odoardus S. Eustachij Diac. Card. Farnesius.
Antonius Cardinalis SS. Quatuor Coronatorum.


OBSERVATIO.

REMISSORIAM, siue literas Remissoriales Romana Curia vocat eas, per quas Iudices Causarum alijs Iudicibus locorum, vbi probationes ad causam instruendam parari possunt, potestatem euocandi, recipiendique testes aliasque probationum species tribuunt: quod commoditatis, & plerunque necessitatis causa legitimo Iure introductum est, cùm valde dispendiosum, & plerunque impossibile foret, testes è remotis prouincijs ad Iudicij locum euocare; id cùm in cæteris causis obseruari soleat, in causis etiam Canonizationis Sanctorum specialiter etiam permissum

missum est. (cap. venerabili. de testib.)

Compulsoriam, sine Compulsoriales literas eadem Curia vocat, per quas Iudicibus delegatis fit facultas quoslibet compellendi, vt quascunque scripturas, & instrumenta ad causam de qua agitur, pertinentia, exhibeant, & producant: literæ verò huiusmodi tam Remissoriæ, quàm Compulsoriæ simul vno eodemq; Instrumento concedi, & contineri solent.

OBSERVATIO ALTERA.



VANVIS cum iudicibus delegatis hæc examinandi testes & instrumenta extrahendi fit facultas, illi, quæ consequenter ad eos actus exercendos sunt necessaria præstare possint, in causis Canonizationis Sanctorum, antè aliquot annos obseruari vidi, vt simul cum instrumento Remissoriæ interrogatoria quæ singulis testibus initio examinis proponenda sunt & articuli, super quibus examinandi sunt, inclusa transmittantur: qua in re à magno labore Iudices Remissoriales liberatur. Nam nisi articuli omnes Sancti Canonizandi primarias actiones, & insigniora quædam miracula continentes iam diligenter perpensi, & concinnati transmitterentur, Iudicibus delegatis eorum conficiendorum, ordinandorumque cura incumberet.

OBSERVATIO TERTIA.




NTE aliquot annos in processibus quibusdam faciendis in causis Canonizationis Sanctorum, ad istos actus Iudiciales Cameræ Apostolicæ Procurator Fiscalis Generalis citatus est, qui etiam sedum specialem substituit in partibus constituit citandum in Remissoria exequendis quod & in hac causa, voluntariè tamen magis quàm necessario factum fuisse ideo affirmamus: quoniam olim in Canonizationibus Sanctorum non erat ista praxis solita, neq; ex Canonum quidem præscripto seruada. Nam cum hoc totum Canonizationis negotium sit ex officio Iudicis Ecclesiastici, vt Aegidius Bellamera, Iacobus Castellanus, & Franciscus de Pauinis prudenter admonuerũt, nec Fiscalē adhibere oportet, nec gesta sine ipso sunt inualida, vt latius in Relatione super Canonizatione Sācti Hyacinthi, et Sācti Raymundi Auditores Rotæ deputati censuimus. (Aegidius Bellamera decisione 671. incip. extra Rotã, & duabus sequen. Iacobus Castellanus tract. de Canonizat. Sanctor.

Ector.quæst.7.verſ.4.quia in Canonizatione Sanctorum. & Franciſcus de Pauinis nobilis quondam Rotæ Auditor,in relatione Canonizationis Sancti Bonauenturæ.par.2.art.x.]

Iudices Remiſſoriales accepta Remiſſoriam executioni demandantes, legitimos proceſſus conficiunt, confectoſque ad Cardinales ſacrorum Rituũ vna cum literis tranſmittũt.

Cap. XXV.



VT cauſa fœlicem, optatumque tot ſæculis effectum conſequeretur, eam agentes omnia rite,& diligenter peragenda rati,per fidelem Nuncium inſtrumẽtum Remiſſoriæ Barcinonem traſmittendum curarunt. Detulit enim illud, moleſta hieme perurgente Frater Bertrandus Leonardus Ordinis Prædicatorum Conuerſus, qui magno zelo ſemper & feruenti in Beatum Raymundum amore ductus,nullum prætermittebat officium, ut tandem Sedis Apoſtolicæ auctoritate Canonizaretur.Initio itaq; anni. M. D. X C V I. Barcinonem peruenit,& Epiſcopi Iudices ſumma diligentia,& magnis ſumptibus Barcinonẽ properantes,ad præſcriptum literarum Remiſſorialium,centum ferè teſtes integros,& fide dignos(in quibus aliquot Epiſcopi,& Magnates,& Abbates,& nobiles, & inſignes Theologiæ, & Legum Doctores) examinari curarunt: mox ad extrahendas antiquas ſcripturas, inſtrumentaq; conuerſi,peruetuſta Archiua,Regium ſcilicet Barcinonenſe(vbi multa venerãdæ vetuſtatis monumenta ſeruantur) & Conuentus Sanctæ Catherinæ Barcinonenſis,& Gerundenſis perluſtrauere, in quibus potiſſimùm locis tàm fideles codices, & ſcripturæ antiquæ ad hanc cauſam pertinentes repertæ ſunt,vt nullum iam maius Sanctitatis Beati Viri teſtimonium aliundè expectari,aut maiora,clarioraue miracula probari poſſe viderentur. Per exquiſitã itaq; Epiſcoporum Iudicum diligentiam,

&

& Notariorum Barcinonēſium peritiam, & induſtriam, quos Petrus Alos Barcinonenſis Regius procurator ſemper vrgebat, duo proceſſus, Remiſſorialis vnus, quo atteſtationes teſtium continebantur, alter Compulſorialis, in quo exempla antiquorum inſtrumentorum fideliter referebantur, legitimè fuere confecti, quos clauſos, & ſubſcriptionibus Notariorum, & Iudicum quoque ſigillis munitos, & roboratos, iidem Epiſcopi Iudices per eundem Fratrem Bertrandum Leonardum, eodem anno, ad Cardinales Congregationis ſacrorum Rituum tranſmiſerūt: Epiſcopi verò quàm humiliter obediuerint, quomodo in cauſa proceſſerint, & quàm diligenter omnia præſtiterint, literis ſuis ad eoſdem Cardinales datis, diligenter recenſuerunt. Earum verò literarum hoc eſt exemplum.

Illuſtriſſimis, & Reuerendiſſimis DD. DD. Alphonſo Epiſcopo Hoſtienſi Geſualdo, Gabrieli Epiſcopo Sabinen. Paleotto, Alexandro Sanctæ Praxedis Florentino, Auguſtino Sancti Mariæ Veronenſi, Franciſco Mariæ Sanctæ Mariæ in Ara cœli de Mōte, Titulorum Præsbyteris, Aſcanio Sanctæ Mariæ in Coſmedin Columnæ, Odoardo Sancti Euſtachij Farneſio; necnon Antonio Sanctorum Quatuor Coronatorum Diaconis S. R. E. Cardinalibus ſuper Canonizationibus Sanctorum ritè, & rectè faciendis per fæl. recor. Sixtum Papam V. generaliter tanquam Congregationi ſacrorum Rituum Præfectis, ac nuper etiam per Sanctiſſimum D. N. Clementem diuina prouidentia Papam Octauum ſuper Canonizatione bonæ memoriæ Raymundi de Peniafort Barcinonæ profeſſi Ordinis Prædicatorum ſpecialiter deputatis, Ioannes Teres Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Tarraconen. Archiepiſcopus, Ioannes Dimas Loris Barcinonen. & Petrus Iayme Vicen. Epiſcopi ſalutem in Domino, & præſentibus fidem indubiam adhibere cum debita mandatorum Apoſtolicorum obedientia. Nouerint Illuſtriſſimæ, & Reuerendiſſimæ DD. Veſtræ, quòd præſentatis nobis per Reuerendiſſimum Patrem Fratrem Hippolytum Mariam Beccaria de Monte Regali Magiſtrum Generalem totius Ordinis Sancti Dominici Prædicatorum nomine ſuo, ac vice, & nomine dictæ Religionis, & aliorum

ſibi

sibi adhærentium, & adhærere volentium litteris Remissorijs per Religiosum Virum Fratrem Michaelem Llotum S. T. D. eiusdem Ordinis Prædicatorum tanquàm Serenissimi Domini Philippi Hispaniarum Regis nostri Catholici, et Hominum Barcinonæ procuratorem impetratis, & per Illustrissimas, & Reuerendissimas DD. Vestras ad partes legitimè decretis, & prouisis in causa, & causis, Dominationibus Vestris à Sede Apostolica delegatis, & commissis, & coràm Dominationibus Vestris, vertentibus inter dictum Religiosum Virum Michaelē Llotum nominibus prædictis principalem ex vna, & Magnificū Virum Dominum Iacobum Nerottū Sanctitatis Suæ, & Reuerendæ Cameræ Apostolicæ generalem procuratorem Fiscalem aduersarium partibus ex altera, de, & super Canonizatione præfati bonæ memoriæ Raymundi de Peniafort, rebusque alijs in actis causæ, & causarum huiusmodi latiùs deductis, & specificatis, datis Romæ in ædibus eiusdem Illustrissimi, & Reuerendissimi Alphonsi Episcopi Hostien. Cardinalis dictæ Congregationis anno Domini 1595. die verò quinta mensis Decēb. Pontificatus prælibati Sanctiss. D. N. Clemētis Papæ Octaui anno quarto, manibusque & subscriptionibus Dominationum Vestrarum, vt apparebat, subsignatis, ac manu Reuerendissimi Viri Anselmi Dandini huius causæ Protonotarij Apostolici subscriptis, sigillique eiusdem Illustrissimi D. D. Alphonsi Episcopi Hostiensis intus quandam capsulam lautoneam rotundam cera rubea impressi cum cordulis sericeis rubei coloris munitam impendentibus, ac cum quodam rotulo pergameno in eisdem appenso, & alligato, sanis si quidem, & integris, non vitiatis, non cancellatis, nec in aliqua earum parte suspectis, sed omni prorsus vitio, & suspicione carentibus, vt earum prima facie apparebat, & per nos illis, quibus decet, reuerentia, & bonore Sanctæ Sedis Apostolicæ, & vestrarum Illustrissimarum, & Reuerendissimarum DD. receptis, in loco loci executionis dictæ Remissoriæ; & per nos deputato à manu fidelis portitoris, & debito priùs per nos ab eodem exacto, & recepto iureiurando, nos volentes DD. VV. & Sāctæ Sedis Apostolicæ obedire mādatis, tanquā obedientiæ filij, onere executionis prædictæ Remissoriæ per nos reuerenter assumpto, ad ipsarum DD. Vestrarum literarum executionem, omnesq; & singulos actus, & terminos in dicto commissionis negocio necessarios, & opportu-

nos, ac seruari solitos successiuè, sicut expedire, rationiq; consonum nobis visum fuit, ritè, & legitimè procedendum duximus, & processimus, ac fecimus, & seruauimus, procediq;ue, & fieri, ac seruari mandauimus, ac factum, actum, processum, & seruatum fuit, prout, & quemadmodum in processu, & actis, atq; dictis, & depositionibus testium pro parte prædictæ Religionis, ac Fisci Regij Procuratoris, & aliorum adhærentium principalium in dicto Remissionis negocio productorum, receptorum, & admissorum, & in forma iuris in manibus nostris iuratorum, & per nos fideliter, & legitimè interrogatorum, & examinatorum coràm fidelibus Notarijs infrascriptis, per nos ad id nominatis, & deputatis super interrogatorijs, pro parte dicti D. Procuratoris Fiscalis Suæ Sanctitatis, & Reuerendæ Cameræ Apostolicæ oblatis, & articulis, seu positionibus pro parte dicti Religiosi Fratris Michaelis Lloti nominibus prædictis productis, & in rotulo Remissoriæ inclusis, & transmissis nobis per dictum Reuerendissimum Patrem Generalem, vt præfertur, exhibitis, & præsentatis, sigillatim pleniùs, & latiùs continetur, & ipsorum testium dicta, & attestationes in scriptis fideliter per dictos, & infrascriptos Notarios, & scribas assumptos redigi fecimus, & mandauimus.

Sepulchrum insuper, in quo corpus præfati bonæ memoriæ Fratris Raymundi de Peniafort reconditum asseruari dicitur, visitauimus, & aperuimus, & ossa cadaueris dicti Fratris Raymundi de Peniafort intus dictum sepulchrum recondita existentia vidimus, tenuimus, & palpauimus, & dicta ossa, & alia in dicto sepulchro, & Altari prædictæ Capellæ singulariter, & distinctè, cum omnibus, & singulis circunstantijs eorundem describi, & continuari fecimus, & mandauimus in actis processus, executionis dictæ Remissoriæ. Quorum quidem testium dicta, & attestationes, seu eorum copiam authenticam, vnà cum dictis interrogatorijs, & articulis, visitationeq;, & apertione dicti sepulchri, & alijs actibus inde, ante, & post receptionem, & examinationem, visitationem, & apertionem factis, & coràm nobis subsequutis collationari, claudi, & sigillari, & portitori tradi, et consignari, et coràm Illustrissimis, et Reuerendissimis Dominationibus Vestris exhiberi, et repræsentari, quàm citiùs fieri possit, iussimus, et mandauimus, ipsamq; copiam clausam, et per discretos viros Franciscũ


Pedral-

Pedralbes, Paulum Calopa, & Ioannem Teres Notarios publicos Barcinonæ infrascriptos, et scribas iuratos per nos in huiusmodi negocio assumptos, et in illius executione simul interessentes, et interuenientes, attenta ipsius negocij tàm ardui qualitate subscriptam, et eorum proprijs signis subsignatam, necnon proprijs manibus, & sigillis nostris firmatã, sigillatam, et munitam, per Religiosum Fratrem Leonardum Bertran Conuentualem Cænobij Diuæ Catherinæ eiusdem Ordinis Prædicatorum, præsentis Ciuitatis fidelem, et legalem portitorem, seu Nuncium per nos ad hæc deputatum, et in manibus nostris iuratum, transmisimus præsentandam; significantes Illustrißimis, & Reuerendissimis Dominationibus Vestris, quòd prælibati Franciscus Pedralbes, Paulus Calopa, & Ioannes Teres sunt Notarij publici Barcinonæ, auctoritatibus Apostolica, atque Regia creati, fideles, & legales, & in arte Tabellionatus experti, & periti, & demum tales, quòd eorum scripturis, actis, & instrumentis in iudicio, & extra plena, & indubitata ab omnibus adhibetur, & adhiberi solet fides, taliaque, vel similia, vt in dicta copia authentica patent, signa soliti sunt, & quilibet eorum solet in claudendis publicis instrumentis facere, & depingere signum; nec non & quòd omnes testes, qui in huiusmodi negocio deposuerunt, & testimonium perhibuerunt veritatis, sunt nempè ex viris multi eorum omni exceptione maiores, & cæteri vtriusq; sexus homines bonæ vitæ, famæ, & conuersationis honestæ, ac exemplares, demùm tales, quòd eorum dictis, & attestationibus in iudicio, & extrà plenaria ab omnibus venit fides adhibenda, absq; omni cõtradictione, in quantũ humana fragilitas noße sciuit. Quæ omnia, & singula Illustrissimus, & Reuerendissimis Dominationibus Vestris, omnibusque alijs, quorum intersit, aut intererit, seu intereße poterit quomodolibet in futurum, certificamus, & ad Vestrarum Dominationum notitiam deducimus, & deduci volumus per præsentes. In quorum omnium, & singulorum fidem, & testimonium præmissorum præsentes certificatorias litteras, siue præsens publicum instrumentum exinde fieri, & per dictos Notarios, & scribas publicos infrascriptos subscribi, publicari, & expediri mandauimus, sigillorumque nostrorum, & cuiuslibet nostrum iussimus, & fecimus impressione communiri. Datum, & actũ Barcinonæ in Aula Domus Præceptoriæ Sancti Ioannis Hierosolymitani pro loco loci executionis dictæ Remißoriæ deputato; Die Mercurij se-

ptima mensis Septemb. anno à Natiuitate Domini Millesimo, quingentesimo nonagesimo sexto.


Locus † † sigillorum {
Ioannes Archiepiscopus Tarraconen. Commissarius Apostolicus.
Ioannes Episcopus Barcinonæ Commissarius Apostolicus prædictus.
Petrus Episcopus Vicen. Commissarius Apostolicus prædictus.
}

OBSERVATIO.



VM per facultatem Episcopis Iudicibus Remissorialibus datam, eis sepulchrum, in quo Beati Raymũdi corpus reconditum tot sæculis asseruabatur, visitare, & aperire liceret, illi id magna deuotione, & solemnitate præstiterũt. Quot autem, & qualia mirabilia tunc Deus ad Beati viri Sanctitatem ostendendam, dignatus fuerit operari, superiori libro competentibus locis demonstrauimus.

Processus iussu Sanctissimi D. N. Clementis Papæ VIII. in Congregatione sacrorum Rituum rite aperiuntur. Cap. XXVI.



ROCESSIBVS mense Nouembris 1596. ad Curiam delatis, Dux Sessæ Orator Regius Sanctissimo Domino nostro Regis nomine supplicauit, vt Cardinalibus Congregationis sacrorum Rituum ordinaret, vt processus aperirent, eosdemque Sanctitas sua per speciale rescriptum de more in his causis seruari solito, aliquibus Sacri Palatij Auditoribus inspiciendos consignari iuberet, vt tandem in causa iuxta sacrorum Canonum Sãctiones posset ad vlteriora procedi. Et quanquam Sanctissimus tunc libellum supplicem sibi ab Oratore porrectum, ad Innicum Cardinalem

dinalem ab Aragonia transmittendum curauerit, & die xiij. Decemb. eiusdem anni 1596. Dux Sessæ Orator, Magister Lothus, & ego eundem Cardinalem conuenientes, eidemq; quædam commemorantes, quæ in processibus aperiendis seruari oporteret, pro eadem apertione instabamus; id tamen propter assiduas Cardinalis impedimenta, maxime ab assiduis morbis prouenientia, & quia Notarius etiam, qui Episcoporum literas scripserat, quædam necessaria verba, videlicet, *& Sedis Apostolicæ gratia*, per imprudentiam omiserat, is actus vsque ad initium sequentis anni dilatus est.

Die itaque xi. Ianuar. M. D. X C V I I. in palatio eiusdem Cardinalis ab Aragonia, qui tunc Cõgregationi sacrorum Rituum ob absentiam Cardinalis Gesualdi præerat, conuentus est habitus, quo Augustinus Valerius Veronen. Franciscus Maria de Monte, Antonius Sanctorum Quatuor, Cæsar Baronius, & Andreas Perettus Cardinales conuenientes processum adhibitis duobus testibus, qui sigilla recognouerunt, aperiri iusserunt.

In eadem Congregatione antiquæ literæ originales olim ad Nicolaum tertium, Bonifacium VIII. & Ioannem X X I I. scriptæ, productæ fuerunt, simul cum antiquo processu, anno M. C C C. X V I I. Barcinonis confecto, qui antè aliquot annos, vt suprà dictum est, Romæ in Conuentu Beatæ Mariæ supra Mineruam Ordinis Prædicatorum, repertus fuerat.

De his omnibus R. P. D. Anselmus Dandinus Protonotarius Apostolicus, & in causis Canonizationis Secretarius, rogatus instrumentum recepit, penes quem processus, & instrumenta authentica deposita fuere, atque inde exempla confecta, vt Rotæ Auditoribus à Sanctissimo deputandis, traderentur.

San-

Sanctissimus D. N. causam super Canonizatione Beati Raymundi tribus Rotæ Auditoribus examinandam commisit. Cap. XXVII.

Hoc libro 3. cap. 1.

OMnia, quæ Sacri Ritus S. Romanæ Ecclesiæ in Canonizationibus Sanctorum obseruari iubent, in hac causa fuisse obseruata, series ipsa rei gestæ euidẽter ostendit. Et paulò anteà indicauimus spectandas esse multiplices multorum preces, & testificationes, antequã Romani Pontifices ad Canonizationem deueniant, quas hic abunde interuenisse notum est.

Rursus iubetur non aliter inquisitionem decernendam, quàm si fama Sanctitatis percrebuerit, quã similiter in hac causa percrebuisse ex certa multorũ testificatione cõstabat.

Rursus præcipitur, vt si Episcopi, aut viri illi prudẽtes, quibus negotium commissum est, talia rescripserint, ac denuntiauerint, quæ veritate munita videantur; Pontifex ad vlteriora procedat; ea in hac causa cumulatè præstita docuerunt antiqui, recentesque processus, in quibus & in genere, & in specie probationes super Sãctitate vitæ, & miraculorum operatione Beati Raymundi continebantur. Quamobrem quinto iam requisito ad Canonizationem necessario videbatur iure optimo factus locus, de quo ita loquitur sacer Ritus. *Quibus receptis [id est, depositionibus testium, & alijs ad Curiam transmissis] Pontifex committat illa examinanda aliquibus Auditoribus Sacri Palatij, qui videant, & ordinent processum: & videant si inquisitio, & probatio est legitima, & sufficienter facta.* Hęc ibi [*lib. 1. Sacrar. Ceremoniar. sect. 6. cap. 1. S. & debent. vers. quibus receptis*] Hæc ergo S. D. N. prudenter intuitus, eodem Duce Sessæ oratore Regio postulante, tribus Rotæ Auditoribus Seraphino Oliuario Razzalio Rotæ Decano, Petro Frãcisco Gypsio, & mihi Frãcisco Peniæ per speciale rescriptum, tenoris sequentis, causam videndam, discutiendamq; commisit.

Barchi-

Barchinonen.



BEATISSIME PATER. Dudum à diuersis Romanis Pontificibus S. V. Prædecessoribus, ac clar.me. Regibus Aragonum, & Patribus in Concilio Tarraconen. congregatis, Ciuibusq; & Deputatis Ciuitatis Barchinonen. Consulibus, ac Conuentibus Ordinis Prædicatorum Regni Aragonum, & quamplurimis Christi fidelibus sæpe sæpius, ac enixe omni, qua decuit humilitate, & reuerentia, omniq; conatu postulata fuit Canonizatio B Raymundi de Peniafort Barchinonen Fratris Professi ex nobili familia orti, qui propter multiplicium virtutum dona, quibus illum ab ineunte ætate speciali quodam priuilegio decorauit Altissimus, suis præluxit maioribus, ac dum in humanis esset, admirabili quadam vita, & Sanctitate mirum in modum præcelluit, quiq; mundi oblectamentis, & dignitatibus spretis Ordinem ipsum recenter tunc in illis partibus institutum ingressus fuit, vbi sanctis, & honestis exercitijs sese etiam vsq; ad vltimum vitæ spiritum continue exercuit, cuius exemplaris vita, & sancta conuersatio ita Apostolicæ Sedis Legato tunc in Hispaniarum Regnis agenti grata fuit, vt illum merito ad Gregorium Nonum S. V. prędecessorem, tam sanctum, & doctum, ac vitæ exemplaris virum exhibere voluerit, qui benigne eum suscipiens, eiusq; sapientiam, & prudentiam, ac castos, & pudicos mores admirans, & illius anteactam vitam considerans, suum Capellanum, summumq; Pœnitentiarium, & Confessorem constituit, quibus in muneribus summa cũ laude, præsertim erga Christi pauperes semper se gessit; ac Barchinonam rediens totius Ordinis Prędicatorum Generalis Magister electus, maxima cum laude vixit, abdicatoq; postmodum sponte à se Generalatus officio, annorum ferè cẽtum, & bonis operibus plenus in Domino obdormiuit anno 1275. qui tam in vita, quam in morte, & postea continue plurimis claruit miraculis. Cum autem Pater Sancte S. V. nouissime deuotissimi vestri, & Apostolicæ Sedis filij, & Oratoris Philippi Hispaniarum Regis Catholici, ac Ciuitatis Barchinonen. Consulum, ac Principatus Cathaloniæ Deputatorum, aliorumq; Christi fidelium illorum Regnorum precibus inclinata (qui particularem eiusdem Ordinis Fratrem Professum ad Vrbem hac de causa transmiserunt) Reuerendissimis DD. Cardinalibus Sacræ Congregationi Rituum, & Cæremoniarum vniuersum super præmissis examen per eos, vel alium, seu alios ab eis deputandos faciendum, ac plenam omnimodam, & totalẽ eius negotij cognitionem commiserit, qui ad commissionis, & mandati huiusmodi executionem procedentes, negotio huiusmodi in statu, in quo reperiebatur, assumpto, Ioanni Archiepiscopo Tarraconen. & Ioanni Barchinonen. ac Petro Vicen. Episcopis literas Compulsoriales, & Remissoriales pro testibus super articulis exhibitis, & propositis, & iuxta interrogatoria tunc data, & illorum literis inclusa concesserunt. Quibus quidem literis postea executioni debitæ demandatis prædicti Episcopi examen à se factum cum processu, & depositionibus testium illarum vigore in partibus desuper formato, & habitis, transmiserunt, prout reperiuntur de præsenti: Supplicant humiliter S. V. tam Rodulphus Romanorum Rex in Imperatorem electus, quã idem Philippus Rex, Ciuitatis Barchinonen. illiusq; Consules, ac Deputati Principatus Cathaloniæ, eiusdem Ordinis Conuentus Regni Aragonum, & Principatus prædicti, quatenus dignetur aliquibus ex RR. PP. DD. Sacri Palatij Apostolici Auditoribus, Seraphino, Oliuario, Gipsio, & Francisco Peniæ committere, & mandare, vt negocium huiusmodi in statu, & terminis, in quibus reperitur assumentes, &

coniunctim

coniunctim procedentes acta omnia, & processus videāt, & inspiciāt, inquisitionesq; ac probationes, aliaq; necessaria diligenter examinent, ac ordinent, quæ erunt ordinanda, & demum ad S V. referant, ad hoc, vt si ex eorum relatione eidem S. V. constiterit, inquisitiones, & probationes legitime factas fuisse, & ex illis constare, quantum sufficiat pro Canonizatione huiusmodi obtinenda, id facere, & exequi valeat, quæ in præmissis Sacrorum Patrum Dogmata, ac Sacrorum Canonum Instituta, & charitas postulant Christiana, cum facultatibus necessarijs, & opportunis, & in similibus concedi solitis, & consuetis, contrarijs non obstantibus quibuscunq; statum, & merita causæ, & negotij, ac processus huiusmodi, necnon literarum prædictarum tenores pro plene, & sufficienter expressis habentes.

De mandato D. N. Papæ audiant præfati Auditores, citent, assumant, referant, procedant, vt petitur.

Placet. H.

Rotæ Auditores sæpe conuenientes processus, & acta causæ super Canonizatione Beati Raymundi examinant. Cap. XXVIII.

INITIO mensis Maij anni 1597. Magister Michael Llot Procurator in causa, præcedentem Sanctissimi commissionem nobis obtulit, simulque actorum omnium copiam fecit: quamobrem sæpè conuenientes assiduo, multoq; labore, processus, & acta omnia expendimus, vt quid de facto constitisset, quidue iure fieri posset, incorruptè iudicare possemus.

Die ergo 6. Maij apud R. P. D. Seraphinum primus conuentus est habitus, pro ineunda ratione tenenda in ordinandis, iudicandisq; processibus: in quo tandem post longum discursum à me, iussu Dominorum, habitum super Sanctitate vitæ, primarijs actionibus, & insignioribus quibusdam miraculis Beati Raymundi, quorū tunc Domini non satis exactam notitiam habuerant, tandem concorditer fuit conclusum, vt stabilirentur sequentia.

Primùm progressus requisitionū diuersis sæculis, & temporibus factarū pro obtinēda Canonizatione vsq; ad præsens, cū dilucida narratione historię ad hāc solū causā pertinētes.

Alte-

Alterum, vt videretur, An iura, seu instrumenta producta, & producenda essent in forma probanti, & quam fidem singula mererentur.

Tertium, An processus, quibus vtendum erat, essent ritè fabricati.

Quartum, & postremum, Vt probationes in prædictis processibus contentæ, tàm concernentes Sanctitatem vitæ, & puritatem fidei, quàm miracula Beati Raymundi diligenter expenderentur; Atque hoc seruato ordine procederetur in discussione causæ.

Die xxiij. Iulij apud D. Seraphinum secundus conuentus est habitus, in quo de duobus est actum. Primò de progressu requisitionum apud Sedem Apostolicam sæpius factarum ab Episcopis in Concilio Taraconēsi bis propterea congregatis, & à diuersis Regibus, & à Ciuitate Barcinonēsi, & alijs, de quibus censuimus ex literis ipsis originalibus, quas oculari inspectioni tunc subiecimus, & ex alijs tunc deductis plenissimè constare. Secundò actum fuit de sumpto anno M. CCCC. LVI. extracto ex processu originali confecto anno M. CCC. XVIII. per Bartolomeum Vilaltam publicum Notarium, & conclusum, eam scripturam fuisse in forma probanti, eique fidem adhibendam ex rationibus latè in relatione deductis.

His habitis, dictum fuit, vt in Congregatione proximè habenda videretur, An testes quorum attestationes in antiquo illo processu continebantur, essent legitimè examinati.

Die 2. Augusti eiusdem anni M. D. XCVII. apud D. Seraphinum tertia fuit habita Congregatio, in qua simul consentientes censuimus, testes in processu antiquo à Bartolomeo Vilalta examinatos rectè, & ritè fuisse examinatos; & eidem antiquo processui fidem adhibendam. Fuit præterea dictum, vt in proxima futura Cōgregatione videretur de validitate processus Compulsorialis; An scilicet instrumentorū, & scripturarū in eo cōtentarū extractio fuerit legitimè facta.

Die 9. eiusdem mensis Augusti, apud D. Seraphinum Decanum, quartus conuentus est habitus, in quo fuit vnanimiter conclusum, processum Compulsorialem ritè, & legitimè confectum, & iura, seu Instrumenta in eo contenta ritè extracta fuisse. Fuit prætereà ordinatum, vt in proxima futura Congregatione videretur de singularum scripturarum, seu instrumentorum in dicto processu contentorum fide, & auctoritate.

Die xx. eiusdem mensis Augusti apud D. Seraphinum Decanum, quinta Congregatio est habita, in qua iuxta ordinem datum fuit singulariter actum de fide, & auctoritate singularum scripturarum, vt indè colligeretur, quantum probationis pondus vnaquæq; scriptura exhibere in hac causa potuisset: fuit autem hæc discussio satis prolixa, & molesta, vt ex relatione, ad Sanctissimum apparet. In fine huius Congregationis constitutum fuit, vt in proximè sequenti ageretur de processu Remissoriali.

Die xxviij. eiusdem mensis Augusti apud Dominum Seraphinum, sextus conuētus est habitus, absente tamē R. P. D. Gypsio ex causa infirmæ valetudinis, & conclusum Remissoriam ritè fuisse executioni mandatam, & testes legitimè examinatos.

Quia verò expendere oportebat fidem aliarum scripturarum, quibus in hac causa vtendum erat, in hac eadem Congregatione dictum etiam fuit, literas ab Episcopis in Concilijs Tarraconensibus existentibus, scriptas olim ad Romanos Pontifices pro Canonizatione, ex ipsa oculari inspectione, & antiquissimis cereis sigillis ex eis pēdentibus, fuisse planè authenticas, & indubiam fidem facere.

Quantùm ad officium in festo Beati Raymūdi recitādum, compositum à Magistro Iacobo Ferran, quod etiam a Procuratore Canonizationis fuerat in hac causa productum, dictū fuit, ex obseruantia subsecutá per testes legitimè probata, fidem ei fuisse adhibendam, maximè propter viuæ vocis oraculum

culum fœl. recor. Pauli Papæ III. à quo id officium promanasse videbatur.

Dictum præterea fuit, vt in proxima futura Congregatione ageretur de existentia, Sanctitate, & fœlici obitu Beati Raymundi.

Quoniam verò R.P.D. Gypsius, vt dictum est, huic Congregationi non interfuerat; propterea ego iussu Domini Decani ad ipsum accessi, omniaq; gesta illi cōmunicaui, quæ ob easdem rationes, censuit approbanda.

Die 6. Septembris eiusdem anni M. D. XCVII. apud D. Seraphinum, absente D. Gypsio, habita fuit septima Congregatio, in qua discussi fuerunt tres indicati articuli super existentia, Sanctitate, & obitu Beati viri, & post longamq; discussionem conclusum, sufficientissimis probationibus de existentia, vitæ Sanctimonia, & obitu eius in die Epiphaniæ, id est, die vj. Ianuarij anni M. CCLXXV. constitisse, quæ cum eodem die R.P.D. Gypsio fuissent cōmunicata, suo etiam suffragio ille comprobauit.

Die xj. eiusdem mensis Septemb. in Congregatione octaua apud D. Seraphinum habita, conclusum fuit, probari quidem in genere, Beatum virum tam in vita, quam post fœlicem in Domino dormitionē, plurima edidisse miracula, illius Sanctitatem non obscurè protestantia.

Quia verò de miraculis in particulari agendum deinceps fuerat, apertioris doctrinæ gratia dictum fuit, vt breuiter miraculorum gradus, & eorundem conditiones, tanquàm res minimè controuersæ in relatione Sanctissimo D. N. danda, recenserentur, vt his velut regulis quibusdam generalibus præmissis, protinus propositum quodlibet particulare, mirabile factum, intelligeretur, An esset miraculum, & ad quem gradum, seu classem miraculorum referendum.

Die xviij. eiusdem mensis Septembris apud D. Seraphinum Decanum nona Congregatio est habita, in qua primò fuit conclusum, præter vitæ Sanctimoniam ad effectum Ca-

 noniza-

nonizationis saltem post mortem miracula probari debere: item ad probanda miracula sufficere ordinariam probationē; quæ in miraculis à nobis selectis, in hac causa sufficiens adesse comperiebatur.

Denique in hac causa, tàm in vita, quàm post mortem Beati viri affuisse miracula, eius intercessione, & meritis facta, ex quibus in vita factis præcipuè delegimus sequentia.

Lib.2.c.1. Primum illustre miraculū transfretationis maris ab insulis Balearibus Barcinonem usq; super pallium Sancti viri, quod & verum miraculum, & sufficienter probatum censuimus.

Lib.1.c.12. Item miraculum in persona cuiusdam Barcelō animam agentis, & iam voce, & sensibus destituti, qui precibus Beati Raymūdi, & sensus, & vocem tantisper, dū peccata sua Raymundo confiteretur, & ab eo reciperet beneficiū absolutionis, mirabiliter recuperauit; quibus peractis obdormiuit in Domino.

Lib.1.c.26. Item miraculum de Fratre Conuerso à stimulis carnis liberato.

Die xxvij. Septembris eiusdem anni M.D.XCVII. apud D. Seraphinum Rotæ Decanum decimus conuentus est habitus, in quo fuit actum de quatuor miraculis meritis B. Raymundi post obitum ipsius factis.

Lib.2.c.29. Primum fuit de curatione Guillelmi de Vilaragut à grauissimo lepræ morbo in instanti liberati eadem nocte, qua vir Beatus obdormiuit in Domino.

Lib.2.c.37. Secundum fuit de quadam puella nomine Margarita, quæ cùm reuera fuisset mortua, ad vitam est reuocata.

Lib.2.c.35. Tertium fuit de quadam Romea in extremis angustijs ob partus difficultatem constituta, quę cōfestim post inuocatum Beatum Raymundum, edidit partum vitalē, & liberata fuit.

Lib. 2. c 5. Quartum fuit de quodam iuuene, qui ex lapsu grauissimo, cùm vel mortuus, vel morti propinquus esset, per terræ ex sepulchro Beati Raymundi desumptæ applicationem ori, & collo eius, qui ceciderat, confestim conualuit, & saluti fuit

fuit restitutus.

Hæc quatuor miracula verè fuisse miracula, & legitimè, ac concludenter probata censuimus.

Denique die vij. Octob. eiusdem anni M. D. XCVII. in vltima Congregatione apud D. Seraphinum super hac causa habita, consequentia hæc quatuor miracula, & vera fuisse miracula, & legitime comprobata censuimus.


Quintum, videlicet in ordine illorum, quæ post obitum B. Raymundi illius meritis Deus est operatus in persona Michaelis Amat, qui cum iam esset à medicis deploratus, & animam ageret, postquàm apparuit ei Beatus Raymundus, à peste fuit liberatus. Lib.2.c.77.

Item, sextum miraculum in persona Annæ Beneræ, quæ à medicis etiam derelicta ob sanguinis profluuium ab ore manantis, quem medici sistere non potuerant, sumpta potione cum modica terra de sepultura Beati Raymundi statim fuit liberata. Lib.2.c.92.

Item, septimum miraculum multiplicationis terræ, seu pulueris, qui extrahitur de antiqua sepultura Beati Raymundi, & nunquã deficit, & adhibitus diuersis infirmitatibus, innumeros sanasse probatur. Lib.2.c.99.

Postremò, octauum miraculum de odore fragranti, ex monumento Beati viri prodeunte, quem, cùm sepulchrum aperiretur, multi testes senserunt, & inter cæteros vnus, qui sensum olfactus, quo multis annis caruerat, recuperauit. Lib.2. cap. 100.

In hac Congregatione dictum fuit, vt inter cætera signa Sanctitatem Beati Raymundi indicantia, illud mirabile poneretur, quòd ab Angelo de nocte frequenter à somno excitaretur ad orandum.



OB-

OBSERVATIO.



AEC, quæ breuiter hic sunt relata, ingenti labore ex varijs processuum locis quærenda, & comprobanda fuerunt, vt patet ex relatione ad Sanctissimum D. N. super hac causa facta, quam, qui viderit, procul dubio mirabitur, qua ratione nobis tot occupationibus distentis, per tempus licuerit tam diligenter processus euoluere, tot libros, auctoresq; ex omni ferè scientia consulere ad veritatem indagandam, prout occasio, & natura articulorum, seu difficultatum, quæ sese offerebant, meritò postulabant. Sed hæc omnia diuina gratia meritis B. viri (vt pie credimus) abunde subministrabat.

Sanctissimus Auditorum Relationem audit: & aliquot Beati Viri, suiq; Ordinis meritis commemoratis, eos ad Congregationem referre iubet. Cap. XXIX.




OSTQVAM Regius Orator intellexisset, Rotæ Auditores, quibus Sanctissimus causam examinandam commiserat, id quod habuerant in mandatis, peregisse, denuò supplicauit, vt eos audire dignaretur; simulq; apud Congregationem Sacrorum Rituum referre suã sententiam iuberet. Acciti ergo à Sanctissimo Seraphinus Oliuarius, & ego (nam Petrus Franciscus Gypsius morbo impeditus adesse nequiuit) die 24. Martij 1598. nostram Relationem super hac Canonizatione in scriptis, & proprijs nominibus subscriptam, Sanctissimo obtulimus, qui postquàm nos super multis, tum ad Sanctitatem, tum ad miracula Beati viri spectantibus, interrogasset, gratam sibi fuisse nostram Relationẽ propter singularẽ animi affectum, quo prosequebatur insignem hunc Virum, præcipuum quondam Sedis Apostolicæ in hac Curia Ministrum, & Officialem indicauit: ac minime præterea obscure se eum solemni Ritu consecraturum, si omnia requisita concurrerent, significauit.

Mox inde sumpta occasione, graui admodum, prudentiq; ser-

sermone Ordinem Prædicatorum; commemoratis aliquot Primarijs eiusdem Ordinis Viris Sanctitate, & literarum cognitione præstantibus, commendauit, addens singulis sæculis, & ætatibus inde ortos egregios, & assiduos in vinea Domini laboratores, Catholicam Religionem propagasse, sanã, tutamq; & incorruptam doctrinam; veramq; Theologiam docuisse, hæreses multas conuincendas, extirpandasq; curasse, & eius rei gratia multos labores, & pericula subijsse, vt propterea fatendum esset, præclara istius Ordinis extare in Ecclesiam merita, qui tot egregios Doctores, tot lucidos Confessores, tot fortes Martyres produxisset. Quæ nec Ordini Minorum Sancti Francisci defuisse, pari pietate commemorauit: tandemq; vt in Congregatione Sacrorum Rituum eandem relationem faceremus, præcepit.

Auditores in Congregatione referunt, quid circa Beatum Raymundum Canonizandum sentiant, sed non proceditur ad vlteriora, donec Sanctissimus Ferraria reuertatur. Cap. XXX.




IVbent Sacri Libri Rituales, vt sexto loco, si Rotę Auditores retulerint rem benè esse paratam, iterum Sãctissimus committat tribus Cardinalibus, Episcopo, Presbytero, & Diacono, qui diligẽter examinent inquisitionẽ, probationes, & depositiones testium, & considerent solertissimè omnia consideranda. [*Lib. 1. Sacrar. Ceremon. sect. 6. cap. 1. §. deinde si retulerunt.*]

Loco istorum trium Cardinalium, quibus anteà hæc committebantur, ex instituto fœl. recor. Sixti V. Cardinalibus Congregationis Sacrorum Rituum hæc examinanda proponuntur, quæ res hoc prorsus ordine valdè quidem commendando, transigitur hoc nostro sæculo. Postquàm Rotæ Audito-

ditores super tota causa suum interposuere iudicium, iussu Sanctissimi id referunt in Congregatione; mox verò Cardinales eandem Rotæ Auditorum relationē ab initio inchoantes diligenter perpendunt: & quoniam Auditores multo labore, vt prædictum est omnia examinauerunt, Cardinales easdem Conclusiones ab Auditoribus stabilitas confirmare solent. Quòd si quandoque aliquæ difficultates suboriantur, vel omnes Auditores, quibus causa commissa fuerat, vel vnus tantum arbitrio Dominorum Cardinalium consultus, de facto, & de iure respondens, eas difficultates explicat, atq; superat. Quibus omnibus peractis, iterum Cardinales (vt mox dicetur) ad Pontificem referunt. Hæc ergo, vt in hac causa seruarentur, nos iussu Sanctissimi die vij. Aprilis M. D. XCVIII. Cardinalibus propterea cōgregatis, quid sentiremus, retulimus, nostrumq; iudicium in scriptis, & proprijs nominibus subscriptum dedimus, vt ipsi iam superiori ordine seruato suum interponerent.

Cæterum, quia paulò post die xiij. eiusdem mensis Aprilis, Sanctissimum D. N. Clementem VIII. ab Vrbe Ferrariam proficiscentem, aliquot Cardinales de Congregatione Sacrorum Rituum prosecuti sunt, donec idem Sanctissimus ad Vrbem est reuersus die xx. Decemb. eiusdem Anni M. D. XCVIII. Cardinalis ab Aragonia, qui tunc eidem Congregationi præerat, nihil vlterius in causa agendum est arbitratus: atq; hoc etiam inter impedimēta dilatæ Canonizationis meritò referri potest.




Pon-

Pontifex Ferraria ad Vrbe reuersus iubet, ut Cardinales in causa Canonizationis ad ulteriora procedant, qui ob id de statu, & causæ meritis instruuntur. Cap. XXXI.



IE xxiij. Ianuarij anni mox sequentis M. D. XCVIII. Dux Sessæ Regius Orator commemoratis tot dilationibus, quibus huius causæ cursus toties fuerat interruptus, atque impeditus, Regis nomine Pontificem supplex rogat, vt Cardinalibus Congregationis Sacrorum Rituum iubere dignetur, vt postquàm Rotæ Auditores iam suo officio functi fuerant, ipsi quoque diligentiam solitam adhibentes, consuetos conuentus agant, iudicium suum interponant, & ad suam Sanctitatem referant. Id cum Sanctissimus fecisset, mox idem Regius Orator, & Hippolitus Maria Beccaria Magister Generalis Ordinis Prædicatorum, & ego, Cardinales Congregationis adeuntes, statum causæ totius, & gerendorum ordinem commemorabamus, tandemq; eos Orator Regis, & Generalis nomine suæ Religionis rogabāt, vt in habendis assiduè Cōgregationibus, negotioq; prosequendo omne diligēs studiū, & operam adhiberent.


Rex Philippus eius nominis Tertius, datis ad Pontificem, & Cardinales literis, eandem Canonizationem obnixe postulat celebrari. Cap. XXXII.



VM Sanctissimus Ferrariæ moraretur, triste est ab Hispania nuncium delatum de obitu Philippi Regis Catholici eius nominis II. magni, strenuiq; Catholicæ Ecclesiæ defensoris, & Christianæ Religionis protectoris, quod acerbo luctu vniuersam fere Europam, inprimis verò

pium Pontificis pectus repleuit, tametsi optima spes quam propter egregiam, piamq; indolē Philippi Principis merito cōceperat, graues ipsius curas leniret: nec Sanctissimū sua fefellit spes, cum protinus ab initio Regni, Philippus eius nominis III. cum Regnis hæreditarijs in patria quoq; pietate, feruenti Catholicæ Religionis zelo, quasi iure hæreditario successerit, quod multis argumentis, sed hoc imprimis Regius iuuenis animus demonstrauit, quia de Canonizatione promouenda cogitans, super ea deniq; perficienda ad Pontificem, ad Cardinales aliquot, & ad Ducem Sessæ suum Oratorem literas scripserit, quas hic referre placuit.

Literæ ad Pontificem.



MVY Sancto Padre. De mi Embaxador entendera V. Sanctidad, quanto desseo la Canonizacion de San Raymūdo de Peñafort, que fue Religioso dela Orden de Sancto Domingo; i pues V. Sanctidad con su Sancto, & pio zelo la ha puesto tan adelante, supplico à V. Beatitud, que dandole entero credito, me haga merced, mandar se prossiga lo que resta por hazer hasta acabarlo, que por la honrra, i gloria de Dios, i la particular deuoçion, que tengo al Sancto, i mayor auctoridad, i calidad de la Ordē de Sancto Domingo, la recibirè en muy singular gratia, i merced de V. Sanctidad, cuya muy Sancta persona Nuestro Señor guarde, i sus dias acreciente al prospero, i felice estado de su vniuersal Yglesia. De Valençia à vij. de Abril M. D. XCVIIII.

De V. Sanctidad

Muy humilde, i deuoto hijo Don Phelippe por la gracia dē Dios Rey de Castilla, de Aragon, de Leon, delas dos Sicilias,

lias, de Hierusalem, de Portugal, de Nauarra, delas Indias, &c. que sus muy Sanctos pies, i manos beza.

El Rey.

Franquesa Secretar.

Litere ad Cardinales Congregationis Sacrorum Rituum.

DON Phelippe por la gratia de Dios Rey de Castilla, de Aragon, de Leon, delas dos Sicilias, de Hierusalem, de Portugal, de Nauarra, delas Indias, &c.

Muy Reuerendo in Christo Padre Cardenal nuestro muy caro, i muy amado amigo. Desseo mucho el effecto dela Canonizacion de S. Raymundo de Peñafort, que fue dela Orden de Sancto Domingo, por lo que della a de resultar mayor honrra, i gloria de Dios, i del Sancto, i por cumplir con la particular deuocion, que le tengo: i pues interuenis en la Congregacion, en que se trata della, os pido, i encargo muy affectuosamente, que acudays, aquè se acabe con quanta mayor breuedad fuere possible, porque dello recibirè tan grata complacẽcia, como lo entendereys del Duque de Sessa mi Embaxador, alqual dareys entero credito, i sea muy Reuerendo in Christo Padre Cardenal nuestro muy caro, i muy amado amigo nuestro Señor en vuestra continua guarda. De Valencia à vij. de Abril M. D. XCVIIII.

Io el Rey.


Eodem modo scriptæ sunt literæ ad aliquot alios Cardinales.

Literæ ad Ducem Sessæ Regis Oratorem.



L REI mi Padre, i Señor, que haya gloria he sucedido en la deuoçion de San Ramon de Peñafort, que fue Religioso de la Orden de Sancto Domingo, i en el desseo, de que la Sede Apostolica aprueue sù Sancta vida, i milagros, Canonizandole, para mayor gloria de Dios Nuestro Señor, i calificacion de tan Sagrada Religion, i por esso os pido, y mando, con la mayor efficacia, i instantia, que puedo, que la hagays à sù Sanctidad de mi parte, en que pues esta tan adelante el tratado desta Canonizacion, tenga por bien de mandar alos Cardenales dela Cógregacion delos Sagrados Ritos, aquié esta cometida, quela acaben, i lo mesmo pidireys alos dichos Cardenales, i sobre ello hareys todos los buenos officios, que seran menester, hasta conseguirlo, yà Su Sanctidad, i alos dichos Cardenales escriuo en vuestra creencia las que iran con esta, que contienen lo que vereys por sù traslado. Vsareys dellas quando, i como mas hayan de aprouechar, i auisarme eis, deloque se fuere haziendo, porque lo quiero entender. Data en Valençia a vij. de Abril M. D. XCVIIII.

Io el Rey.



Cardinales Sacrorum Rituum multis habitis Congregationibus, Relationem Auditorum Rotæ perpenduût. Cap. XXXIII.



DIE 4. Martij M. D. XC.VIII. in Palatio Inici Cardinalis ab Aragonia, habita fuit prima Congregatio, in qua præter Cardinalem ab Aragonia conuenerunt Alexander Medices, Antonius Maria Saluiatus, Dominicus Pinellus, Antonius Maria Gallus, Franciscus Maria de Monte, Cæsar Baronius, Ascanius Columna, & Andreas Perettus Cardinales, decreueruntq; vt trium Rotæ Auditorum Relatio, eiusdem seruato ordine, citatoque Fiscali, si quid opponere vellet, discurrendo per singulos articulos discuteretur; dictum præterea, vt in proxima Congregatione ageretur de primo articulo ab Auditoribus discusso, An processus antiquus esset in forma probanti, & testes, quorum attestationes inibi continebantur, essent rite, & recte examinati.

OBSERVATIO.

INterim Alphonsus Cardinalis Gesualdus Archiepiscopus Neapolitanus ad Vrbem veniens, tanquam antiquior in ea Congregatione præsidere cœpit: Quapropter deinceps in eius Palatio Congregationes sunt habitæ

Die 20. Aprilis apud Gesualdum habita fuit altera Congregatio cum decem Cardinalibus.

Die 4. Maij apud Gesualdum etiam habita fuit tertia Cõgregatio, interueneruntq; quinq; Cardinales.

Die 14. Maij habita fuit quarta Congregatio apud eundem Gesualdũ cum octo Cardinalibus: sed in his tribus Cõgregationibus nihil memorabile fuit in causa actum.

Die xxvj. Maij apud eundem Gesualdum quintus conuentus est habitus, in quo præter Gesualdum conuenientes

Gallus,

Gallus, Borromeus, Antonianus, & Perettus, non obstantibus quibusdam oppositionibus à Procuratore Fiscali propositis, Domini in decisis ab Auditoribus standum censuerunt, affirmantes, & antiquum processum fuisse in forma probanti, & testes in eo contentos ritè, & rectè examinatos.

Die xxiij. Iunij apud Gesualdum, sexta fuit habita Congregatio, cui præter Gesualdum, Alexander Medices, Gallus, de Monte, Borromeus, Antonianus, Farnesius, & Perettus, interuenientes, sicut Auditores senserant, responderunt, processum Compulsorialem authenticum, & in eo contenta fuisse releuantia.

Die vij. Iulij apud Gesualdum, septimus conuentus est habitus, ad quem præter Gesualdum conuenerunt Alexander Medices, Franciscus de Gioiosa, Antonius Maria Gallus, de Monte, Borromeus, Baronius, Antonianus, Farnesius, & Perettus, & ad dubiã tunc proposita, iuxtà seriem Relationis Auditorum Rotæ, affirmatiuè respondentes censuerunt, Instrumenta, & scripturas in causa Canonizationis à Procuratore producta, fidem facere, cum qualitatibus tamen à Rotæ Auditoribus explicatis.

Die xx. Iulij eiusdem anni M. D. XCVIII. in Palatio Alfonsi Cardinalis Gesualdi octaua Congregatio est habita, ad quam præter Gesualdum conuenientes Alexander Medices, Franciscus Gioiosa, Antonius Maria Gallus, Pinellus, Baronius, Antonianus, Ascanius Columna, & Farnesius, ad tres articulos propositos super existentia Beati Raymundi, Sanctitate vitæ, & die fælicis ipsius obitus, affirmatiuè cum Rotæ Auditoribus respondendum censuerunt, ea scilicet luculentis testimonijs comprobari.

Die vij. Augusti nonus conuentus apud Gesualdum est habitus, apud quem præter Gesualdum nouem Cardinales conuenientes Alexander Medices, Pinellus, Gallus, de Monte, Borromeus, Baronius, Antonianus, Farnesius, & Perettus, pronuntiarunt, tradita ab Auditoribus [*Artic.iiij. super natura, & qua*

& qualitatibus verorum miraculorum, & artic. 5. An sit de natura miraculi, quod fiat in instanti, & artic. 6. de gradibus, & ordinibus miraculorum, & artic. 7. An præter Sanctitatem, opus sit miraculis ad Canonizandum] fuisse vera, & amplectenda, iuxtà veram, & communem Theologorum, & Canonistarũ doctrinã.

Die xx. Augusti in Palatio Cardinalis Gesualdi, decima est habita Congregatio, cui præter Gesualdum, Alexander Medices, Franciscus Gioiosa, Pinellus, de Monte, Gallus, Borromeus, Antonianus, & Perettus Cardinales interfuerunt, decreueruntq; recipiendam doctrinam Auditorum Rotæ artic. viij. traditam super modo probationis miraculorum: itẽ probari in genere Raymundum fecisse miracula, sicut nono articulo Auditores censuerant.

Die xv. Septemb. apud Gesualdum, Alexander Medices, Gallus, de Monte, Borromeus, Baronius, & Antonianus vndecimo cõuenietes cẽsuerunt, miraculũ trãsfretationis super pallio, & de Fratre Martino a stimulis carnis liberato, verè fuisse miracula, & sufficienter probata: Sed de miraculo facto in persona cuiusdam Barcelò, qui quasi mortuus, precibus B. Raymundi sensus recuperauerat, amplius deliberandum decreuere.

Die iv. Octob. in Palatio Cardinalis Gesualdi duodecima Congregatio est habita, in eaque Gesualdus, Alexander Medices, Pinellus, Gallus, & Franciscus Maria de Monte censuerũt tria miracula, de Barcelò semimortuo sensum recuperante, & de nobili viro à lepra mũdato, & de Margarita mortua ad vitam reuocata meritis Beati Raymundi, vera fuisse miracula, & sufficienter extitisse probata.

Die xxij. Octob. apud Gesualdum xiij. Congregatio est habita, ad quam præter Gesualdum conuenientes Alexander Medices, Augustinus Valerius de Verona, Gallus, & de Monte responderunt, miraculum factum in Romea à difficultatibus partus liberata; & in Iuuene infirmo ab alto cadente per appositionẽ terræ, sanitati restituto, & in Michaele Amat

à Medi-

à Medicis iam derelicto, à peste liberato, vera fuisse miracula, & legitimè comprobata.

Deniq; die v. Nouemb. eiusdē anni M. D. XC. VIIII. in vltima Congregatione super hac causa habita apud Cardinalem Gesualdum, ad quam præter ipsum conuenerunt Alexander Medices de Florentia, Augustinus Valerius de Verona, Gallus, de Monte, Borromeus, Antonianus, Antonius Fachinettus Sāctorum Quatuor, & Perettus censuerunt reliqua miracula à Rotæ Auditoribus relata, videlicet sextū, de sanata à maximo fluxu sanguinis, & septimum de puluere è sepulcro B. Raymundi perpetuò scaturiente, & octauū de suaui odore ex sepulchro eiusdem Beati prodeunte, eo præsertim die, quo Episcopi Iudices sepulchrum aperuerunt, & vera fuisse miracula, & legitimè comprobata.

OBSREVATIO.

VT Cardinales loca indicata in Auditorum Relationibus, in quibus eos ad processus remittebat, minus molesto labore inuenire possent, singulis Cardinalibus processus singuli, singulæq; Relationes eodem foliorum numero sibi inuicem respondentes, antequam Congregationes haberentur consignata fuere, quod & in alijs Canonizationibus ad minuendum laborem, seruatum nouimus.


Orator Regius iterum instat pro Canonizatione; Cardinales referunt Sanctissimo, quid sentiant, & Sanctissimus per se ipsum iterum Auditorum Rotæ Relationem expendit.

Cap. XXXIV.

QVamprimum Cardinales Sacrorū Rituū officio suo (sicut habuerāt in mandatis) functi fuerāt, Dux Sessæ Regius Orator, die vj. Nouemb. M. D. XC. VIIII. iterum Regis nomine, vt Sāctissimus ad vlteriora procedere dignaretur, enixe flagitauit. Pace itaq; annuente die viii. eiusdem mensis, Alfonsus Cardi-

nalis

nalis Gesualdus, Alexander Medices de Florentia, Augustinus Valerius de Verona, Dominicus Pinellus, de Monte, Gallus, Baronius, Antonianus, Ascanius Columna, Farnesius, Antonius Sanctorũ. Quatuor, & Perettus Cardinales Sãctissimo retulerunt, se denuò causam expendisse, & Relationem Auditorũ Rotæ diligẽter vidisse, atq; considerasse, tandemq; eam approbantes in eam venisse sententiam, vt omnia eis ritè parata, probataq; viderentur, vt propterea posset Sanctitas sua, si vellet, ad vlteriora procedere. Et quanquam hæc tunc valdè grata Sanctissimo extiterint, & se causam iam absoluere velle responderit, nihilominus adhuc maturius deliberandum, & per se ipsum ponderandum, expendendumque negotium ratus, Relationem Auditorum exquisita diligentia discussit, & vitam Beati Raymundi à vetusto authore scriptam, & notis meis dilucidatam videre voluit: nullum deniq; prætermisit, aut neglexit studium, ex quo sibi veritas in causa tàm ardua patere potuisset. Itaque tùm ob hanc causam, tùm ob assiduas anni Iubilei occupationes (quo toto tempore Sanctissimus in frequentandis Ecclesiis, responsis peregrinis dandis, obeundis in Hospitalibus, & Cõfraternitatibus, humilibus etiam charitatis officiis, non sine magna eorundem peregrinorum admiratione, & omnium ædificatione occupatus interfuit) vsque in finem anni negotium est dilatum, tametsi antequàm elaberetur, tria Consistoria consueta celebrauerit.



à Medicis iam derelicto, à peste liberato, vera fuisse miracula, & legitimè comprobata.

Deniq; die v. Nouemb. eiusdē anni M. D. XC. VIIII. in vltima Congregatione super hac causa habita apud Cardinalem Gesualdum, ad quam præter ipsum conuenerunt Alexander Medices de Florentia, Augustinus Valerius de Verona, Gallus, de Monte, Borromeus, Antonianus, Antonius Fachinettus Sāctorum Quatuor, & Perettus censuerunt reliqua miracula à Rotæ Auditoribus relata, videlicet sextū, de sanata à maximo fluxu sanguinis, & septimum de puluere è sepulcura B. Raymundi perpetuò scaturiente, & octauū de suaui odore ex sepulchro eiusdem Beati prodeunte, eo præsertim die, quo Episcopi Iudices sepulchrum aperuerunt, & vera fuisse miracula, & legitimè comprobata.

OBSREVATIO.


VT Cardinales loca indicata in Auditorum Relationes, in quibus eos ad processus remittebat, minus molesto labore inuenire possent, singulis Cardinalibus processus singuli, singulæq; Relationes eodem foliorum numero sibi inuicem respondentes, antequam Congregationes haberentur, consignata fuere, quod & in alijs Canonizationibus ad minuendum laborem, seruatum nouimus.

Orator Regius iterum instat pro Canonizatione; Cardinales referunt Sanctissimo, quid sentiant, & Sanctissimus per seipsum iterum Auditorum Rotæ Relationem expendit.

Cap. XXXIV.

QVamprimum Cardinales Sacrorū Rituū officio suo (sicut habuerāt in mandatis) functi fuerāt, Dux Sessę Regius Orator, die vj. Nouemb. M. D. XC. VIIII. iterum Regis nomine, vt Sāctissimus ad vlteriora procedere dignaretur, enixe flagitauit. Pōtifice itaq; annuente die viii. eiusdem mensis, Alfonsus Cardinalis

nalis Gesualdus, Alexander Medices de Florentia, Augustinus Valerius de Verona, Dominicus Pinellus; de Monte, Gallus, Baronius, Antonianus, Ascanius Columna, Farnesius, Antonius Sanctorū Quatuor; & Perettus Cardinales Sāctissimo retulerunt, se denuò causam expendisse, & Relationem Auditorū Rotæ diligēter vidisse, atq; considerasse, tandemq; eam approbantes in eam venisse sententiam, vt omnia eis ritè parata, probataq; viderentur, vt propterea posset Sanctitas sua, si vellet, ad vlteriora procedere. Et quanquam hæc tunc valdè grata Sanctissimo extiterint, & se causam iam absoluere velle responderit, nihilominus adhuc maturius deliberandum, & per se ipsum ponderandum, expendendumque negotium ratus, Relationem Auditorum exquisita diligentia discussit, & vitam Beati Raymundi à vetusto authore scriptam, & notis meis dilucidatam videre voluit: nullum deniq; prætermisit, aut neglexit studium, ex quo sibi veritas in causa tàm ardua patere potuisset. Itaque tùm ob hanc causam, tùm ob assiduas anni Iubilei occupationes (quo toto tempore Sanctissimus in frequentandis Ecclesiis, responsis peregrinis dandis, obeundis in Hospitalibus, & Cōfraternitatibus, humilibus etiam charitatis officiis, non sine magna eorundem peregrinorum admiratione, & omnium ædificatione occupatus interfuit) vsque in finem anni negotium est dilatum, tametsi antequàm elaberetur, tria Consistoria consueta celebrauerit.



à Medicis iam derelicto, à peste liberato, vera fuisse miracula, & legitimè comprobata.

Deniq; die v. Nouemb. eiusdē anni M. D. XC. VIIII. in vltima Congregatione super hac causa habita apud Cardinalem Gesualdum, ad quam præter ipsum conuenerunt Alexander Medices de Florentia, Augustinus Valerius de Verona, Gallus, de Monte, Borromeus, Antonianus, Antonius Fachinettus Sāctorum Quatuor, & Perettus censuerunt reliqua miracula à Rotæ Auditoribus relata, videlicet sextū, de sanata à maximo fluxu sanguinis, & septimum de puluere è sepulcro B. Raymundi perpetuò scaturiente, & octauū de suaui odore ex sepulchro eiusdem Beati prodeunte, eo præsertim die, quo Episcopi Iudices sepulchrum aperuerunt, & vera fuisse miracula, & legitimè comprobata.

OBSREVATIO.


VT Cardinales loca indicata in Auditorum Relationibus, in quibus eos ad processus remittebant, minus molesto labore inuenire possent, singulis Cardinalibus processus singuli, singulæq; Relationes eodem foliorum numero sibi inuicem respondentes, antequam Congregationes haberentur, consignata fuere, quod & in alijs Canonizationibus ad minuendum laborem, seruatum nouimus.

Orator Regius iterum instat pro Canonizatione; Cardinales referunt Sanctissimo, quid sentiant, & Sanctissimus per seipsum iterum Auditorum Rotæ Relationem expendit.

Cap. XXXIV.

QVamprimum Cardinales Sacrorū Rituū officio suo (sicut habuerāt in mandatis) functi fuerāt, Dux Sessæ Regius Orator, die vj. Nouemb. M. D. XC. VIIII. iterum Regis nomine, vt Sāctissimus ad vlteriora procedere dignaretur, enixe flagitauit. Pōtifice itaq; annuente die viii. eiusdem mensis, Alfonsus Cardinalis

nalis Gesualdus, Alexander Medices de Florentia, Augustinus Valerius de Verona, Dominicus Pinellus, de Monte, Gallus, Baronius, Antonianus, Ascanius Columna, Farnesius, Antonius Sanctorũ Quatuor, & Perettus Cardinales Sãctissimo retulerunt, se denuò causam expendisse, & Relationem Auditorũ Rotæ diligẽter vidisse, atq; considerasse, tandemq; eam approbantes in eam venisse sententiam, vt omnia eis ritè parata, probataq; viderentur, vt propterea posset Sanctitas sua, si vellet, ad vlteriora procedere. Et quanquam hæc tunc valdè grata Sanctissimo extiterint, & se causam iam absoluere velle responderit, nihilominus adhuc maturius deliberandum, & per se ipsum ponderandum, expendendumque negotium ratus, Relationem Auditorum exquisita diligentia discussit, & vitam Beati Raymundi à vetusto authore scriptam, & notis meis dilucidatam videre voluit: nullum deniq; prætermisit, aut neglexit studium, ex quo sibi veritas in causa tàm ardua patere potuisset. Itaque tùm ob hanc causam, tùm ob assiduas anni Iubilei occupationes (quo toto tempore Sanctissimus in frequentandis Ecclesiis, responsis peregrinis dandis, obeundis in Hospitalibus, & Cõfraternitatibus, humilibus etiam charitatis officiis, non sine magna eorundem peregrinorum admiratione, & omnium ædificatione occupatus interfuit) vsque in finem anni negotium est dilatum, tametsi antequàm elaberetur, tria Consistoria consueta celebrauerit.



à Medicis iam derelicto, à peste liberato, vera fuisse miracula, & legitimè comprobata.

Deniq; die v. Nouemb. eiusdẽ anni M. D. XC. VIIII. in vltima Congregatione super hac causa habita apud Cardinalem Gesualdum, ad quam præter ipsum conuenerunt Alexander Medices de Florentia, Augustinus Valerius de Verona, Gallus, de Monte, Borromeus, Antonianus, Antonius Fachinettus Sãctorum Quatuor, & Perettus censuerunt reliqua miracula à Rotæ Auditoribus relata, videlicet sextũ, de sanata à maximo fluxu sanguinis, & septimum de puluere è sepulchro B. Raymundi perpetuò scaturiente, & octauũ de suaui odore ex sepulchro eiusdem Beati prodeunte, eo præsertim die, quo Episcopi Iudices sepulchrum aperuerunt, & vera fuisse miracula, & legitimè comprobata.

OBSREVATIO.


VT Cardinales loca indicata in Auditorum Relationibus, in quibus eos ad processus remittebat, minus molesto labore inuenire possent, singulis Cardinalibus processus singuli, singulæque Relationes eodem foliorum numero sibi inuicem respondentes, antequam Congregationes haberentur, consignata fuere, quod & in alijs Canonizationibus ad minuendum laborem, seruatum nouimus.

Orator Regius iterum instat pro Canonizatione; Cardinales referunt Sanctissimo, quid sentiant, & Sanctissimus per seipsum iterum Auditorum Rotæ Relationem expendit.

Cap. XXXIV.

QVamprimum Cardinales Sacrorũ Rituũ officio suo (sicut habuerãt in mandatis) functi fuerãt, Dux Sessæ Regius Orator, die vj. Nouemb. M. D. XC. VIIII. iterum Regis nomine, vt Sãctissimus ad vlteriora procedere dignaretur, enixe flagitauit. Põtifice itaq; annuente die viij. eiusdem mensis, Alfonsus Cardinalis

nalis Gesualdus, Alexander Medices de Florentia, Augustinus Valerius de Verona, Dominicus Pinellus, de Monte, Gallus, Baronius, Antonianus, Ascanius Colonna, Farnesius, Antonius Sanctorũ Quatuor, & Perettus Cardinales Sãctissimo retulerunt, se denuò causam expendisse, & Relationem Auditorũ Rotæ diligẽter vidisse, atq; considerasse, tandemq; eam approbantes in eam venisse sententiam, vt omnia eis ritè parata, probataq; viderentur, vt propterea posset Sanctitas sua, si vellet, ad vlteriora procedere. Et quanquam hæc tunc valdè grata Sanctissimo extiterint, & se causam iam absoluere velle responderit, nihilominus adhuc maturius deliberandum, & per se ipsum ponderandum, expendendumque negotium ratus, Relationem Auditorum exquisita diligentia discussit, & vitam Beati Raymundi à vetusto authore scriptam, & notis meis dilucidatam videre voluit: nullum deniq; prætermisit, aut neglexit studium, ex quo sibi veritas in causa tàm ardua patere potuisset. Itaque tùm ob hanc causam, tùm ob assiduas anni Iubilei occupationes (quo toto tempore Sanctissimus in frequentandis Ecclesiis, responsis peregrinis dandis, obeundis in Hospitalibus, & Cõfraternitatibus, humilibus etiam charitatis officiis, non sine magna eorundem peregrinorum admiratione, & omnium ædificatione occupatus interfuit) vsque in finem anni negotium est dilatum, tametsi antequàm elaberetur, tria Consistoria consueta celebrauerit.



à Medicis iam derelicto, à peste liberato, vera fuisse miracula, & legitimè comprobata.

Deniq; die v. Nouemb. eiusdẽ anni M. D. XC. VIIII. in vltima Congregatione super hac causa habita apud Cardinalem Gesualdum, ad quam præter ipsum conuenerunt Alexander Medices de Florentia, Augustinus Valerius de Verona, Gallus, de Monte, Borromeus, Antonianus, Antonius Fachinettus Sãctorum Quatuor, & Perettus censuerunt reliqua miracula à Rotæ Auditoribus relata, videlicet sextũ, de sanata à maximo fluxu sanguinis, & septimum de puluere è sepulcro B. Raymundi perpetuò scaturiente, & octauũ de suaui odore ex sepulchro eiusdem Beati prodeunte, eo præsertim die, quo Episcopi Iudices sepulchrum aperuerunt, & vera fuisse miracula, & legitimè comprobata.

OBSREVATIO.

VT Cardinales loca indicata in Auditorum Relationibus, in quibus eos ad processus remittebat, minus molesto labore inuenire possent, singulis Cardinalibus processus singuli, singulæque Relationes eodem foliorum numero sibi inuicem respondentes, antequam Congregationes haberentur, consignata fuere, quod & in alijs Canonizationibus ad minuendum laborem, seruatum nouimus.


Orator Regius iterum instat pro Canonizatione; Cardinales referunt Sanctissimo, quid sentiant, & Sanctissimus per seipsum iterum Auditorum Rotæ Relationem expendit.

Cap. XXXIV.


QVamprimum Cardinales Sacrorũ Rituũ officio suo (sicut habuerãt in mandatis) functi fuerãt, Dux Sessæ Regius Orator, die vj. Nouemb. M. D. XC. VIIII. iterum Regis nomine, vt Sãctissimus ad vlteriora procedere dignaretur, enixe flagitauit. Põtifice itaq; annuente die viii. eiusdem mensis, Alfonsus Cardi-

nalis

nalis Gesualdus, Alexander Medices de Florentia, Augustinus Valerius de Verona, Dominicus Pinellus; de Monte, Gallus, Baronius, Antonianus, Ascanius Columna, Farnesius, Antonius Sanctorũ Quatuor; & Perettus Cardinales Sãctissimo retulerunt, se denuò causam expendisse, & Relationem Auditorũ Rotæ diligẽter vidisse, atq; considerasse, tandemq; eam approbantes in eam venisse sententiam, vt omnia eis ritè parata, probataq; viderentur, vt propterea posset Sanctitas sua, si vellet, ad vlteriora procedere. Et quanquam hæc tunc valdè grata Sanctissimo extiterint, & se causam iam absoluere velle responderit, nihilominus adhuc maturius deliberandum, & per se ipsum ponderandum, expendendumque negotium ratus, Relationem Auditorum exquisita diligentia discussit, & vitam Beati Raymundi à vetusto authore scriptam, & notis meis dilucidatam videre voluit: nullum deniq; prætermisit, aut neglexit studium, ex quo sibi veritas in causa tàm ardua patere potuisset. Itaque tùm ob hanc causam, tùm ob assiduas anni Iubilei occupationes (quo toto tempore Sanctissimus in frequentandis Ecclesiis, responsis peregrinis dandis, obeundis in Hospitalibus, & Cõfraternitatibus, humilibus etiam charitatis officiis, non sine magna eorundem peregrinorum admiratione, & omnium ædificatione occupatus interfuit) vsque in finem anni negotium est dilatum, tametsi antequàm elaberetur, tria Consistoria consueta celebrauerit.



Die 4. Decemb. anni Iubilei M. D. C. Secretum habetur Consistorium, in quo Cardinalis Gesualdus Congregationi Sacrorum Rituum præfectus, Relationem facit super causa Canonizationis. Cap. XXXV.



VBENT præterea sacri libri Rituales, *vt cum Sanctissimo D. N. placuerit, Cardinales Commissarij referant in secreto Consistorio, Primò de excellentia vitæ, & fidei puritate, quæ si iudicabuntur à Collegio benè probata, & digna sanctificatione, tunc procedent ad narrationem, & probationem miraculorum, & de consensu Cardinalium definiet Summus Pontifex vitam, & miracula; quæ ità erunt sufficienter probata. Deindè deliberabunt, an quæ probata sunt, videantur talia, propter quæ meritò sit decernenda Canonizatio: & tunc ex consilio Fratrum definit Pontifex Canonizationem esse faciendam. [lib. 1. sacrar. cerimoniar. sect. 6. c. 1. §. deinde. vers. & cùm placuerit.]*

Hæc in hoc consistorio inuiolabiliter fuere seruata: nam cum die 27. Nouemb. anni Iubilei M. DC. Sanctissimus D. N. per Magistrum Ceremoniarum Alfonso Cardinali Gesualdo significasset, vt se ad faciēdā Relationē præpararet: Die 4. Decemb. mox sequentis Secretum Consistorium est habitum, in quo interuenerunt xxxvi. Cardinales, quibus simul cum Pontifice assidentibus, postquàm Cardinalis retulisset seriem actorum in huiusmodi causa gestorum, & ea deinde, quæ de Beati viri existentia, fidei puritate, ac vita piè sanctèque acta legitime erant probata; Sanctissimus rogatis Cardinalium suffragiis, de eorum consilio decreuit, ea digna esse sanctificatione, & proptereà mox iussit, vt idem Cardinalis relator miracula tam in vita, quam post eius mortem diligenter examinata, ac sufficienter probata referret: quibus narratis, atque eorundem Cardinalium sententiis auditis, Sanctiss. decreuit ad vlteriora pro Canonizatione ritè perficienda procedendum esse; monuitq; eosdem Cardinales vt suis

apud Deum orationibus, ac ieiuniis eum iuuarent, & Ecclesiam suam in re tam graui dirigere dignaretur.

OBSERVATIO.



VOD ait sacer Liber in hoc consistorio definire Pontificem, Canonizationem esse faciendam, prudenter accipiendum est, pro vlteriori processu, id est, omnia iã ità videri præparata, atque probata, vt non sit dubitandum, quin Canonizatio fieri possit, ideòque ad alios actus deueniendum; proprie enim decretum seu definitio super Canonizatione facienda, in tertio fit consistorio, atque eodem modo accipienda videntur, quæ à Canonistis dicuntur de definitione facta in secreto Consistorio [Canonistæ in cap. 1. de Reliq. & venerat. Sanct. relati supra hoc 3. lib. in septimo & octauo requisito] Relationis autem exemplum eiusmodi est.

RELATIO

ALPHONSI CARD. GESVALDI.

BEATISSIME PATER



Nter celebriores Hispaniæ uiros, qui summa eruditione, Religione, ac sanctitatis exẽplo in Ecclesia Dei floruerunt, fuit Frater Raymundus à Pegnafort Barcinonensis, Ordinem Sancti Dominici expressè professus, insignis Iurisconsultus, Gregorij Noni Pontificis Maximi (ob res pro Ecclesia præclarè gestas sempiterna lau-

de digni) Capellanus, & Pœnitentiarius, ac libri Decretalium, quo in scholis, & in foris hodie vtimur, compilator.

Cuius tàm celebris fuit doctrina, innocentiæ, Religionis, *ac Sanctitatis fama, tam copiosa viuentis, & mortui miraculorum frequentia, & virtutum operatio, vt magnus ad viuentem, & post mortem ad eius sepulchrum pro gratiarū impetratione fieret fidelium concursus, & quasi ei Sanctorum honores debiti esse viderentur, de eo in Sanctorum numerum referendo non solum cogitatum, sed sæpius tractatum fuerit.*

Verū cùm hoc negociū per trecētos & amplius annos (Deo ita disponente) dilatum fuisset, tandē Sanctitas Vestra plurimorum præsertim verò claræ memoriæ Philippi II. Hispaniarum Regis *Catholici frequentibus supplicationibus exorata, pro sua singulari pietate, atque prudentia reassumendum esse, & Cardinalibus Congregationis Sacrorum* Rituum *committendum duxit, in qua per quatuor annos de eo actum fuit.*

Cumque omnia, quæ ad illud iuxta Ecclesiasticos ritus perficiendum requiruntur, iam parata esse videantur, iussit Sanctitas *Vestra, vt ego de ijs in hoc sacro loco referrem, quò singulorum*

Reue-

Reuerendißimorum Dominorum meorum sententijs rogatis, quid pro Dei gloria, & Catholicæ fidei exaltatione magis expediat, de ipsorum consilio deliberare, & statuere posit.

Tria autem, Pater Sancte, in hac Relatione præstare conabor.

Primùm seriem actorum in hac causa huc usq; gestorum breuiter, quoad fieri poterit, referã.

Tum, quæ ex scripturis, testibus, alijsque publicis, & priuatis documentis in causa exhibitis de uiri huius fidei excellentia, vitaquè innocentia, & integritate probantur, commemorabo. Quòd si ea Sanctitas Vestra sanctificatione digna esse iudicauerit; mox ad miraculorum narrationem procedam.

Vt igitur primum aggrediar.

Anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo nono, Archiepiscopus Tarraconẽsis, & decẽ Episcopi Regni Aragoniæ, multique Abbates in Concilio prouinciali Tarracone habito, cõgregati, litteras Concilij nomine ad Nicolaum Papã Tertium dederunt, in quibus grauissimo testimonio de »
huius viri eruditione, zelo fidei, morum candore; »
& miraculorum coruscatione reddito, humiliter »
supplicarunt, vt inquisitione præmissa ad eius Ca- »

noni-

„ *nonizationem procedere dignaretur.*

Nicolao vita functo, Consiliarij, & tota Ciuitas Barcinonensis *anno millesimo ducentesimo nonagesimo sexto iterata petitione, quæ prius ad Sedem Apostolicam transmissa fuerat, suis lite-*
„ *ris à Bonifacio* Papa *Octauo Canonizationem*
„ *huiusmodi enixè postularunt, & in ijs literis de*
„ *humilitate, sancta viri conuersatione, modestia*
„ *in opere, gratia in sermone, prudentia in consilijs,*
„ *& continuata post illius obitum* Sanctitatis *opi-*
„ *nione, populiq; ad eius tumulum frequentia, de-*
„ *uotione, atque donarijs, luculentam testificatio-*
„ *nem dederunt.*

Idem fecerunt Rectores nouem Ciuitatum *Regni Aragoniæ, &* Principatus Cathaloniæ *per literas ad eundem Bonifacium* Papam *scriptas anno millesimo ducentesimo nonagesimo octauo.*

Eodem anno Priores, & Fratres Monasterij Sanctæ Catharinæ *Barcinonensis, & omnium Monasteriorum* Ordinis Prædicatorum *in Aragonia, &* Cathalonia *existentium, pro eadem Canonizatione dicto Bonifacio supplicarunt, pluribusque venerabilis viri sanctissimos mores, & præclaros in virtutibus progressus, fælicemq; vitæ exitum significarunt.*

Deinde

Deinde anno millesimo trecentesimo decimo septimo, sedente Ioanne Papa XXII. iterum congregatum Concilium prouinciale Tarraconense apud Pontificem primas instantias Concilij nomine innouauit.

Sequente vero anno millesimo trecentesimo decimo octauo instante Fratre Arnaldo Burgueto Ordinis Prædicatorum Inquisitore & Procuratore ad hanc Canonizationem prosequendã specialiter à Capitulo generali deputato, ad perpetuam rei memoriam, ne testium morte probationes perirent, & ad instructionem Reuerendissimorum Cardinalium dicti Ordinis, & Romanæ Curiæ, examinati fuerunt per Vicarium Episcopi Barcinonensis plures testes super miraculis, quæ de hoc viro circumferebantur.

Postea anno millesimo trecentesimo quadragesimo nono Petrus Aragoniæ Rex apud Clementem Papam Sextum plurimum institit, vt prævio solito processu hunc præclarum hominem, » nitoris munditia, & sanctitatis splendore præfulgentem, per cuius merita, multa, & euidentia » miracula operatus fuerat dominator Dominus, » & iugiter operabatur, Sanctorum Confessorum » catalogo adscribere vellet, vt humanis laudibus » extol-

,, *extolleretur in terris, quem prouidentiæ diuinæ*
,, *ſublimitas (vt in ijs literis dicebatur) honorare*
,, *voluerat in excelſis.*

Ab eo tempore vſque ad fœlicis recordationis Paulum Papam Tertium nihil in hac cauſa actū eſt, niſi quòd idem Pontifex anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſecūdo, ſupplicante Fra-
,, *tre Ioanne à Toleto Tituli Sancti Sixti Cardi-*
,, *nale Burgenſi, habita de eius meritis, ac virtu-*
,, *tibus fide dignorum relatione, & vt pijs Fratrū*
,, *dicti Ordinis Prouinciæ Aragoniæ votis, ac alio-*
,, *rum Chriſti fidelium deuotioni ſatisfaceret, con-*
,, *ceſſit, vt in omnibus Monaſterijs, & Conuenti-*
,, *bus Regni Aragoniæ officium de eo ſolenniter cele-*
,, *brari poſſet, ac ſi Canonizatus eſſet, vt de conceſſione viuæ vocis oraculo facta idem Cardinalis ſuis literis teſtatus eſt.*

Sed cū in dies magis deuotionis ardor in populis erga Fratrem Raymundum accenderetur, illiuſque interceſſione & meritis Dei beneficia in
" *plebem ſuam creſcerent, anno Domini milleſimo*
" *quingenteſimo nonageſimo quarto glorioſæ memo-*
" *riæ Philippus Secundus Hiſpaniarum Rex Ca-*
" *tholicus, & per literas, & per Illuſtrem virum*
" *Antonium de Cardona, & Cordoua Ducem Seſ-*

ſæ,

sæ, eius Oratorem, iteratis precibus Sanctitati Vestræ humiliter supplicauit, vt pluries petitam sub Nicolao Tertio, Bonifacio Octauo, Ioanne Vigesimo secundo, & Clemente Sexto Sanctitatis Vestræ prædecessoribus, prædicti Fratris Raymundi *Canonizationem ad finem perducere, ac Sanctorum catalogo eum adscribere dignaretur.*

Quibus Regis *petitionibus Ciues* Barcinonenses, *totaque ipsa* Cathalonia, *necnon vniuersus Ordo Fratrum* Prædicatorum, *suas etiam supplicationes adiunxerunt.*

His pijs votis, ac studijs Sanctitas Vestra benignè annuens, huius Canonizationis causam in terminis, in quibus tunc reperiebatur, reassumpsit, et Cardinalibus *Cõgregationis* Sacrorum Rituum *examinandam, cognoscendam, & ad finem, vsq; ad sententiam exclusiuè perducendam, ac Sanctitati Vestræ, &* Reuerendissimis *Dominis* Collegis *in Consistorio de more referendam commisit.*

In dicta Congregatione coram ipsis Cardinalibus Frater Michael Llot sacræ Theologiæ Magister, eiusdẽ Ordinis professor, in hac Canonizationis causa Procurator legitimè deputatus cõpa-

rens, nonnullas scripturas antiquas, & alia quædam iura ad ipsam causam facientia produxit, literasq; Compulsoriales pro alijs antiquis scripturis Barcinone *existentibus extrahendis, ac remissoriales pro testibus in partibus examinandis super articulis datis petijt: Quæ quidem* Compulsoriales, *& Remissoriales literæ decretæ, & relaxatæ, atque Archiepiscopo Tarraconensi, & Barcinonensi, ac Vicensi Episcopis, cum opportuna facultate, directæ fuerunt, citato prius, & audito* Procuratore *Fiscali, qui etiam interrogatoria dedit, et certos Procuratores in partibus, qui tàm in extractione iurium, quàm in testium examine citarentur, substituit.*

Prædicti Archiepiscopus, & Episcopi Iudices Commissarij *anno millesimo quingentesimo nonagesimo sexto seruatis seruandis, plures scripturas, & inter alias illius processus anno millesimo trecentesimo decimo octauo fabricati, originale transumptum cum debitis solemnitatibus anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto factum, ac antiquum librum vitã Fratris* Raymundi *continentem, authenticasque alias relationes, & documenta ex Archiuio Monasterij* Sanctæ *Catharinæ* *Barcinonensis dicti Ordinis Prædicatorum*

dicatorum extraxerunt, ac nonaginta, & unum testes super interrogatorijs, & articulis. tum alios ex officio super odore, qui ex ipsius sepulchro, dum aperiretur, suauissimus exhalauit, examinarunt, ac visitato personaliter sepulturæ loco, Fratris Raymundi *ossa inspexerunt, & omnibus, quæ in mandatis habebant ritè executis, processus desuper formatos, & obsignatos transmiserunt.*

Qui citato, & præsente Procuratore Fiscali aperti, & recogniti, ac iuxta stylum facta illorũ interpretatione, de mandato Sanctitatis Vestræ tribus Rotæ *Auditoribus, Seraphino videlicet Oliuario Decano, Petro Francisco Gypsio nunc defuncto, & Francisco* Peniæ*, consignati fuerũt, vt eis diligenter visis, & discussis, Sanctitati Vestræ, vt moris est, scripto relationem facerent.*

Interim Philippo Secundo pijssimo Rege *ad meliorem vitam vocato, Serenissimus* Philippus *Tertius eius filius, & in* Regnis *successor, patris pietatem imitatus, nouis supplicationibus negotiũ* Canonizationis *ad optatum finem à Sanctitate V. estra perduci, & literis, & per eundem Oratorem humiliter postulauit.*

Regis preces Serenissimi etiã Rodulphi Roma*norũ Imperatoris electi petitiones sunt subsequutæ.*

Auditores verò cum per aliquot menses in processibus examinandis diligentem nauassent operã, tandem relationem cum eorum voto ad Sanctitatem Vestram detulerunt, quæ postea relationem ipsam eidem congregationi tradi iussit, vt dictorum Auditorum conclusionibus examinatis sententiam suam diceret, & Sanctitati Vestræ referret.

Præstitimus, Pater Beatissime, quæ Sanctitas Vestra nobis mandauit, habitis super ijs tredecim congregationibus, in quibus accuratè Auditorum conclusionibus discussis, Procuratore Fiscali semper citato, & audito, ac perpensis etiam ijs, quæ super singulis dubijs in suis informationibus idem Fiscalis opponebat, censuimus & ipsi iuxta eorumdem Auditorum sententiam, scripturas, instrumenta, aliaq; iura, & documenta in processu Compulsoriali contenta, legitimè extracta, legitimè quoq; Remissoriales litteras executioni demandatas, omnia denique ad Romanam Curiam fideliter transmissa fuisse.

Præterea in eam sententiam venimus, iura in dicto processu contenta, aliaque in Curia producta releuantia esse, eisque, & antiquo illi processui fidem adhibendam, & ipsum processum in forma

probanti

probanti esse, testesque in eo ritè, & rectè examinatos fuisse.

Postremò ex dictis scripturis, & iuribus, testiumque depositionibus, legitimam, & concludentem probationem resultare de huius viri existentia, fidei excellentia, vita piè sanctèque acta, præclarisque tam in vita, quàm post mortem editis miraculis, ac præsertim tribus dum viueret, & octo post eius obitum, quæ ex magno miraculorũ numero delecta fuerunt.

Hæc de actis Canonizationis.

Nunc de vita dicendum.

Natus est Raymundus Barcinonis, vel (vt alij existimant) in Oppido non procul inde distante, Villafranca de Penades nuncupato, sub annũ Domini millesimum centesimum septuagesimum quintum, Alexãdro Tertio Pontifice, ex nobilibus Christianis, pijsque parentibus.

Adolescens humanioribus litteris, & liberalibus disciplinis operam dedit, in quibus tantũ profecit, vt vigesimo fere ætatis suæ anno coætaneos easdem artes doceret, nullo quidem præmio, sed tantummodò proximos iuuandi desidetio ductus, quo à iuuentute vsq, ad extremum vitæ spiritum

semper

ſemper exarſit.

Tum Bononiã Iuris Ciuilis, & Canonici addiſcendi gratia ſe contulit, vbi doctoratus gradu inſignitus, vt gratis alijs daret, quod à Deo gratis acceperat, ſacros Canones publicè abſque vllo ſtipendio, multa cum laude, eſt interpretatus.

Cum autem poſtea Bononienſis Magiſtratus honorarium ei ex publico conſtituiſſet, pius, ac iuſtus vir tàm de honorario, quàm de omnibus alijs bonis quoquomodo acquiſitis, Deo, & proprio Sacerdoti, ſub cuius Parochia *degebat, decimas fideliter offerebat.*

Eo tempore, cum Berengarius *Epiſcopus* Barcinonenſis Roma *ad Eccleſiam ſuam rediens, Bononia iter faceret, Raymundi Ciuis ſui celebri fama permotus, exiſtimans tantum virum magno dictæ Eccleſiæ ſuæ ornamento, & Chriſti fidelium vtilitati futurum, ſummis precibus ab eo obtinuit, vt ſecum in patriam reuerteretur, vbi poſtea ipſum de* Canonicatu *illius Eccleſiæ prouidit, eiq; etiam vacantem* Præpoſituram *contulit.*

Præfulgebat Raymundus *inter* Canonicos *doctrinæ, & innocentiæ ſplendore, eratque adeo honeſtæ conuerſationis, & gratiæ, vt non modo Clericorum, & laicorum, ſed etiã* Prælatorũ, *ac* Prin-

cipum

cipum oculos in se conuerteret; & cum præclaro vitæ exemplo omnibus bene viuendi normam præberet, omnes ei vicissim magnam reuerentiam; & obseruantiam exhibebant.

Deiparam Virginem peculiari deuotionis affectu venerabatur; quamobrem à prædicto Barcinonensi Episcopo *impetrauit, vt in honorem eiusdē Virginis, Annunciationis festus dies, qui tunc in illa Ecclesia minus solenniter agebatur, sub ritu maioris duplicis in posterum celebraretur, & ex* Præpositura *redditibus certam portionem in distributiones quotidianas erogandam ijs, qui ea die diuinis officijs interessent, assignauit.*

Cum autem in Ciuitatem Barcinonensem *Fratrum Prædicatorum* Religio, *quæ tunc etiam maximè florebat, introducta fuisset, Raymundus, qui ad perfectionem vitæ statum anhelabat, dictorū Fratrum pia conuersatione, & sanctimonia allectus, quadragesimum quintum circiter annum agens, mundi gloria, & fallacibus seculi honoribus contemptis, eum Ordinem die* Parasceues *anni ducentesimi vigesimi secundi supra millesimum est ingressus.*

Quod, vt omnibus admirationi fuit, hominem genere nobilem, ætate maturum, Iuris peritia insignem,

gnem,

gnem, cognatorum, & affinium fauore apud Regem *Aragoniæ pollentem, voluntariam paupertatem diuitijs, sui abnegationem proprijs honoribus, & commodis prætulisse: Ita eius exemplo, & prædicatione commoti plures alij* Clerici, & *nobiles eundem Ordinem sunt amplexi, ac propterea* Prædicatorum Religio *magnũ in dicta Ciuitate suscepit incrementum.*

Regularis effectus totum se contemplationi, & diuinarum scripturarum lectioni dedit. Nihil erat eo humilius, nihil continentius; deferebat omnibus, verbo, exemplo, prædicatione, & confeßionum auditione omnibus prodesse studebat, & quamuis latere cuperet; tamen eius doctrinæ, & exemplaris vitæ fama vndique vulgabatur, & (vt ait Apostolus) iam Christi *bonus odor erat in omni loco.*

Erat in pauperes, præsertim verò captiuos, qui à Piratis *Africæ, & Algerij in misera seruitute detinebantur, charitatis affectu flagrantissimus, quorum tanto studiosior erat, quanto in maiori animæ periculo versabantur, ne fidẽ* Christi *abnegare aliquando compellerentur.*

Cũ itaq; eius hortatu Petrus *Nolascus Gallus, vir pietate, & opibus afflués, cuius ipse cõfeßiones audie-*

audiebat, in pauperum sustentationem, ac præcipue in captiuorum redemptionem; bona sua erogaret; Diuinitus factum est, vt Gloriosissima Virgo eadem nocte dicto Petro, *ac ipsi Raymundo, necnon Iacobo* Regi *Aragoniæ appareret, eisq; significaret, sibi, filioque suo gratissimum fore, si in honorem suũ Ordo Religiosorum fundaretur, à quibus Christiani sub dura Barbarorũ tyrannide degentes redimerentur.*

Ita Ordo Beatæ Mariæ de Misericordia, seu de Mercede redemptionis captiuorum primo institutus est, quem Frater Raymundus, *vt illius auctor, ad certam viuendi Regulam, ac Religionis formam redegit, eiusque confirmationem post aliquot annos à Gregorio Nono obtinuit, primoq; Generali Magistro suis manibus* Religionis *habitum imposuit.*

Cæterum cum Ioannes Cardinalis, *Episcopus Sabinensis, vir clarissimus à* Gregorio *Nono in Hispaniam ad* Cruciatam *promulgandam, & alia grauissima Sedis Apostolicæ negotia peragenda Legatus de latere missus esset, audita eiusdem* Raymundi *sanctitatis, & doctrinæ fama, eũ sibi suæ legationis socium, & ministrum adsciuit.*

Quod munus Raymundus *tanta cum mode-*

stia, humilitate, & charitate exercuit, adeoque prædicando, confessiones audiendo, populosque instruendo, perfectè absoluit, vt conceptam de sua integritate, & eruditione expectationem longè superauerit. Quodque admiratione dignum est, in tàm longo itinere semper pedibus incedere, & ab esu carnium abstinere voluit, Constitutionum sui Ordinis exactissimus obseruator.

Cardinalis autem absoluta sibi imposita prouincia ad Curiam reuersus, cum vnà secum Raymundum popularem auram refugientem adducere nequiuisset, Papæ legationis ratione, vt moris est, reddita, tàm multa de ipsius Raymundi admirabili doctrina, cum vitæ innocentia, & humilitate coniuncta retulit, vt idem Pontifex illius videndi desiderio incensus, eum ad se accersendum duxerit.

Christi itaque in terris Vicarij iussis humiliter obediens Romam venit, quem Pontifex benignè recipiens Capellanum, & Pœnitentiarium suum declarauit, tantumque viri integritati, & doctrinæ detulit, vt grauissima quæque eius consilio expedire consueuerit.

Cumq; etiam eundem suis confessionibus audiendis constituisset, Raymundus (quæ sua erat

erga

erga pauperes eximia charitas) salutaris pœnitentiæ loco Pontifici iniungere solebat, vt pauperum negotia, quanto citius misericorditer expediret, eorumq; iustas petitiones exaudiret; Vnde patris pauperum nomē meritò cōsequutus fuisse dicitur.

Nactus Gregorius tàm insignem Iuris professorem, cogitauit prædecessorum suorum Decretales Epistolas, & Constitutiones in diuersa volumina dispersas, ad communem studentium, & Iudicum vtilitatem in vnum redigere, quod opera, & triennali labore Raymundi ad optatum finem perduxit, vt in procemio Decretalium ipsemet Pontifex testatum reliquit.

Quamdiu Raymundus in Romana Curia vixit, nihil ei antiquius fuit, quàm vt integritatem, & vitæ innocentiam in sancto Religionis proposito illæsam, & ab omni honorum, & dignitatum ambitione immunem conseruaret. Quare sponte etiam oblatas dignitates, & Ecclesiastica beneficia recusauit, ac numquam adduci potuit, vt Tarraconensem Ecclesiam acceptaret; cui cū sub obedientiæ præcepto id Gregorius iniunxisset, tantùm apud eum, opera etiam quorundam Cardinalium egit, vt Pontifex huiusmodi præceptum reuocauerit, Ecclesiamq; alteri, quem Raymun-

dus nominauerat, contulerit.

Posthæc, cum in grauem morbum incidisset, nec Medicorum iudicio sanari posset, nisi patrio solo restitueretur; redeundi in Hispaniam licentiam cum benedictione obtinuit.

E Curia Romana talis exijt, qualis ad eam accessit; nec ipsius animũ eminens Pontificis gratia, vel fauoris aura, aut oblatæ dignitatis ambitio ab humilitatis constantia immutare vnquam potuit.

Reuersus in patriã, confirmataq; valetudine iterũ diuinarum rerũ cõtemplationi vacare cæpit.

Eius tamen licet absentis opera in grauioribus quibusdam rebus Gregorius vtebatur: Extant adhuc nonnullæ ad ipsum Pontificis Epistolæ, quibus aliquorum hæreticorum causas, & absolutiones ei committebat.

Scripsit hoc ferè tempore Raymundus summã de Conscientiæ casibus ad Fratrum suorũ instructionẽ, opus vtilissimũ, à quo cæteri, qui materias Canonicas in summas redegerunt, plurima mutuantur.

Dum Raymundus totus esset in Religiosæ vitæ studio, ac diuina meditatione occupatus, anno millesimo ducentesimo trigesimo octauo, defuncto

Iordano

Iordano secūdo Magistro Generali Ordinis Prædicatorum, *pro successore deligendo* Capitulum Generale Bononiæ *congregatum fuit, vbi cùm electores inter se conuenire non possent, suffragijs in duas partes æque diuisis, habita ab omnibus Fratribus ad Deum oratione in Sacello, in quo corpus* B. *Dominici summa cum veneratione asseruatur, cum iam quater ad electionē deuenissent,* Raymundum *absentē, de quo nulla prius mētio facta fuerat, Magistrū Generalē maxima omniū admiratione elegerūt, qui tertius à* B. *Dominico fuit.*

Magisterium biennio sanctißimè administrauit, regularia instituta in ordinem redegit, & reformauit; Verum tum propter corporis imbecillitatem, tum propter solitariæ vitæ desiderium, lege prius lata, vt Magisterio renunciare liceret, eo sponte se abdicauit.

Magisterio deposito totum se pijs exercitationibus dedit, ijs præsertim, quæ ad proximi emendationem, & fidei, ac Religionis *propagationē proficere possent.*

Quamobrem Iacobo Regi Aragoniæ auctor fuit, ut in suis Regnis *Sanctæ* Inquisitionis *Officiū aduersus Hæreticos, qui tunc ex Valdēsium secta pullulabāt, erigi curaret; eaq; de causa* Raymūdus

Conci-

Concilio Prouinciali Tarracone contra eoſdem Hæreticos congregato interfuit.

Eidem Iacobo Regi ſuaſit, vt bellum in Saracenos, qui tunc nobiliſsimas Hiſpaniæ Ciuitates, et maris Inſulas maximè infeſtabant, continuaret.

Hunc etiam Regem ad Baleares Inſulas proficiſcentem comitatus eſt, vt prædicatione, & diſputatione Agarenos, & Iudæos ibi commorãtes, ad Chriſti fidem conuerteret, Regiſque confeſsiones audiret.

In quo munere, cum Regem Chriſtiana libertate reprehenderet, quanta etiam fidei excellentia præſtaret, inſigni transfretationis miraculo declaratum eſt, vt ſuo loco dicetur.

Infidelium ſalutis erat Zelantiſsimus, quos vt ad caulam Dominici gregis ſuauiter traduceret, atq; ex eorum oculis cæcitatis tenebras depelleret, prædicationibus, hortationibus, et admonitionibus continuo inſtabat; atque ita infideles eius colloquijs delectabantur, vt eum propterea maxima veneratione proſequerentur.

Curauit inſuper, vt in Hiſpania ſtudium linguæ Hebraicæ, & Arabicæ diuerſis in locis, & ſui Ordinis Monaſterijs inſtitueretur, vt Chriſti fideles eaſdem linguas edocti, facilius illorũ perfidiam

fidiam

fidiam arguere, & impietatis iacula, eorũ quasi armis, retundere possent.

Infinitam propemodum multitudinem Iudæorum, & Saracenorum assidua prædicatione, & disputatione ad Catholicam fidem conuertit.

Erga Neophytos autem ita erat affectus, vt peculiarem eorum curam gerere videretur, eisq; à Regibus, & Ecclesiæ Prælatis necessaria ad vitæ sustentationem summa charitate procurabat.

Ab Episcopis, Ecclesiarumque Rectoribus de rebus dubijs frequenter consultus, piè, prudenterq; respondebat, ac præcipuam hanc à Deo, cuius recta sunt consilia, gratiam est consequutus, vt quicunque ad eum accederent, voti compotes redirẽt; tàm benignè eos excipiebat, & humaniter alloquebatur.

Ita vixit, vt Religiosos, & sæculares, fideles, et infideles; bonos, et malos, exẽplis consilijs, vitæ puritate, & sanctitate in sui admirationẽ traheret.

Erat in diuinis officijs, & orationibus assiduus; sacrosanctum Missæ sacrificium singulis ferè diebus tanta cum deuotione offerebat, vt omnes non modicam ex hoc ædificationem acciperent; noctes integras in diuinis laudibus, & meditationibus transigebat, lachrimis affluebat, flagellis, et verbe-

ribus

ribus corpus suum castigabat, & in seruitutē spiritus redigebat; Angeli custodis visibili consuetudine, & domestica quadā familiaritate, & amicitia honestatus fuit, qui eum à somno ad orationem, & sancta exercitia peragenda excitabat.

In cibis parcitatem, semel enim tantùm in die (Dominicis exceptis) comedebat, in colloquijs modestiam, in gestibus grauitatem, in cōsilijs, & monitionibus circumspectionē, in cæteris moribus perpetuam honestatem, & puritatem seruabat.

Cœlestem hanc potius, quàm humanam uitam cum triginta quinque annis à Magisterio deposito, in terris vixisset, cupiens iam dissolui, & esse cum Christo, receptis prius Ecclesiæ sacramētis, coram se positis Fratribus, & orantibus, ferè centenarius ipso die Epiphaniæ anni millesimi ducentesimi septuagesimi quinti obdormiuit in Domino.

Eius funus duo Reges Iacobus Aragoniæ, & Alphonsus Vndecimus Castellæ, qui tunc Barcinonem cum quatuor filijs suis diuerterat, ac multi Prælati, & Episcopi præsentia sua cohonestarūt, ac proprijs manibus in marmoreo sepulchro cum vniuersæ Ciuitatis concursu, & maxima sanctitatis opinione condiderunt.

Fugit

Fugit viuens Raymundus *semper mundanos honores; mortuus Regia obsequia est consequutus.*

Hæc sunt, Pater Beatissime, quæ de viri huius excellentia fidei, vitaque sanctitate dicenda erant; Nunc Sanctitas Vestra statuat, an ea sint, quæ sanctificatione digna esse videantur.

Reliquum est, *Pater Sancte, vt de miraculis dicam.*

Atque illud in primis recensebo, quod post Fratris Raymundi ab Vrbe discessum, magna adstantium admiratione, vt ad Gathaloniæ portũ, quem Tossã vocant, à nonnullis sui Ordinis Fratribus associatus appulit, eius precibus primo factum est.

Cum enim ad ipsum in dicto portu existentẽ quidam loci incola Barcelus de Faro nuncupatus, nauicula ductus esset; qui, dum in messem incumberet, ita graui morbo correptus fuerat, vt loquendi facultate, omnibusque corporis sensibus amissis, penitus immobilis, ac morti propinquus, si non mortuus, iaceret; nec sæpius vocatus, tractis etiam capillis, responderet, immo nec infusam ori aquam deglutire posset, ipse Raymundus, *infirmi animæ misertus, maximam*

in Dei misericordia fiduciam habens, vbi ab oratione surrexit; proprio nomine infirmum vocauit, cumque eum interrogasset, an peccata sua confiteri vellet, is tanquam è somno excitatus id statim; & velle se, & maxime optare respondit: Confessione itaq; peracta & absolutione ab eo accepta, nihil amplius loquutus spiritū Deo reddidit.

Sequitur secundum de maris transfretatione, in quo maxima Sancti viri fides enituit.

In altera ex Balearibus Insulis, Maiorica nūcupata, apud Iacobum Regem aliquandiu commoratus, quem, vt animæ suæ curam gereret, illuc sequutus fuerat; cum sæpius eum de Pellice, quā cum omnium offensione retinebat, dimittenda commonuisset; & si Rex *id se præstiturum semper polliceretur, videns tamen eum promissis non stare; seque nihil suis hortatibus, ac monitionibus proficere; Bartinonem redire statuit; quod* Rex *ægre ferens; omnibus nautis sub pœna capitis imperauit, vt nemo eum in Nauim reciperet: Nullo igitur nauta reperto, qui eum traijceret; socio suo dixit:* Rex *iste mortalis fecit, vt sibi placuit, verum* Rex *æternus de optima nobis Nauicula prouidebit; Itaque Spiritu Dei ductus ex portu de Sollar ad mare descendens, expanso super aquis*

pallio,

pallio, & erecta eius ora instar veli ad baculum, quo velut malo vteretur, signo Crucis *munitus mari se commisit, sociumque vt secum transiret, hortatus est: sed cu m ille recusaret, ex Insula soluit, ac leni vento, prosperoque flante, recto cursu, sex horis, centum sexaginta milliariorum itinere confecto, omnibus circum littora nouum nauigationis genus admirantibus* Barcinonem *peruenit: & reassumpto pallio minime madefacto, ad Monasterium Sanctæ* Catharinæ *sui* Ordinis *circa meridiem perrexit; ianuamque nemine reserante ingressus, populi applausus, ac mundi gloriam fugiens, magnaque cum humilitate Deo gratias agens in Ecclesiam se recepit; cuius miraculi magnitudine* Rex *permotus, statim se emẽdauit: Extant eius rei in hunc vsque diem, præter constantẽ famam, scriptorumque omnium consensum, ac plurima alia antiqua documenta, & probationes, vestigia Turris, & Capellæ in dicto portu de Sollar ad rei memoriam antiquitus ædificata, & ipsum in primis pallium quod adhuc hodie in rei testificationem summo cum honore asseruatur; cuius contactu* Christi *fideles quotidie à varijs corporis languoribus, & infirmitatibus, singulari* Dei *beneficio, liberantur.*

Ss 2 *Ter-*

Tertium miraculum in Fratre Martino eiusdem Ordinis Conuerso contigit. Is dum vehemẽtibus carnis stimulis diu, noctuq; agitaretur, admiratus singularem deuotionem, qua Frater Raymundus *sacrosanctum Missæ sacrificium Deo offerebat, summa fiducia de eius sanctitate concepta, asiduis precibus Deum rogauit, vt illius meritis, ab ea tentatione liberaretur:* Cum *igitur quadam die Missæ, quam* Raymundus *celebrabat, deuotè interesset, viso in ipsius manibus, dum sacram* Hostiam *populo ostenderet, speciosissimo puero, ita voti compos factus est, vt omni postea libidinis sensu caruerit, tantò maiorem gratiam consequutus, quantò animi ægritudines, corporis morbis grauiores, & curatu difficiliores eße solent:*

Hæc eo viuente.

Ipsa verò nocte, qua migrauit ad Dominum, illud sanctimoniæ suæ signum visum est, quod cum Gulielmus de Villaragut, incurabili lepræ, seu potius Elephantiæ morbo, à multo tempore detentus, in corpore, & tibijs ita vlceratus eßet, vt ob immensos dolores sæpè febri corriperetur, ac equitare, & alia negocia peragere nequiret, neq; varijs medicamentis adhibitis, sanari potuisset,

ſet, memoria repetens viri ſanctitatem, ſeq; ei ex animo commendans, vt ſuis precibus ſibi à Deo eius infirmitatis curationem impetraret, cōfeſtim mundatus eſt; quare poſtridie in publicum incolumis prodijt, & , vt miraculum omnibus teſtatum faceret, cerea brachia, & tibias cum lepræ cruſtulis in Eccleſia appendi iuſsit.

Mortuos plures eiuſdem interceſsione, & meritis ad vitam reuocatos fuiſſe traditur; ſed de cuiuſdam Margaritæ quatuor circiter annos natæ, Ioannis Phyſici filiæ reſuſcitatione plene conſtat: Hæc longa febri, ac dyſenteria exhauſta, paulo poſt meridiem expirauit, eamque iam mortuam eſſe, omnia mortis ſigna demonſtrarunt: Romea *igitur Margaritæ mater, quæ paulo ante filiæ obitum ad ſepulchrum Beati* Raymundi *acceſſerat, eius ſanitatem petitura, cum ibi profuſis lachrymis, ſummiſque precibus oraret, à marito de morte puellæ admonita, atque ideo domum ſæpius reuocata, maiori filiæ deſiderio incenſa, ſtatuit inde non diſcedere, donec illam viuam recuperaret: Ingentem matris orantis fidem reſpexit Deus, eiuſq; preces per merita* Beati *Viri exaudiuit, ac Margaritam ſub occaſum Solis vitæ, & ſanitati ſimul reddidit; quæ ſequēti die pro gratiarum*

rum

rum actione ad templum proprijs pedibus incedens ducta fuit, ac quatuordecim annos superuixit.

Alia mulier etiam Romea nomine, Michaelis de Sala vxor tres continuos dies, ac noctes grauibus pariendi oppressa doloribus, ita in mortis periculum adducta, vt fœtus etiam ipse, quem iam eniti cœperat, in pari vitæ discrimine versaretur, dum maritus eam Beato Raymundo *commendaret, præter cæterorum spem omni dolore liberata, partum fæliciter in lucem edidit.*

Ad hæc cum iuuenis quidam viginti integros dies febri correptus; ac viribus plane prostratus, in cubiculi pauimento, vt quiescens reficeretur, collocatus fuisset, pauimentum ipsum in aceruũ lapidum simul cum infirmo corruit, quo ex lapsu iuuenis grauiter læsus, atq; concussus, omniumq; corporis sensuum expers, semimortuuss iacebat; Inter multos autem illuc propterea accurrentes repertus est, qui aliquantulum pulueris è sepulcro Beati Raymundi *emanantis penes se habebat, cuius parte ad infirmi collum alligata, parte in os iniecta statim respirare, ac loqui cœpit, pristineque sanitati fuit restitutus.*

Accedunt etiam recentia quædam miracula;

alterum

alterum anno millesimo quingentesimo octuagesimo nono in persona nobilis viri Michaelis Amat, qui peste correptus, à Medicis derelictus, sacramento extremæ Vnctionis munitus, iamq; moribundus, cum se Raymundo *toto corde cõmendasset (ore enim non poterat) visus est sibi apparere, & ipsum tangere, quo facto sine vllis medicamentis illicò conualuit, eodemque die incolumis è lecto surrexit.*

Alterum verò anno millesimo quingentesimo nonagesimo sexto in persona Annæ Beneta *domicellæ* Barcinonensis, *cui cum Epiphaniæ nocte maximus sanguinis fluxus ex ore repente contigisset; accersitique Medici, &* Chirurgi, *aliquibus medicamentis adhibitis, nihil profecissent, ac propterea se ad mortem præparasset, allato parum de puluere ex* Beati *Raymundi sepulchro, eoque cum aqua epoto, subito melius se habere, & conualescere cœpit, & post aliquot dies nullis alijs acceptis medicinis, vt Deo gratias ageret, ad Ecclesiam se contulit.*

Magnum autem est ad viri huius sanctitatem declarandam perpetuum illud miraculum, quod ab antiquo loculo, in quo primum Sancti Viri corpus humatum fuit, puluis quidam, seu tenuis

terra perpetuò emanat, nec vnquam per tot ſecula defecit, quamuis de ea continuo efferatur, cuius tanta vis eſt, vt cum aqua hauſta, aut infirmis applicata, febres curet, morboſq; depellat.

Demum (quod ſemper miraculo, ac ſanctitatis indicio tributum eſt) non omittendum videtur, ea die, qua Iudices deputati ad eius oſſa recognoſcenda acceſſerunt, vbi Arca, in qua aſſeruabantur, reſerata fuit; ſuauiſsimum quendam, ac plane cæleſtem odorem exhalaſſe, quem plurimi ſenſerunt quos Deus ea gratia dignari voluit præcipuè verò Ludouicus *de Claramont, qui cum per decem, & octo annos odoratus ſenſu caruiſſet, tunc illum integrum recuperauit.*

Hæc, Pater *Beatiſsime, conſtanti fama & antiquiſsimis ſcripturarum documentis, oculatis etiã plurimorum teſtificationibus comprobantur.*


Accedit præterea Cathalanorum, & Aragonenſium, totiuſque Hiſpaniæ populorum perpetua deuotio in Beatum virum, quem vltra trecentos annos, vti ſanctum, & cæleſti gloria perfruẽtem, venerati fuerunt, eius ſepulchrum viſitarunt, opem apud Deum in ſuis difficultatibus ſupplices implorarunt, & donaria cõtulerunt, tabellas etiã gratiarum obtentarum indices appendendo; vt

procul-

proculdubio piè credendum videbatur, non passurum fuisse Deum, qui summa veritas est, tot populos de Catholica fide, & Christiana Religione benemeritos tamdiu errare.


Quamobrem Cardinalibus Congregationis sacrorum Rituum, *vna omnium sententia, visum fuit, Sanctitatem Vestram posse ad vlteriora procedere pro Canonizatione ritè perficienda.*

OBSERVATIO.




AVCIS aliquot diebus, antequam secretum hoc Consistorium haberetur, D. Cardinalis Gesualdus hanc suam Relationem in eo faciendam Typis imprimendam, & ad singulos Dominos Cardinales transmittendam prudenter curauit, vt tempore, quo illam habiturus esset, paratiores, instructioresque forent.

Die vi. Decemb. anni Iubilei M. D. C. publicum habetur Consistorium. Cap. XXXVI.



E hoc habendo Consistorio in antiquis libris Ritualibus S. R. E. ita scriptum est. *fit posthæc publicum consistorium, in quo Pontifex cum pluuiali rubeo, & mitra pretiosis residet, & Aduocatus causæ longa oratione proponit vitam, gesta, & miracula Canonizandi & demum supplicat nomine Principum, & Populorum, qui de ea re scripserunt, bonæ memoriæ talem ascribendum esse à sua Sanctitate Catalogo Sanctorum Christi, vtque à cunctis fidelibus pro Sancto veneretur, decernendum.* Pontifex audito

Aduocato laudat eius facundiam, dicit libenter se audiuisse tam miranda illius viri præconia. Velle tamen super hac re maturius cum Fratribus suis deliberare, hortari, atque monere omnes, vt Diuinam clementiam implorent, quatenus dignetur aspirare in mente sua, & Fratrum suorum S. R. E. Cardinalium, atque omnium Prælatorum, quorum consilio in tanto negotio sit vsurus, ea, quæ suæ placitura sunt diuinitati; neque permittat errare Ecclesiam suam Sanctam. Prælatos vero monet, vt super his cogitare debeant, vt cum requisiti fuerint, mature possint respondere. His dictis finitur Consistorium. [lib. I. sacrar. ceræmoniar. sect. 6. cap. I. §. fit posthæc] Iuxta hanc ergo regulam Sanctissimus D. N. in publico hoc Consistorio habito in aula Regia, resedit assidentibus xxxviij. Cardinalibus, & multis Regum Oratoribus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & Prælatis præsentibus, innumeraq; nobiliũ multitudine concurrente. Quamprimum ergo Cardinales omnes suo ordine Sanctissimo obedientiam præstiterunt, Bernardinus Scottus sequentem habuit orationem, cui suæ Sanctitatis nomine Marcellus Vestrius respondit.



ORA-

ORATIO BERNARDINI SCOTTI AVLAE CONSISTORIALIS ET SERENISSIMI D. PHILIPPI III. Hispaniarum, ac Indiarum Regis Catholici, Aduocati,

Habita coram S. D. N. D. CLEMENTE PAPA VIII. cum eiusdem PHILIPPI Regis *nomine, in publico Consistorio pro Canonizatione* B. RAYMVNDI Barcinonensis *instaret.*

Die 16. Decemb. anno Iubilei M. D C.



ESTATAM diu, ac manifestam omnibus gentibus, summam Dei prouidantiam (Beatissime Pater) clarioremreddere mihi videtur hodierna dies, in qua agitur de B. Raymundo Ordinis Prædicatorum, inter Sãctos per Sanctitatem Vestram referendo, supplicante Philippo tertio Hispaniarum Rege Catholico, quem trecentis ab hinc annis, rebus humanis exemptum, & sanctitate vitæ, & miraculorum præstantia illustrem, varij Hispaniarum Reges apud multos Romanos Pontifices Sanctitatis Vestræ prædecessores, Sanctis adscribi postularunt. Quamquam enim Dei opera, immensæ eius sapientiæ luce circumfusa, humanæ mentis solertia comprehendi minimè poßint (quis enim sufficit enarrare opera Dei? quis inuestigabit magnalia eius? cum consumauerit homo, tunc incipiet, & cum quieuerit operabitur) multis tamen de causis à singulari eius prouidentia factum esse omnes intelligunt, vt hæc

Tt 2 *deliberatio*

deliberatio diu suscepta, sæpiusque intermissa hucusque dilata sit, quas & si humana fragilitas ipsa per se complecti non possit, Deus tamen pro sua summa in humanũ genus pietate nonnunquam ita mentes nostras collustrat, vt abscondita etiam eius iudicia, non solum inuestigare, verum etiam assequi valeamus; quod sapientissimus ille Salomon optime illis verbis expressit, cum dixit; sensum autem tuum quis sciret, nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum sanctum tuum de Altissimis? Inter præcipuas autem causas, quibus boni omnes assequi possunt, Deum Optimum Maximum, Sancti huius Canonizationem iure optimo in hoc tempus reseruasse, duæ mihi potissimæ esse videntur: Altera, vt Philippus tertius Hispaniarum Rex Catholicus, qui cum primum regnorũ suorum gubernacula suscepit, huc curas, & cogitationes omnes, in ipso adolescentiæ flore conuertit, peculiarem sibi aliquem patronum ex regnis suis oriundum eligeret, cuius meritis, & precibus, ab ipso bonorum omnium auctore Deo, spiritum benè regnandi obtineret, quandoquidem illius est consilium, & æquitas, illius prudentia, & fortitudo, & per eum Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt: Altera vero, vt hoc ipso anno, in quo, in remissionẽ peccatorum, præcipuè depromitur immensus ille thesaurus meritorum passionis Redemptoris, ac Domini Nostri Iesu Christi, decerneretur beatorum catalogo adscribendum esse eum, qui viuens, vti summus Pænitentiarius eiusdem thesauri Apostolica auctoritate, pro mensura potestatis attributæ fidelissimus fuit, & prudentissimus dispensator. Interea vero dum ego, pro virium mearum imbecillitate, iniunctum onus exequor, ac beati Raymundi vitam, & miracula breuiter attingo, quibus, vt arbitror, apertè liquebit, iuxta consuetum S. R. E. ritum, Beatum hunc virum in Sanctorum numerum esse referendum, quæso, obtestorq; Te (Beatissime Pater) vt orationis meæ cursus, aura benignitatis, ac facilitatis tuæ adiuuetur.

Beatus Raymundus de Peniafort, natione Cathalanus, patria Bareinonensis, natus est anno ferè centesimo septuagesimo quinto supra millesimũ: nobilitatem generis, de qua multa verè, & copiose dicere possem, cum illã plerique regiam autument, consulto prætermitto, cum ad eius viri laudem pertinere minimè videatur, qui viuens admirabili quadam Christiani animi celsitudine, fluxa, & caduca omnia huius vitæ ornamenta contempserit. A puero, Christianis moribus, & humanioribus litteris à parenti-

bus imbutus, tales, ac tantos progressus fecit, vt & admirarentur omnes, & in certam spem venirent, vt summæ sapientiæ, summæque probitatis vir aliquando euaderet; illius enim ætatis simplicissimi mores, & maior quædam ad virtutem indoles, quàm ætas ipsa ferret, tam satis indicabant, quæ sanctitatis, quæ virtutum omnium futura esset maturitas. Adolescens grauiorum studiorum desiderio incensus, relicta patria, vt ciuilium legũ, ac Sacrorum Canonum studia coleret, Bononiam, eruditissimis viris, & liberalissimis studijs affluentem, tamquam ad insigne bonarum artium emporium sese contulit, quo in loco non cœli mutatio, non parentum, ac propinquorum absentiá, non coetaneorum exempla, vt aliquando deplorauit Augustinus, effecerunt, vt quidquam de anteactæ vitæ curriculo deflexerit; quinimo maximis vigilijs, summa cum in Deum pietate coniunctis, vsque adeo in vtraque Iuris disciplina profecit, vt post lauream doctoralem ibidem honorifice susceptã, in eadem Academia à Senatu, Populoque Bononiensi publico honorario donatus, ius canonicum fuerit interpretatus. Multa hic à me necessario prætermittenda sunt B. Pater, nec ad augendã tanti viri laudem exigua, nec S. V. ad audiendum, vt arbitror, iniucunda; verum præstituti ad dicendum temporis angustiæ, me dicentem ad maiora vel inuitum trahunt. Beatus igitur Raymundus Barcinonensis Episcopi precibus adductus, magno totius Ciuitatis mærore, Bononia relicta, patriũ solum repetijt, vbi ab Episcopo, & Capitulo beneficijs, & honoribus auctus, Ecclesiæ, Episcopo, & Populo vniuerso maximè vtilis fuit. Non diu tamen in eadem vocatione permansit; sentiens enim lubricum, ac præcipitem esse Mundum, in quo laqueis, & periculis plenissima sunt omnia, nõ solum cum Dauide ad Dominum clamauit: Quis dabit mihi pennas, sicut columbæ, & volabo, & requiescam; sed etiam cum eodem vere cecinit: Ecce elõgaui fugiens, & mansi in solitudine: Diuino enim lumine collustratus, impulsu Spiritus sancti, fugit è patria inferiori, ac terrestri, vt Abraham, iterque illud arripuit, quod ad illam superiorem, ac cælestem tendenti, tutius, atq; expeditius esse intelligebat, fugit vt Loth, & recta ad demonstratum montem, eius asperitatem minimè veritus, se recepit: mons enim quidam est religio ob altitudinem status, sed mons coagulatus, mons in quo beneplacitum est Deo habitare; fugit denique vt Iacob, & in ea terra conquieuit, in qua vidit scalas, quibus in Cœlum conscenditur: cum enim in ipsis se-

sis ferè nascentis ordinis incunabulis, S. Dominici Fratres Barcinonem peruenissent, pium eorum institutum, ac integros mores pro summa eius prudẽtia, & pietate cõprobans, illico nomẽ in eam sodalitatem dedit: in qua quidem ita vixit, vt in omni genere virtutum supra ætatem, supra vires præstare ceteris, & antecellere videretur; ita vt tyro veteranis, nouitius exercitatis, ac omnibus in ipsa Religione degentibus, tamquam exemplum continentiæ, humilitatis, & obedientiæ, omnis denique virtutis semper proponeretur. Interea vero dum ipse dulcissima in Domino quiete frueretur, & Ordinis sui Fratribus, totique ciuitati morũ candore, doctrinæ præstantia, & frequenti verbi Dei prædicatione, viam sterneret ad salutem; ne tãta virtus, qua Mundus vniuersus illuminari poterat, vnius ciuitatis angustijs contineretur, diuina voluntate factũ est, vt Ioannes Cardinalis Sabinen. à Gregorio nono legatus de latere in Hispaniam missus, ad sanctam Cruciatam, contra Saracenos prædicandam, Raymundi virtutem eximiam, ac mores admiratus, eum sibi præcipuum tanti muneris ministrum adiunxerit. Operæ autem in eo munere à Raymundo nauatæ, nullum illustrius testimonium afferri potest, quam eiusdem Cardinalis iudicium, qui legatione perfunctus; quod ab ipso Raymundo, pro summa eius humilitate obtinere nequiuerat, facile à Romano Pontifice impetrauit; nimirùm vt idem Raymundus Romam, idest, in hoc amplissimum totius Orbis theatrũ, in hanc rerum omnium lucem veniret. Excepit eum summa cum benignitate Gregorius, vtque erat ingeniorum æstimator acerrimus, cum breui nonnullis in rebus, singularem eius virtutem, summa cum pietate coniũctam, ita expertus esset; vt longe eius expectationem superasset, non illum solum selegit, vt sibi à confessionibus esset; sed etiam Cappellani, & Pænitentiarij dignitatibus, quæ tunc etiam in Romana Curia primario loco erant, decorauit. Nullus orationis meæ finis esset, si ea omnia singillatim persequi vellem, quæ toto illo tempore, quo in Vrbe fuit, ad Dei laudem, & gloriam, & fidelium salutem operatus est Raymundus: illud vnum tamen non omittam, à quo reliqua omnia metiri facile possumus, quodque adhuc omnium, præsertim Iuris peritorum consensu, & gratissima memoria, summum iudicatur: Cum enim diuersas Constitutiones, & Decretales Epistolas prædecessorum suorum in diuersa sparsas volumina, resecatis superfluis, & sublatis contrarijs, ad communem Christianæ Reipublicæ vtilitatem, in vnum volumen

redigi summopere exoptaret Gregorius, ratus ei negotio Raymundi industriam, propter singularem eius doctrinam, opportune adfuturam, rem tantam eidem committendam decreuit. Quamquam autem pro summa eius humilitate, se tanto muneri imparem existimaret, sentiens tamen obedientis nomine dignum minime esse, legitimo superiori voluntatem, & iudicium suum non submittere, nihil cunctatus, Pontificis imperium summis vigilijs, ac incredibili labore est exequutus; ac tandem id effecit opus, quo vniuersa Respublica Christiana, in omnibus controuersijs, præsertim Ecclesiasticis regitur, & gubernatur, quodque hodie Gregorij noni Decretales appellamus. Maiora eiusdem Raymundi opera, ac studio fretus, animo conceperat, & absoluisset Gregorius, nisi eum vis morbi maior, quam vires ferre possent, medicis certam alioqui mortem denunciantibus, vel inuitum, summo cum Pontificis mærore, Vrbe relicta, patrium cælum repetere coegisset: quo cum peruenisset, pristina valetudine recuperata, licet orationi totus, ac contemplationi ita deditus esset, vt non in terris mortalis viuere, sed in Cælo iam immortalis cum Christo regnare videretur, non tamen se eo studio à charitatis, ceterarumq; virtutum officijs abduci patiebatur: proinde cum Pænitentiarij munere, vel inuitus adhuc fungeretur, ex vniuersa Hispania, confluentes ad se homines, non sine lacrymis, vt alias Ambrosius, admissorum peccatorum, & censurarum nexibus liberatos, diuina quadam consolatione repletos dimittebat. Episcopis instantibus perutilem visitandi formam, regendique Ecclesias sibi commissas tradidit: confessarijs, ac animarum rectoribus, summa casuum conscientiæ composita, quoddam quasi lumen prætulit: & mercatores ipsos docuit, qua ratione mercaturam piè, ac Christianè exercerent; Et quo erat singulari studio præditus conseruandæ, & augendæ veræ, ac Catholicæ Religionis, ad debellandam Iudæorum, & Saracenorum perfidiam, non solum Iacobo Regi Aragonũ, cui erat à conscientiæ secretis, persuasit, ut in hereditarijs regnis sanctæ inquisitionis officium, auctoritate Apostolica instituendum curaret; sed etiã, vt ijdem facilius cognita veritate resipiscerent, Magistro Ordinis annuente, Regibus ipsis Castellæ, & Aragonum adiuuantibus, Collegium fundauit, ex quo postmodum plures eius Ordinis Religiosi Arabicæ, & Hebraicæ linguæ peritissimi prodierunt; qui infinitam prope miseræ illius gentis multitudinem ad fidem Catholicam conuerterunt. Ab his studijs nihil

tale ſperans, ac ne cogitans quidem pauliſper reuocatus, ad propriæ Religionis gubernacula animum adijcere coactus fuit, poſtquam defuncto Iordano primo poſt Sanctum Dominicum Generali totius Ordinis Magiſtro, licet abſens, in Capitulo Generali Bononiæ habito illi omnium conſenſu ſuffectus eſt. Magiſtratu inito, licet quamplurima in dies ageret, quibus Magiſtratu ipſo digniſſimus agnoſcebatur, pro ſumma tamen eius humilitate, parendi nimirum longe, quam imperandi cupidior, exacto biennio, dolentibus Patribus, in alio Capitulo Generali, quod etiam Bononiæ celebratum fuit, Magiſterio ſe abdicauit. Cumq; Barcinonem lætus admodum rediſſet, priſtina ſtudia, ac ſolitas contemplationes, nouo quodam ardore animi, ac ſeuerioribus etiam legibus, non repetijt ſolum, ſed in eis quoq; ad obitum vſq; perſeuerauit, ita vt eius in cælum, communemq; patriam curſum, quem adoleſcentiæ feruor, & æſtus numquam deflexerat, ſenectutis lenitudo nullo modo retardarit; quod enim præcipue in proximis adiuuandis, in perſequendis Hæreticis, ac Saracenis, vel vt conuerterentur ad Dominum, vel vt meritas pœnas luerent, anni negabant, tribuebat pietas, & quantum de corporis viribus diminuerat ſenectus, tantum ad animi robur nouus ſemper ardor addebat. Hiſtoriarum ſcriptores ſingillatim monumentis ſuis commendabunt æternitati ea omnia, quæ triginta quinque annorum ſpatio poſt Magiſtratum abdicatum, ſumma cum laude perfecit Raymundus; mihi enim, ne longior ſim, prætereunda ſunt omnia, ac ad eius fælicem exitum, & miracula, quibus mea concludatur oratio, eſt properandum. Senio iam, ac vigilijs confectus Raymundus lumbis præcinctis, & cum ardentibus lucernis, quorum alterum ad caſtitatem, alterum ad bonorum operum aſſiduam exercitationem refertur, quibus ipſe præcipue refulſit, aduentum Domini expectans, in morbum incidit, quo inſtar deficientis ignis paulatim conſumptus eſt, & Beatiſſimus eius animus, ſolutis vinculis, quaſi emergens è tenebris, relinquens concretum, & mortale corpus in illam ſempiternam domum triumphans euolauit, ipſo Epiphaniæ die, anno Salutis noſtræ milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo quinto. Potes tu, Beatiſſime Pater, poteſt quiſque, vel me tacente, ex ſe ipſo conijcere, quis fuerit circumſtantium luctus, & eiulatus, quis non vnius monaſterij, in quo degebat, ſed totius Religionis fletus, quis ploratus pauperum, quis dolor, & gemitus Barcinonenſium;

quis meror totius Hispaniæ: communem enim omnium charitate parentem ereptum, Dominicanæ Religionis propugnaculum, Cathaloniæ decus, Hispaniæ præsidium, orbis terrarum lumen extinctum, omnes verissime lamentabantur. Reges ipsi Castellæ, & Aragonum, qui illius exequijs vnà cum filijs interesse voluerunt, satis declararunt, quantum ex illius interitu dolorem concepissent. Verum ne videar Sancti huius viri mortem deplorare potius, quam vitam enarrare, ad eius miracula mea conuertatur oratio. In quibus quidem explicandis, cum innumerabilia sint, vt modū mea inueniat oratio, peritum pictorē imitabor, qui si in exigua tabella ingentem aliquam multitudinem hominū velit exprimere, præcipuis quibusdam figuris omnibus numeris absolutis, aliquorū tantum summa capita, aliorum solas manus, multorum tantum pedes eo artificio effingit, vt illorum tamen corpora omnibus partibus absoluta videantur, sic ego nonnullis miraculis fusius explicatis, multis omissis, eorum aliqua solum attingam, nonnulla indicabo, quibus tamen facile quisq; intelligat, quam præclara, quam illustria sint omnia. Inter illa autem, quæ viuens adhuc effecit Raymundus, primum illud occurrit, quod in portu, qui dicitur Tossa, in littore Cathaloniæ operatus est, dū Vrbe relicta Barcinonem cogitaret. Eo in loco cum forte constitisset, nonnulli pij homines, nauicula impositum ad eum adduxerunt quendam nomine Barcelò de Faro, quem dum messem faceret, ea vis morbi corripuerat, vt sensibus omnibus ereptis, pene mortuus ab omnibus putaretur: motus misericordia Raymundus, cœpit eum interrogare, num vellet confessionis Sacramēto propria peccata diluere, verùm cū nec clamoribus, nec membris ipsis varie distortis excitatus, quidquā vnquam respondisset, salutē animæ illius multo magis miseratus, sciens quod oratio humiliantis se penetrat nubes, & quod respicit Dominus orationem humilium, & non spernit preces eorum, summis precibus, vnà cum quattuor Fratribus eius socijs, & reliquis astantibus à Deo Optimo Maximo contēdere cœpit, vt misero confitendi spatium cōcederet: finita oratione, concepta q; fiducia de misericordia Dei, qui voluntatem timentium se facit, & deprecationem eorum exaudit, iterum infirmum suo nomine compellauit, rogans, vellet ne peccata sua confiteri. Dictu mirabile, qui diu clausis oculis iacuerat immobilis, illico illis apertis, non solum articulate respondit, volo Domine, & hoc ipsum summopere expetiui, sed etiam, remotis arbitris, longo sermone, ex-

 plicatis

plicatis peccatis omnibus, absolutione accepta, nihilque aliud elocutus, obdormiuit in Domino; vt inde omnibus clarè appareret, loquendi facultatẽ, quam assecutus fuerat, non naturali alicui causæ, sed Sancti viri precibus, in illius animæ salutem, attribuendam esse. Huic proxima fuit insignis gratia, quam cum euidenti miraculo, eius meritis a Deo obtinuit quidam Frater conuersus, cui nomen erat Martinus, qui cum stimulis carnis mirũ in modum vexaretur, Raymundi sanctitatem, ac deuotionem, præsertim in Missarum celebratione admiratus, vt eius meritis aliquod remedium obtineret à Domino, expetere numquam destitit: nec Sancti merita, nec precantis spem frustratus est Dominus. Quodam enim die, sacrum faciente Raymundo, ac Dominicum corpus eleuante, non solum in eius manibus, Martinus proprijs oculis vidit Christum Saluatorem augustissima specie fulgentis pu eri formam referentem, sed etiam ab illo temporis momento ab impura illa tentatione est omnino liberatus. Summum vero ac illustre, omnium iudicio, illud æstimatur miraculum, quod Sanctus hic vir edidit, dum apud Iacobum Aragoniæ Regem in Insulis Balearibus moraretur: Deflexerat aliquantulũ de recta regione Rex adhuc iuuenis, alioquin Princeps optimus; cum enim puellæ vnius amore flagraret, eius consuetudine ita vtebatur, vt ab ea Beati viri, qui ei erat à confessionibus, nec precibus, nec imperio diuelli posset. Raymundo itaq; Barcinonem redire volenti, ne quodammodo publici scandali particeps videretur, quamquam Rex ipse, specie quidem discedendi licentiam concessisset, re ipsa tamen, ne discederet, edicto capitali cauit, ne quis nautarum illum nauigio transmittendum exciperet: duplici in portu tentatis nautis, cum Regis propositum nouisset, sperans fore, vt æterni Regis prouidentia mortalis Regis prudentiam eluderet, solo socio comitatus, cum ad extremitatem quarundam rupiũ prominentium in mare peruenisset, iacto super vndas pallio, signo Crucis munitus, super illud ascendit; socioq; modicæ fidei recusanti pariter ingredi, imposito, vt Priori, & Fratribus denunciaret, de qua nauicula ei Rex Cælestis prouidisset, erecta in altũ, ad modũ veli, medietate pallij infixi baculo, velut in arbore, totusq; ad eius radices cõplicatus, in albis sedẽs, leni, placidoq; vento afflante, hora quasi tertia soluit à littore. Dum vero & nautæ omnes, tanti miraculi spectatores, fusis lacrymis se ipsos accusarent, quod, Dei seruum, spreto Regis edicto, non recepissent, & socius, propriam sibi incredulitatem

dulitatem

dulitatem exprobando, nullum lacrymis, nullum modum faciens clamoribus, vniuersam pene ciuitatem, Regem etiam commouisset ad contemplandum locum discessus: Raymundus ipse secundissimo vento, contento cursu, non solum sex horarum spatio Barcinonem appulit, sed etiam spectantibus, & admirātibus ciuitatis Consiliarijs, quos speculatores in alto monte constituti, rei nouitate permoti excitauerant, proprio pallio non madefacto indutus, cunctis humiliter salutatis, ad eius loci Monasterium sui Ordinis, recta contendit; in quod etiam cernentibus omnibus, qui illum secuti erant, clausis ianuis intrauit: nimirum, vt ad maiorem Dei gloriam, insigne miraculum, multa complectens miracula, quod etiam secuta Regis in prænarrato lapsu pœnitentia magis comprobauit, nouo miraculo clauderetur; cum verè præter ordinem totius naturæ sit, vt mortalis homo leuissimo pallio vectus, eodem vero nulla perfuso aqua, sex horis, centum sexaginta millium passuum iter, nemine cursum ad destinatum locum dirigente, per mare conficeret. O fælices terrarum oræ, in quas tua Vir Sanctissime, virtus delata est: O beatos illos homines, quibus contigit ea videre, quæ adhuc omnis posteritas admiratur, & admirabitur in futurum. Non minora tamen his post fælicem eius obitum subsecuta sunt miracula, quorum in primis illud sese offert, quod in ipso ferè Sancti viri fælici obitu, eius meritis operatus est Deus. Fœdissimo lepræ morbo Gulielmus de Villaregut vir nobilis, ac Regis Aragonum aulicus ita detinebatur, vt vlceribus plenus, cum iam humana remedia omnia incassum esset expertus, omnem recuperandæ pristinæ sanitatis spem abiecisset. Hospitabatur ipse fortè tunc temporis apud quendam Bernardum de Molendinis Canonicum Barcinonensem, à quo audito in B. Raymundi obitu Fratrum Prædicatorum æris campani sonitu, opportunè admonitus, vt se Beati viri precibus, & intercessioni commendaret, spei, & fiduciæ plenus, non illud solum illico præstitit, sed etiam, quod breui, feruenti tamen oratione postulauerat, est consecutus; postquam horribili illa tabe confestim liberatus est, Deo Opt. Maximo, & Beato viro gratias debitas egit, delato quoque ad Prædicatorum Ecclesiam simulacro tibiarum, ac brachiorum ex cera conflato, ad tanti miraculi memoriam sempiternam. Consulto omittam, quod Romeæ vxori Michaelis de Sala contigit, quæ per tres dies integros grauissimis parturiendi doloribus agitata, & in euidenti mortis articulo constituta,

Beati Raymundi meritis à suo viro commendata statim partu feliciter edito, conualuit; quoniam eius miraculi, quod statim subnectam, mortuæ, inter alios plures, ad vitam reuocatæ claritas, et amplitudo, illius quodammodo splendorem obscurare videtur. Vnica erat eius parentibus filia nomine Margarita, quæ tres, aut quatuor annos nata, dum primo in longam febrim incidisset, mox ventris fluxum passa, morbi vim diutius ferre non valens, quadam die, circa meridiem, vitam cum morte commutauit. Mater, cuius præcipuè solatium erat filia, lacrymans ad B. Raymundi sepulchrum confugit, vbi mœrore se conficiens, Deum, & B. virum continuo precando; vt eius filia curaretur, & reuiuisceret; dum ibi, perpetuo remansura, nec marito physico, ob certam mortem filiæ, domum illam reuocanti obtemperat, nec precandi, lacrymandiq; finem facit, circa occasum Solis, Margarita iam mortua ad vitam incolumis reuocata, matri incredibili prope cum lætitia, & gratiarum actione restituitur. Nec vero solum variè oppressis piè Raymundum inuocantibus succurrit aliquando Deus, verum perenni quodam miraculo mortales ipsos etiam inuitauit, ad eius opem implorandam, dum ex eius sepulcro ab eo ipso die, quo in eo positus fuit, vsq; ad hodierna tempora, tenuis quædam terra perpetuo emanat, quam cum ad depellenda omnia malorum genera, tum præcipuè ad curandas febres, apprimè vtilem, vniuersa fatetur Hispania; quod & ego nuper in me ipso, hisce temporibus, quartana febri laborante, verissimum plane perspexi; reuocato enim per Sanctitatem Vestram Canonizationis negotio, per plures menses intermisso, dum ex improuiso ea de re certior factus, morbo, & angustijs temporis pressus, varijs cogitationibus, tanquam fluctibus agitarer, piè, ac opportunè admonitus, vt de benignitate Dei, & Sancti patrocinio confisus, beatæ illius terræ vim experirer, die sequenti cum duobus proximis, quibus febris vrgere solebat, non illud solum præuia humili Sancti ipsius deprecatione præstiti, sed etiam primo illo die longe mitius, quàm antea à solo æstu inflatus, reliquis duobus ne leuiter quidem à febri tentatus, pristinæ valetudini sum restitutus. Possent ad beatæ huius terræ diuinam plane virtutem detegendam plura adduci exempla, verum duobus, antiquo altero, altero recenti ero contentus. Iuuenis quidam febri per multos dies male affectus, debilis admodum, dum certo in loco, ad afflictum animum recreandum positus esset, pauimento repente collapso, suo ipsius

pondere

pondere grauis, ex eo loco in pauimentum inferius lapidibus stratum, ita decidit, vt immobili corpore, ac multa sanie ex naribus profluente, cum absque sensibus, pro mortuo ab omnibus habitus iacuisset, non ita pridem eius collo particula dictæ terræ, quam vnus ex astantibus secum habebat, fuit alligata, ac eius ori imposita, vnde statim non respirare solum, ac loqui cœpit, sed etiam omnibus admirantibus, & Beatum virum collaudantibus, pristinæ saluti est restitutus. Non sanè autem, anno scilicet Quingentesimo nonagesimo sexto supra millesimum, Anna Beneta Domicella Barcinonensis inopinato, ac perenni fluxu sanguinis, ex ore defluentis pene exanguis reddita, medicis ipsis de eius salute prorsus desperantibus beatæ illius terræ cum aqua mixtæ epoto poculo, & statim melius se habere cœpit, & nullis alijs adhibitis remedijs breui prorsus conualuit. Recentiorum huiusmodi miraculorum, in quæ incidimus, ratio postularet, vt Michaelis Amat viri nobilis, pestilentia anno millesimo quingentesimo octuagesimo nono Barcinone grassante, eo morbo ad extremum vsque laborantis, ac beati viri intercessione liberati, rem totam fusius explicarem, verum sat sit illam indicasse, ac mea, recenti quidem, sed suauissimo miraculo concludatur oratio. Anno millesimo quingentesimo nonagesimo sexto, pridie nonas Aprilis, cum Barcinonem conuenissent Tarraconensis Archiepiscopus, ac Barcinonensis, et Vicensis Episcopi, iudices remissoriales, Beati Raymundi sepulchrum ad eius existentiam explorandam aperturi, diuina factū est voluntate, vt statim atque reserata fuit arca, sacras illas continens reliquias, is odor emanauerit, vt non humanitus adhibitus, sed plane diuinitus effusus esse cognosceretur, ita cum nonnulli ex innumerabili prope astantis populi frequentia, quos Deus tali beneficio dignatus fuit, suauitatē illius non sine ingenti admiratione sensissent, ijdem quoque verissime affirmauerint, nihil illo odore fuisse, aut cogitari potuisse iucundius: quin ad augendum miraculum, inter eos extitit Ludouicus de Claramont, qui per decem, & octo annos olfactu penitus priuatus, illo ipso die non solum suauissimum odorem sensit, sed etiam amissi odoratus sensum integre recuperauit. In quo quidem miraculo quis singularem Dei prouidentiam non agnoscat? dum enim eo præcipue tempore contigit, in quo de eo viro in Sanctorum numerum cooptando tractabatur, piè credendum est, diuinitus eo consilio ab eius sepulcro odorem illum

exhalasse, vt illius, qui diuino quodam, non humano more vixisset, odoris iucunditate, ne mors quidem humana putaretur; & vt mortui corporis fragrantia, & odor suauitatis ostenderent, in eo corpore auctorẽ suauitatis existere, ita vt alacrius, ac fidentius in ipso Canonizationis negotio procederetur, prout adhuc fœliciter factum extitit, cum non solum Sacri Palatij causarum Auditores, causa eis à Sanctitate Vestra delegata, Viri sapientissimi, ac diuini, humaniq; Iuris peritißimi, sed etiam ex hoc supremo Christiani orbis cœtu, delecti Patres, eadem causa, diu, multumq; cognita, congruentibus sententijs, Beatum virum Sanctorum Catalogo merito adscribendum censuerunt.

Quæ cum ita sint B. P. non aliud reliquum esse videtur, quam, vt certißimo, supremoq; S. V. iudicio tanto operi fastigio imposito, Beato illi viro vniuersalis Ecclesia altaria statuere, simulacra, tabulasq; pictas dedicare, sacra facere, solemnes precationes publico ritu decantare poßit; in cuius honorem, multis ab hinc annis Paulus III. S. V. prædecessor, eximia eius Sanctitate, ac creberrima miraculorum operatione intellecta, vt solemne eius festum, & Missas celebrare poßent, omnibus Conuentibus Ordinis Dominicani Prouinciæ Tarraconensis facile indulsit. Petierunt hoc olim post Tarraconense Concilium, ac Cathaloniæ Principatum, à Nicolao III. Iacobus II. & Petrus IIII. Aragoniæ Reges, tum à Bonifacio VIII. tum à Clemente VI. alijsq; Romanis Pontificibus S. V. prædecessoribus: petijt nuper sæpißime clari nominis Philippus II. Hispaniarum Rex Catholicus; hoc ipso vero tempore, maiorum suorum vestigijs inhærendo, Philippus III. re ipsa non minus, quam nomine Rex Catholicus, id non solum a S. V. petit, sed summopere expetit. Postulant denuo Tarraconensis Prouinciæ Episcopi omnes; requirũt Cathaloniæ Principatus, Ciuitasque Barcinonensis, flagitat vniuersus ordo Dominicanus & vt vno verbo complectar, hi omnes id nõ solũ summopere optant, sed eam etiam tanti beneficij S. V. atque huic S. Sedi memoriam pollicentur, quam nulla vnquam vetustas obruet, nulla vnquam delebit obliuio.

RE-

RESPONSIO R. P. D.
MARCELLI VESTRII
BARBIANI
SECRETARII APOSTOLICI
DOMESTICI SANCTISSIMI D. N.
CLEMENTIS PAPAE VIII.



VOD Ecclesiarum Præsules Regni Aragoniæ fel.rec.Nicolao Papæ III. ac Reges etiam duo Iacobus nimirum II. Bonifatio VIII. trecentis,& amplius ab hinc annis,& aliquanto post Petrus eius nominis IV.Clementi VI.ac integræ nationes,& populi plerisq; alijs Romanis Pontificibus supplicarunt,vt B.Raymundus à Peniafort Barcinonensis, III. Ordinis Prædicatorum Generalis Magister, quem diuina clementia doctrinæ splendore, & sanctitatis,ac miraculorum fama illustrauit, solemni ritu in Ecclesia Dei inter Sãctos Confessores adscriberetur, Sanctissimus D.N.qui per Dei gratiam eandem Petri Sedẽ tenet,ac fidem,ijs demum peractis,quæ ad eam rẽ perficiendã necessaria sunt, suo tẽpore duos etiã Hispaniarũ Reges Catholicos, claræ scilicet memoriæ Philippũ II. & Charissimum in Christo filium suum Philippum III. qui modo feliciter regnat,præ cæteris omnibus hoc ipsum postulasse, & ante libenter audiuit;& nũc libentissimè audit. Ex omnibus siquidem causis,quæ ad Apostolicam Sedẽ deferuntur, nullam Pontificalis huius Audientiæ Throno digniorem, magisve propriam hac vna esse censet,qua insignis eorum, qui piè,& iustè vixerunt,sanctitas approbãda proponitur Romano Pontifici, supremo in terris Vicario Christi Domini, qui Sãctus Sanctorũ est, & qui solus homines sanctificat in veritate.

tate. Atq; hunc honorẽ ijs deferre, qui æternæ beatitudinis compotes sancti sunt apud Deum, vt sancti ab hominibus etiam habeantur, idque omnibus gentibus nunciare, & opera Dei reuelare, ac confiteri non modo laudabile, & honorificum, sed etiam vniuersæ Ecclesiæ vtile esse sentit, & fructuosum. Cum enim Sanctorum cultus augetur, Deus magis laudatur in Sanctis suis, & Christi fideles, qui eos inuocant, cœlestis gratię dona multiplicatis intercessoribus facilius assequuntur. Quamobrem Sanctitas sua diuturnam de hoc Beato viro in Sanctorum catalogum referendo petitionem maxime probat, in qua singularem Regis pietatem, & constantẽ populorum eius deuotionem summopere commendat. Et quidem ea, quæ de Beati Raymundi moribus, vita, & miraculis copiosè dicta sunt, fidẽ faciunt summę eius Sãctitatis, ac virtutũ omniũ, quę Sãctis propriè sunt. Sed quoniã ijs de rebus statuendũ est, quæ humana trãscendunt, & ad superna pertinent; Sanctissimus. D. N. maturius adhuc cũ his Venerabilibus Fratribus suis S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis deliberãdum esse existimat. Quare oẽs in Domino hortatur, & monet, vt inprimis acta, quæ de illius vita, & miraculis confecta sunt, diligẽti examine perpẽdant, deinde orãtes in spiritu, & in ipso vigilantes in omni instãtia Deum humiliter deprecentur, quod sua Sãctitas sine intermissione faciet, vt Ecclesiã Sanctam solito suo numine regat, omniũ cordibus spiritũ veritatis infundat, & quid in hac grauissima cõsultatione ad diuini nominis gloriam, & augmentũ Catholicæ Religionis decernendum sit, omnipotenti suo digito ostendat.

OBSERVATIO.

OLim, vt in antiquis codicibus Sacrorum Rituali ũ Romanæ Ecclesiæ legitur, sex aut octo Prælati solebãt in hoc Consistorio successiuè orare, narrantes merita Canonizãdi, et supplicãtes pro Canonizatione. Aduocatus aũt in principio solũ petebat à Põtifice, ut Prelati audirẽtur, et supplicabat, vt Canonizatio decerneretur; Cæterũ in melius hãc cõsuetudinẽ reformatã satis docet sacrarũ ceremoniarũ vsus, quò cessat multiplicatus ille tot Prælatorũ oran-

orantium strepitus. Quod autem ad Aduocatum Consistorialem attinet, id ex antiqua satis consuetudine receptum est: cùm enim ante aliquot secula causæ graues in Consistorio tractarentur, solis Aduocatis Consistorialibus dicendi in Consistorio facultas erat. Atq; inde retenta consuetudo, vt non nisi aliquis de Collegio Aduocatorum Consistorialium has orationes habere soleat. Sed illud præterea obseruari vidimus, si in Collegio Aduocatorum Consistorialium sit aliquis Aduocatus de Dominio illius Principis, qui Sanctum petit Canonizari, ille eligatur, vt oret, vt in hac causa Bernardinus Scottus Mediolanen. pro qua intercedebat Rex Hispaniæ Dux Mediolani.

Die xxij. eiusdem mensis Decemb. tertium Consistorium habetur apud S. Petrum. Cap. XXXVII.



DE hoc Consistorio celebrando in libris sacris Ritualibus ita constitutum inuenio: *Posthæc, cum placuerit Sanctissimo Domino nostro, vocentur omnes Prælati Curiæ in Secreto Consistorio cum Pontifice, & Sacro Collegio, & ibi proponat breuiter Sanctitas Sua, ad quid vocati sint; deinde si placet, per Aduocatum faciat summatim repeti vitam, & miracula Canonizandi, & quæ sunt probationes in genere tantùm. Posthæc narrat quanta cum diligentia, & fide inquisitio, & processus super hac re factus sit, de multiplici & canonica attestatione, de instāti Principum, & populorum postulatione. Et demum conscientiam illorum onerando, exquiret sigillatim à quolibet suam in ea re sententiam, & cum omnes finierint, agit gratias de bono consilio, & hortatur eos, vt orent Deum, ne sinat se errare in tanto negotio, & sic omnes recedunt. In hoc Consistorio debent interesse Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, ad quos pertinet tantùm dicere sententiam suam. Poterunt interesse aliqui Protonotarij Ordinarij, vt sint rogati de his, quæ gerentur; Aderunt etiam Auditores Rotæ, & maximè commissarij causæ, vt si quid esset declarandum, possint, vt benè informati, mentes aliorum declarare. Summus Pontifex erit cum mitra, & pluuiali: Procurator Fiscalis aderit, & faciet rogatos Protonotarios de Consilio, & consensu Prælatorum.* [lib. 1. sacrar. ceremon. sect. 6. cap. 1. §. posthæc.]

Resedit ergò Pontifex in hoc Consistorio habito apud S. Petrum in aula Ducum (quæ tapetibus serico, auroq; intertextis ornata gratissimum præbebat aspectum) assidentibus xxxvij. Cardinalibus, vno Patriarcha Hierosolimitano, Septem Archiepiscopis, xxviij. Episcopis, sex protonotarijs participantibus, xj. Rotæ Auditoribus, Magistro Sacri Palatij, Marcello Vestrio Secretario Domestico, & Pompeio Molella Procuratore Fiscali: & quoniam in hoc Consistorio hęc actio sacrosancta, & grauissima Pontificis oratione, & tot prudentium, magnorumque virorum iudicio, atque suffragio peracta fuit, merito assidentium nomina recensenda fuere.

CARDINALES.

Alfonsus Gesualdus Episcopus Hostien. & Archiepiscopus Neapolitanus, Sacri Collegij Decanus.
Ptolomeus Gallius Episcopus Portuen. Comensis.
Hieronimus Rusticuccius Fanensis Episcopus Sabinensis.
Antonius Maria Saluiatus Romanus.
Augustinus Valerius Episcopus Veronen.
Dominicus Pinellus Genuen.
Fr. Hieronimus Bernerius Corrigiēsis Episcopus Asculanus.
Antonius Maria Gallus.
Euangelista Palottus.
Marianus Perbenedictus Camerinen.
Fr. Gregorius Petrochinus Montelparen.
Paulus Camillus Sfondratus Mediolanen.
Benedictus Iustinianus Genuen.
Franciscus Maria de Monte.
Hieronimus Matheius Romanus.
Octauius Aquauiua Neapolitanus.
Flaminius Plattus Mediolanen.
Federicus Borromeus Mediolanen.
Franciscus Maria Taurusius de Monte Politiano.

Camillus

Camillus Burghesius Romanus.
Laurentius Blanchettus Bononien.
Franciscus Mantica Vtinen.
Pompeius Arigonus Romanus.
Dominiens Thuscus Regien.
Arnaldus Dossat Gallus.
Paulus Aemilius Zacchia ex Nobilibus de Vectiano Ligur.
Siluius Antonianus Romanus.
Robertus Belarminus Politianus.
Bonuisus Bonuisius Lucensis.
Odoardus Farnesius Romanus.
Antonius Fachinettus Bononien.
Cinthius Aldobrandinus Senogalliensis.
Bartholomeus Cęsius Romanus.
Franciscus de Sourdis Gallus.
Alexander de Este.
Ioannes Baptista Detus Florentinus.

Patriarcha.

Fabius Blondus Patriarcha Hierosolimitanus.

Archiepiscopi.

Christophorus Boncompagnus Bononien. Archiepiscopus Rauennaten.
Alfonsus Pisanus Archiepiscopus Sanctæ Seuerinæ.
Ludouicus de Torres Archiepiscopus Montis regalis.
N. Vrbinaten.
N. Malphien.
N. Salernitanus.
N. Ragusinus.

Episcopi.

Melphien. Fanen. Lauden. Aretinus. Castrensis. Perusinus. Nouarien. Papien. Casertanus. Nicastren. Carpentoracten.

Lucen. Bobien. Curzolen. Thianen. Aquinaten. Sidonien. Volaterranus. Cerrensis. Cariaten. Montaltus. Sulmonen. Nerotinen. Aliphen. Polignanus. Literen. Montepelusen. Vabien.

Protonotarij participantes.

Anselmus Dandinus.
Hieronimus Auila.
Ioannes Franciscus de Balneo.
Lucas Stella.
Franciscus Iustinianus.
Alexander Matheius.

Rotæ Auditores.

Hieronimus Pamphilius Vicedecanus.
Franciscus Penia.
Garsias Millinus.
Alexander Litta.
Andreas à Cordoua.
Alexander Iustus.
Horatius Lancellottus.
Franciscus Sacratus.
Ioannes Baptista Coccinus.
Alexander Ludouisius.
Hermannus Ortembergus.

Cum Collegio Auditorum Rotæ accessit etiam Frater Ioannes Maria Brasichellensis Sacri Palatii Magister ex Ordine Prædicatorum, locum tenens solitum post primū Auditorem Rotæ.

Occlusis ergo magnæ aulæ foribus, miroque silentio facto, Pontifex grauem, pium, & Pontificia Maiestate dignum sermonem exorsus, vnitatem, & consensionem fidei Catholicę, quam semper tenuit, tenet, retinebitq; perpetuò usq; ad finem sæculi Sancta Catholica, & vniuersalis Ecclesia Ro-

mana a Spiritu sancto diuinitus inspirata, recta, & gubernata, multo rationum, argumentorumque pondere demonstrauit. Nam quasi ab exordio nascentis Ecclesię, repetitis initijs docuit, diuersis tēporibus, in diuersis Cōcilijs, à diuersis Episcopis, Ecclesięq; Doctoribus eādē fidei vnitatē Catholicarū dogmatū veritatē, Apostolicāq; doctrinā, cōtrà rebellantes hæreticos, exurgentesq; hæreses (qui Sathanico furore acti, diabolicaque superbia tumidi eandem in diuersis locis, atque temporibus, vel de Ecclesia tollere, vel saltem mendaciorū, & falsarum doctrinarum nebulis obscurare conati sunt) vnanimiter traditam, explicatam, & Apostolico huius sedis iudicio diffinitam, stabillitamque fuisse: nullibique vnquàm tempore magis diuinum creuisse cultum, amplius Religionem Catholicam incrementum suscepisse, quàm cùm Hæretici, Tyranniq; Principes eorum fautores sæuire in Catholicos, euertere templa, & Ecclesias, abolere Christianorum sacra, & ritus conati sunt; tūc.n. Diuina prouidētia & gratia factū, vt quasi in aciem Catholici prodeuntes, licet sæpe in certaminibus, exquisitis tormentorum generibus vitam finirent, victores tamen euadentes, innumeras secum traherent credentium, piorumque cateruas, ac interdum carnifices ipsos illustres facerent Confessores, & fortissimos Christi martyres: vndè sæpè fiebat, vt qua potissimùm arte Tyranni extingui Ecclesias, & aboleri Christianorum Catholicorum posse nomen crederent, eadem magis auctum latius regnaret, & gloriosius triumpharet. Quoniam, vt diuinitus scriptum reliquit Sanctus leo, *non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur, & semper Dominicus ager segete ditiori vestitur, dum grana, quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur.* Rursusque diuinam prouidentiam singulis ætatibus, sæculis, atque temporibus egregios produxisse viros Sanctitate vitæ, literis, & auctoritate præstantes, vt in hanc quasi militantis Ecclesiæ palestram descēdentes, contra inimicos Ecclesiæ pugnantes, eos expugnarent, verbo, & doctrina docerent imperitos, sisterent vacillantes,

S. Leo sermo. 1. in natali Apostolorū Petri, & Pauli.

tes, martyrio dubios confirmarent. Cùmque de hoc argumento Sanctissimus latè disseruisset, inde occasione captata ad Raymundū sermone conuerso, ostendit, diuina prouidentia factum, vt cum illa sæcula tulerint, vt exemplo, doctrina, & vitæ Sanctitate multis præsertim in prouincia sua profuisset; atque ità cum in altera orationis parte plurima de eius Sanctitate, primarijs actionibus, præcipuisque miraculis disseruisset, duo potissimū retulit, quæ & Rotæ Auditoribus & Cardinalibus, quibus causa cōmissa fuerat, in mētē in toto causæ discursu non venerunt. Primùm Raymundi Sanctitatem, illo etiam potissimum argumento non obscurè indicari, quòd duo potentissimi Reges Castellæ, & Aragoniæ, ad publicas eius exequias cohonestandas vnà cum filiis Principibus prodierint, cùm non esset verisimile tales, ac tantos Reges, pauperi fraterculo tàm insignem exhibituros honorem, nisi notissima illius Sanctitas, multa miraculorum corruscatione munita, & explorata compulisset. Alterum (cum de miraculo transfretationis maris dissereret) Raymundum minus formidasse monstrum maris, quàm monstrum peccati Regis, cui (ne se graui etiam pollueret scelere) noluit consentire. oratione finita

Primum Cardinales ordine antiquitatis seruato grauiter & prudenter (vt pondus causæ suo iure postulabat) sua tulere suffragia, qua in re valdè eorum fuit in primis prudentia, pietasque laudanda, cùm vno consensu omnes Ecclesiæ Catholicæ decus, & honorem sibi potissimum inspiciendum conseruandumque proponentes, Raymundum deinde (si ita Sanctissimo videretur) consecrandum censuerint. Post Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi dixere sententias, qui etiam Canonizari posse Raymundum (si eadem Sanctissimo sederet sententia) concluserunt.


Denique Sanctissimus auditis suffragijs de consilio, & cōsensu eorum, Canonizandum Raymundum decreuit. Mox Pompeius Molella hæc, alta voce, protulit verba.

Et ego

Et ego Pōpeius Molella S.D.N.& Cameræ Apost. Procurator Fiscalis vos omnes Protonotarios, Secretarios, & Notarios Apostolicos hic præsentes rogo, vt de Consilio, consensuq & eruditissimis votis Illustrissimorum & Reuerendissimorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, & aliorum Prælatorum, ac de Summi Pontificis doctissima oratione vnà cum Relatione totius processus in causa præsentis Canonizationis Beati Raymundi, vt inter Sanctos Dei annumeretur, vnum, vel plura, publicum vel publica conficiatis instrumentū, vel instrumenta ad perpetuam rei memoriam.

His absolutis stante Cardinali Gesualdo, rogantèque vt Sanctissimus declararet, quo die Canonizationem celebrare vellet, id sibi Pontifex reseruauit, decreuit tamen ad vlteriora procedēdum, & tandem hortatus est, & monuit omnes, vt orationibus, ieiunijs, & eleemosinis adhibitis diuinā Clementiam implorarent, vt in re tàm graui Ecclesiam suam dirigere dignaretur. Atq; ita consistorium dimissum est.

OBSREVATIO.




X his apparet in hoc vltimo Consistorio secreto cum Prælatis Curiæ celebrato reuerà definiri causam, et super Canonizatione facienda decretum interponi, & propterea cauendum ab his, quæ Canonistæ Hostiēsem secuti docuerunt, nempè in hoc Consistorio rogari Prælatorum suffragia, suppressa tamen & tacita definitione iam facta; licet enim ea praxis eo fortassis sæculo viguisset, nunc tamen aliter (vt patuit) res peragitur: Eodemque modo prudentiori formula reformatum videtur, quod mox ijdem Canonistæ subiungunt, Romanum scilicet Pontificem in die Canonizationis paulò antequam sententiam pronunciet, coram Fratribus, Clero, & populo sermonem facere ac processum, & in eo probata recitare. Neque enim ea ceremonia nunc in vsu est amplius, cùm in secreto Consistorio ea iam Sanctissimus retulerit, & solùm agat, quæ peragenda supersunt. vt mox explicabitur [canonistæ in cap. 1. de reliq. & venerat. sanctor. & alij citati supra hoc 2. lib. cap. 1. vers. præmissa hæc]

OB-

OBSERVATIO ALTERA.

POST interpositum à Pontifice super Canonizatione celebranda Decretum multa, & fieri, & præparari iubentur, quæ singulari diligentia in sacris libris Ritualibus recensentur, ea nos ad quinque potissimum capita reduci posse censemus, nempè ad Ecclesiæ, in qua est Canonizatio celebranda ornatum, ad ornamenta Pontificis, altaris, & ministrorum, ad sollemnem Pompam, siue supplicationem, aut processionem, quæ in ipso die consecrationis ad eandem Ecclesiam fieri solet, ad actum ipsum Canonizationis, siue prolationis sententiæ: & deniquè ad offertorium, quod de certis quibusdam rebus peculiari modo, & ceremonia in hac sacrosancta actione fieri solet, quibus absolutis, nihil iam amplius supererit in hoc libro dicendum.

De ornatu Ecclesiæ. Cap. XXXVIII.



E materia huius capitis in libris sacris Ritualibus sic scriptum extat. *Deliberabitur deinde dies Canonizationis, & interim in Ecclesia constituitur suggestum ligneum tantæ amplitudinis, vt super illud instituatur, apteturque capella cum altari, credentijs, throno Pontificali, Sedibus Cardinalium assistentium Papæ, Oratorum, Prælatorum, choro pro cantoribus, & locis omnium Ordinum Romanæ Curiæ ad instar capellæ palatij Apostolici à Cancellis, & supra, quoad formam sedium, & capacitatem. In eo suggestu erunt duæ sedes Papales, vna eminens ad sinistram partem, & alia erit amouibilis: ascendetur ad suggestum per pontem cum duplici hostiolo à capite, & in imo, ornabiturq; suggestum in extremitatibus circumcircà cum herbis, & floribus, & intus, cum pannis, & tapetis opportunis ornabitur Ecclesia, & suspendentur per totum insignia Pontificis, Ecclesiæ, & imago Canonizandi, atque etiam insignia procurantium Canonizationem: fiet Baldachinum nouum cum insignibus Pontificis, Procuratorum petentium Canonizationem, & imagine Sancti, quod debet suspendi super altare vbi Pontifex celebrabit.* [*lib. 1. sacrar. ceremoniar. sect. 6. cap. 1. §. deliberatur deinde.*]

In

In hac Canonizatione, quãtum attinet ad locum, vbi celebrata fuit,& ipsius ornatum,res ità se habuit. Apud Sanctum Petrum in Vaticano consecratio est facta,in qua Ecclesia celebrari solent Canonizationes,quando Romæ fiunt, & merito,quia tàm insignis actus iure,huic Ecclesiæ deberi videbatur: voluit autem Sanctissimus vt in Ecclesia noua fieret, & super altari Apostolorum sacrum celebraretur. Quamobrem sicut Romanus Pontifex auctoritate cæteros antecellit, & Ecclesia hæc, quæ nunc ingenti sumptu construitur, cæteras totius Orbis Ecclesias magnitudine, & admiranda mole superat,ita necessarium fuit talem, ac tantũ ornatum adhibere, qualem & negotij grauitatem, & Regis Catholici Maiestatem decebat.

Itaque primum ingredientibus per veterem in nouam Ecclesiam,diuersis in locis ad impediendum confusum populi confluentis ingressum,vallorum instar ex firmis lignis parata sunt septa,angustaq; in his hostiola constituta, quæ ab armatis Heluetijs custodiebãtur: paulo post versus altare Sanctorum Apostolorum alia item septa constructa,eundẽ prohibebant confusum, irruentemque populi ingressum: mox post Apostolorum altare, suggestum,quod Tabulatum vocant, ex varijs lignis firmissime cõsignatum 120. palmorum longitudinis, 60. vero latitudinis constructum est, ità vt vbi altius eminebat, sedesque Pontificia superstabat, quatuor palmorum altitudinis esset, mox verò quasi se molliter deijciens,vbi cum infimo gradu altaris Apostolorum se coniungebat,vnius palmi altitudine parum plus eminebat. Hoc planè totum constructum, ornatumque erat pannis coloris viridis, qui in publicis locis, vbi Pontifex celebrare solet, consternuntur.

In superiori huius suggesti parte,è regione altaris, sedile, siue soliũ Pontificis, ad quod per quatuor gradus ascẽdebatur, panno purpureo ornatum, collocatum conspiciebatur. Ad dextram eiusdem suggesti partem,versus altare, soliũ

aliud minus quinque palmorum altitudinis, quindecim longitudinis, & xiij. latitudinis, ad quos per tres gradus ascendebatur, erectum extabat, vbi Sanctissimus vestes sacras ad Missam celebrandam induere se debebat; erat autem panno purpureo ornatum.

A dextris verò & sinistris duo scabella cõstituta duos Cardinales Diaconos Pontifici seruientes excipiebant.

Iuxtà idem sedile, abacus quem sacri libri Rituales *Credentiam*, vocãt ea quæ Pontifici offerenda erant (de quibus paulò post dicemus) continebat.

Propè altare ad dextram, sinistramque duo alij abaci cõstituti erant, quorum alter Calicem, aliaque vasa benedicta ad Missam celebrandam; alter Mantilia, & pelluuium continebat.

Ad sinistram eiusdem suggesti partem è regione solij, suggestum aliud tapetibus circunquaque ornatum decem palmorum altitudinis; xx. longitudinis, & xix. latitudinis cantores excipiebat.

vniuersum vero suggestũ vndiq; aliud instar valli septum quatuor palmorum altitudinis defendebat, ne in illud confluentis populi multitudo tumultuario concursu irrueret.

Intrà hoc suggestum à dextris, & sinistris subsellia circunquaque auleis ornata aptissimè collocata erãt, vt in eis Cardinales consederent, à quorum tergo alia aderant Sedilia, in quibus Prælati suo ordine sedebant.

Extra suggestum circumcirca vniuersus Romanæ vrbis clerus interfuit, & suam ceream albam candelam quisq; manu deferebat.

Rursus extrà idem suggestum, & ab eo aliquantulum remota duo suggesta, seu Tabulata erecta prægrandibus columnis summum pinnaculum templi sustinentibus adhærentia, à dextris sinistrisque firmiter septem palmorum altitudinis, 80. longitudinis, & decem latitudinis, pulchris adornata tapetibus, instar theatri cuiusdam atificiose composita,

multo

multo quoque ſumptu fuerant conſtituta, quorum alterum multos viros Principes, Duces, Comites, & alios viros nobiles; Alterum nobiles quoque fæminas, quæ ad ſpectandum tam inſignem, illuſtremque Canonizationis actum conuenerant, excipiebat.

In eadem Eccleſia circumcirca phrygium parietibus hærens 50. palmis à pauimento diſtans, ornatiſſimum, atq; pulcherrimum 1300. palmorum longitudinis, & ſex latitudinis ſubtili artificis manu præclarè ad ſummum decorem diſtinctum, multis Sancti Raymundi imaginibus, multis Sancti Petri, multis Pontificis, & Regis Catholici, & Ordinis Prædicatorũ, & Principatus Cathaloniæ, & Ciuitatis Barcinonenſis inſignibus exornatũ, ſitum erat; quod diuerſis, & frequẽtibus floribus circumueſtitum partim ex opere topiario, partim pictura obũbratum intercolumnia exornabat, vt gratiſſimum, & ſplẽdidiſſimum aſpectum exhiberet.

Ab hoc Phrygio, ditiſſima, multo ſerico, argento, auroq; intertexta tapeta tribus connexa ordinibus, ſicut parietũ altitudo poſtulare videbatur, vnde quaque pendebant. Eam verò potiſſimum partẽ, quæ minus à ſacroſancto altari Apoſtolorum remota erat, multa auro intertexta periſtromata, multaque pretioſa aulea veſtiebant.

In quatuor concauitatibus (Nichios Italia vocat) quatuor prægrandium columnarum ſummum, & ingens pinnaculum ſuſtentantium, quatuor imagines S. Raymundi quindecim palmorum altitudinis, fuerant collocata.

A ſummo templi tecto nouem perpulchra vexilla pendebant, in ſingulis S. Raymundi imago ſtans, depicta conſpiciebatur, quæ vel leui aura huc atque illuc facilè voluebantur; erant autẽ certa quadam proportione diſtincta competentibns locis collocata; vnum cæteris maius ſuper Apoſtolorum altari pendebat: alterum paulò poſt medio imminebat ſuggeſto, vbi Sanctiſſimus & Cardinales ſedebant: Tertium ex aduerſo veterem reſpiciebat Eccleſiam; duo alia

à dextris,& ſiniſtris altaris pendentia cũ alijs tribus crucis figurã referebãt; cætera quatuor, velut inter hæc crucis brachia,cõſiſtẽtia,ſic diſtincta erãt, vt quodlibet cuilibet Euangeliſtæ Muſiuo opere fabrefacto ſubtus quatuor pinnaculi brachijs exiſtenti ſubmittere caput videretur. In qualibet Vexillorum parte imago Sancti Raymundi clauem vna manu geſtantis, Pęnitentiarii officium ſignificantem, altera librum tenẽtis, Compilationem Decretalium indicantem depicta erat.

Omnes præterea veteris Eccleſiæ ianuæ mira arte picturis,herbiſque veſtitæ, ſubtili artificio compoſitis ornatæ gratiſſimum aſpicientibus præbebãt aſpectum: nam in qualibet præter imaginem Sancti Raymundi nouem inſignia nempè Sancti Raymundi,Summi Pontificis,Regis Catholici, Sacri Collegij Cardinaliũ,Populi Romani, Principatus Cathaloniæ,Ciuitatis Barcinonenſis,Capituli S. Petri, & Religionis Prædicatorum conſtituta cernebantur.

Super illo præterea phrygio iuſtis interuallis ſuper candelabris collocatæ quadringentæ circiter faces ex candida cònfectæ cera,dum inſignis perageretur actus,officiumq; diuinum celebraretur,arſere,quarum vt lux gratior,illuſtriorque colluceret, ingentes Eccleſiæ feneſtræ magna ex parte occluſæ fuere.


Super omnes prætereà columnas totius Eccleſiæ multa Candelabra conſtituta ardentes ſuſtinebant faces.

Subter quatuor etiam præcipuos Eccleſiæ arcus,quatuor ingentia inſtrumenta miro artificio elaborata,(lampadarios vulgus appellat,) magnitudinis 20. palmorum, ſexangula pendebant,quorum quodque duodecim accenſas faces, & xiij.lampades,quę ignem cera,olei loco,nutriebant,ſuſtinebat:in ima verò parte picta cernebantur inſignia Pontificis, Sancti Raymũdi,Regnorũ Coronæ Aragoniæ,Ordinis Prædicatorum,Deputationis,& ciuitatis Barcinonenſis.

Denique totius Eccleſię apparatus adeò fuit illuſtris, & ſplendi-

splēdidus, vt quemadmodum ex antiquis Diarijs facilè colligi potest, longo interuallo cætera omnia magnificentissimè in alijs Canonizationibus exhibita ornamenta, superaret.

De tela ornamentorum, & de ornamentis Pontificis.
Cap. XXXIX.



INGVLAREM hunc Canonizationis actum ditissimis, & pretiosissimis ornamentis peragi oportebat, ea verò qualia parata fuerint, vix verbis explicari potest, vt autem quantum fieri posset, pretiosa fierent, exquisitam diligentiam adhibuit Donna Ioanna de Aragon Dux Suessæ, & Vaenæ, Antonij de Cardona, & Cordoua Oratoris Regis Catholici vxor nobilissima, prudentissima, & pudicissima fœmina, quæ relictis aureis, quæ, vt plurimum Romæ circumferuntur, telis, Mediolani alias auro intertextas, Attalica texta longè superantes, fieri curauit: tametsi verò magni hæc essent valoris (summam enim 6000. aureorũ excessit pretium) longè maius putabatur artificium, materiã enim superabat opus, ità vt vsque in hodiernum diem nulla in his archiuis Romanæ Vrbis, aut in Diarijs Magistrorum ceremoniarum memoria extet, alia vnquàm maiora, ac nec æqualia quidem parata à magnis Principibus in alicuius sancti Canonizatione ornamenta fuisse.

Desunt omninò latina verba, quibus propriè & telæ nomẽ, & qualitas, & opus exprimi valeãt, immò verò cùm oculis esset subiecta, & periti quoq; adhibiti, ac præsertim nobiles fœminæ in hisce rebus multùm versatæ, diu certatum est; an esset brocatum, & quibus verbis materna lingua vocanda foret.

Denique conclusum præcipuas quidem telas, ex quibus potissimum ornamenta Pontificis, altaris Sancti Petri & Cardinalis assistentis confecta sunt, esse *de brocado, el fondo de plata tirada*

tirada, i altos, ò rizos de oro bilado à flores, muy llenos de oro. Artifex Italus primũ cẽsuit, quod erat, *tela di oro di Milano à quattro fila, riccio di oro, con il fondo di argento*, Postea tamen re melius considerata, Brocatum esse agnouit.

De ornamentis Pontificis.

PRimum ex ditissimo illo, perpulchroque Brocato, pluuiale, seu Pontificium Mantum confectum est, quo indutus Pontifex Clemens ad Ecclesiam Sancti Petri descendit. Huic limbus aureus (quem vulgus passamanum vocat) adiectus, illud mirificè decorabat. Eiusdẽ pluuialis Cappucium idem limbus ornabat, multique flocci aurei discrimabãt, tres præterea vnci & fibulæ sex ex solido ei (quibus ante pectus nectereretur) hærebant auro.

Stola vna Pontificia ex eodem Brocato tribus crucibus auro, argentoq; intertexta, fuit etiam confecta, ad cuius extremitates decem & octo globuli, flocciq; ex auro, sericoq; candido confecti pendebant.

Ex alio Brocato duplo illo ditiori (quo Pluuiale constabat) Planeta facta fuit, limbus idem (quo pluuiale decorabatur) planetam ornabat; circumcirca flocci aurei addebantur: In hac Clementis Pontificis insignia auro intertexta cernebantur.

Ex altera stola ex eadem confecta tela, mirè ornata plurimi vtrinque ex auro, sericoque albo confecti globuli, floccique pendebant.

Manipulo ex eodem brocato cõfecto xvj. aurei sericeiq; pendentes globuli, flocciq; adhærebant.

Caligæ Pontificales ex eodem erant Brocato, quo Pluuiale constabat; additæ erant pretiosæ ligulæ, quibus necterentur.

Calcei siue sandalia Pontificia ex eodem Brocato confecta eiusdem operis limbi, ligulæ, crucesque ex auro intertextæ

textæ ornabant.

Gremiale ex eodem Planetæ Brocato factum similes limbi,globulique aurei circundabant:Huius medium crux multo argento, auroque intertexta ornabat: ex eiusdem crucis angulis radij quidem aurei spicarum instar oriebantur.

Succinctorium vnum ex eodem Brocato,tres cruces auro intertextæ,& agni duo vnionibns (perlas vulgus vocat)mire decorati ornabant.Ei cingulum ex auro,fericoq; confectum quo necteretur, adhærebat, indè flocci ex auro,sericoque confecti pendebant.

Operimentum Sedis Pontificiæ idem Brocatum exhibebat: limbus ex auro, fericoq; albo vndiq; circundabat: in eo Clementis Pontificis, Sancti Raymundi, Regis Catholici, Ciuitatis Barcinonensis, & Deputationis insignia, & eiusdẽ Sancti imago cernebantur.

Bursa satis ampla ad corporalia includenda, iuxtà consuetudinem sacelli Pontificis ex eodem Brocato confecta, limbo aureo circundata, & fimbrijs ornata aureis mirè delectabat aspectum:medium Crux multo argento,auroq; intertexta decorabat; ex cuius similiter angulis radii quidam aurei spicarum instar prodire cernebantur.

Puluinar vnum prægrande ex eodem Brocato Faldistorio superponendum, super quo Pontifex orans recumbit, quatuor ex auro sericoque globi intertexti, prægrandesque ornabant flocci.

Alterum non ità grande ex eodem confectum Brocato, super quo Papa oraturus genuflectit, eadem ornamenta decorabant.

Duo operimenta Missalium ex eodem confecta Brocato, eadem arte confectus limbus, flocciq; ornabant.

Ex alia prætereà tela argentea leui, confecta est vmbella(quam Itali Baldachinum, Hispani Dossel vocant) solio Sanctissimi superponenda, ex qua panniculi multi lăciniæq; debita proportione diuisæ,vndequaque pendebant,quæ Să-

cti Ray-

cti Raymundi imaginibus, Sancti Petri, Clementis Pontificis, & Regis Catholici, Ordinis Prædicatorum, Ciuitatis Barcinonensis, & Deputationis insignibus mira arte depictis ornabantur.

De ornamentis altaris Sancti Petri & aliorum ad illud spectantibus.

ALtare etiam Sancti Petri, in quo sacrum celebrandum fuerat, mirè ornatum apparuit, quod cum habeat duo frontispicia vtrunque ornare oportuit. Duo itaque pallia (frontal Hispani appellant) vt vtrunque frontispicium decoraretur, ex eodem ditissimo Brocato, ex quo planeta constabat, xx. palmorum longitudinis, & quinque latitudinis confecta sunt: In medio cuiuslibet imago S. Raymundi erat auro intertexta, in ima parte insignia Pontificis, Regis Catholici, Ordiuis Prædicatorum, Ciuitatis Barcinonensis, & Deputationis conspiciebantur.

Operimentum plutei lignei ad Euangelium cãtandum de eodem Brocato confectum est, quod limbus serico, & auro commixtus circundabat, eademque imaginis Beati Raymundi & insignium Pontificis, & Regis Catholici ornamenta recipiebat.

Duo item operimenta ex eodem Brocato librum Epistolarium, & librum Euangelistarium vestiebant.

Duo item puluinaria eiusdem Brocati ad superponenda Missalia in parte dextra, sinistraque altaris Sancti Petri, confecta sunt.

Ex alia aurea tela, vmbella mirè fabrefacta altari Sancti Petri supereminebat; ex ea 40. panniculi, seu Laciniç debita proportione diuisæ vndequaque pendebant: quæ Sancti Raymundi imaginibus, & S. Petri, & Clem. Pont. Regis Catholici, & Ordinis Prædicatorum, & Ciuitatis Barcinonensis, & Deputationis insignibus mira arte depictis ornabãtur.

De or-

De ornamentis Cardinalis aſſiſtentis.

Ex eodem illo ditiſſimo Brocato, ex quo Pontificis planeta conſtabat, confectum eſt quoque pluuiale, (cappam clerus Hiſpanus appellat) quo indutus erat Cardinalis Pontifici aſſiſtens: Huius extremitatem limbus multo intextus auro circundabat, & vncinis, & fibulis argenteis nectebatur.

De Ornamentis Miniſtrorum.

DAlmaticam vnam, & vnam Tunicellam ex eodem pretioſo Brocato confectas, eadem ornamenta eleganter decorabant, quibus globuli, floccique aurei magnum ſplendorem addebant.

Dalmatica ex eodem Brocato, Petro Cardinali Aldobrādino, qui in hac celeberrima ſolemnitate cantauit Euangeliū, tunicellaq; Subdiacono Apoſtolico, qui cātauit Epiſtolā ſubſeruiebant.

Ex eodem Brocato ſtola vna, & manipuli duo cum tribus Crucibus auro intertextis confecta ſunt: ex vnoquoque globuli, floccique pendebant aurei.

Cingula præterea duo ex auro, & ſerico candido ſupradictis ornamentis acceſſere.

Ex alio leuiori Brocato perpulchro tamen, & multis aureis ornato, diſtinctoq; floribus, alia Dalmatica, & alia tunicella formata, Diacono, & Subdiacono Euangelium, & Epiſtolam græcè cantaturis ſeruierunt: Hæc quoq: multo auro, argentoq; intertexto ornata erant.

Pro eorundē Grçcorū Miniſtrorū ornamento ſtola vna, & manipuli duo ex eodem Brocato, eadem arte fabricata ſunt.

Duo etiam operimenta librorum ad veſtiendum ſcilicet librum Epiſtolarium, & librum Euangeliſtarium Græcos, ex quibus aurei flocci pendebant, extitere formata.

De solemni supplicationis, seu processionis pompa in die Canonizationis Sancti Raymundi Die xxix. *Aprilis* 1601. *Cap.* XXXX.



MNIBVS iam ritè paratis supererat vltimus Canonizationis actus, quem Pôtifex de more, solemni processionis præmissa pompa celebrauit. Cum igitur in die Canonizationis hora satis matutina Cardinales, & infinita propè Prælatorum, Nobiliumq; multitudo ad Sanctum Petrum conuenissent, Pontifex per Scalas secretas (quæ ad Pontificium sacellum ducunt) aliquot Cardinalibus, Principum Oratoribus, Baronibus Romanis, & Prælatis familiaribus suis comitatus descendit: cumq; Lacernum birrum (Mozettā vulgus appellat) exuisset, biretumq; rubeum deposuisset, Sacra vestimenta super abaco, siue Credentia præparata induit, videlicet Amictum, Albam, Cingulum, Stolam, & Pluuiale illud, seu Chlamidem preciosam, de qua paulò anteà dictum est: postquam vero thus de more benedixisset, & ad Faldistoriū ante altare positum descendisset, deposita mitra alta voce inchoauit Hymnū, *Aue Maris stella*, in Canonizationibus Sanctorum solitum decantari. Mox Pôtifici ità ornato in Corona Cardinalium, qui tūc antè ipsum stabant, Odoardus Cardinalis Farnesius Regnorum Coronæ Aragoniæ protector, Catholici Regis nomine, in hoc actu Canonizationis Procurator, tres cereos obtulit: ex his maiores duos superficietenus deauratos, & insignibus Pontificis, & Regis Catholici ornatos, Raymundo dela Torre Comiti, & Baroni Libero Romani Imperij, Comiti Valsasinæ, Cæsarisque consiliario & eius apud Sedem Apostolicā Oratori, & Ioanni Moceníco Reipublicæ Venetæ Oratori, in processione deferendos dedit: tertiū cæteris minorē Pontifex suis manibus prætulit.

Dum

Dum autem primus Hymni verficulus cantaretur, Pontifex fine mitra in genua prouolutus orabat: fed eo abfoluto exurgens Mitrā pretiofam accepit, & in Sede geftatoria cōfedit, vt proceffionem è Sixti facello verfus maiorem palatij Ianuam prodeuntem, fequeretur.

Vniuerfus Romanæ vrbis Clerus tàm Sæcularis, quàm Regularis, cuius maximus erat numerus, & frequentia in ampliffimo, & latè patenti Palatij Pontificii impluuio pontificē prodeuntem operiebatur; Sed vbi dato figno procedendi tēpus adeffe intellexit, per Ianuam Palatij maiorem longè in plateam Sancti Petri progreffus eft, & in Bafilicæ porticu in forma, quafi circuli, feruata ceremoniarū lege, conftitit, tunc Pontifex cum Cardinalibus, & Prælatis, quemadmodum de facello prodierat, ità cum fua proceffione deductus, ac in fede geftatoria delatus, medius inter Clerum proceffit. Et hec fumma totius proceffionis.

In particulari autem fic erat diftincta.

Religiofi Primum feruata prærogatiuæ lege antecedebāt.

Tum Clerus vrbis fuo ordine.

Mox Papæ Scutiferi cum veftibus rubeis.

Camerarij extrà muros cum veftibus item rubeis.

Tubicines cum tubis, qui ingenti tubarum clangore fpectatorum animos excitabant.

Tum Procuratores Ordinum.

Aduocati Confiftoriales violaceis induti ornamentis, & Secretarij mixtim.

Camerarij honoris, & Secreti Papæ cum capputijs, & veftibus rubeis.

Poft hos procedebat Procurator Generalis Ordinis Prædicatorum planeta alba indutus, qui magnum vexillum, imagine S. Raymundi Canonizandi ftantis, ornatum deferebat.

Eum dextra, leuaq: comitabantur fex alij Patres eiufdem Ordinis cum planetis.

Capellani Papæ cum veftibus rubeis, & capputiis, mani-

bus Regna, Mitrasque deferentes.

Cantores Sacelli Pontificii, Cottis induti cantantes Hymnum, *Aue Maris stella.*

Secretarii Prælati, Abbreuiatores, & Acoluthi.

Auditores Rotæ cũ Rochettis, & Cottis, & cum ipsis Magister Sacri Palatii.

Subdiaconi Apostolici.

Acoluthus cum nauicula thuris, & Thuribulo.

Acoluthi septem cum totidem candelabris, & candelis accensis.

Subdiaconus paratus tunicella, cantaturus Epistolam, gestans Crucem Papalem cum duobus officialibus Virgæ Rubeæ à dextris, & sinistris.

Pœnitentiarii Papæ parati Planetis.

Abbates cum pluuialibus, & mitris.

Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi omnes tàm Assistentes, quàm non Assistentes parati cum pluuialibus, & mitris, seruata antiquitatis, & honoris prærogatiua.

Diaconi mox Cardinales consequebantur cum Dalmaticis, & Mitris.

Presbyteri deindè Cardinales cum planetis, & Mitris.

Episcopi tum Cardinales cum pluuialibus, & Mitris. Omnes verò supradicti cereas candelas accensas manibus deferebant.

Nobiles tùm maiores, Conseruatores Vrbis, Principum Oratores, & Gubernator Vrbis.

Duo insuper Diaconi Cardinales assistentes cum Dalmaticis, & Mitris.

Cardinalis cantaturus Euangelium paratus omnibus paramentis Diaconalibus cum Dalmatica, & Mitra medius inter duos Cardinales Assistentes incedebat.

Ibant deinde immediate hinc inde ante Papã, Cæsaris, & Reipublicæ Venetæ Oratores deferentes duos illos magnos cereos, quos in sacello à Pontifice acceperant.

Cele-

Celebrem hanc processionem mox Romanus Pontifex sub Baldachino in Sede gestatoria residens, candelam accensam manu gerens, sequebatur.

Duo Camerarii Papæ assistentes cum vestibus rubeis, & capputiis, & inter eos medius Rotæ Auditor accipiendæ Mitræ Papali deseruiens consequebantur.

Inde Protonotarii Apostolici cum Cappis.

Tum Magistri Ordinum Generales.

Clauarii Pontificis clauas humeris impositas deferentes a dextra, sinistraq; Pontificem anteibant.


A leua, dextraq; Pontificis, & Cardinalium lentè, & deco core procedentium, militaris Heluetiorum custodia, & leuis armaturæ milites equis insidentes præstò aderant, vt hominum turbam submouerent.

Pōtifex, Cardinales, & Prælati, Clerus Sæcularis, & Regularis, & quicunq; ad hanc solemnem processionem acciti fuerant, quorum erat propè innumera multitudo, cereos albos accensos maiores, ac minores pro ordinum, & hominū qualitate, quos Ministri Regis Catholici liberalissimè distribuerant, manibus deferebant.

Hoc ordine, pompaq; solemni, cum ad Porticum Basilicæ Sancti Petri Clemens Pontifex peruenisset, à Canonicis totoq; Capitulo eius Ecclesiæ dulcissimo Musicorum concentu exceptus est, cumque è Sede gestatoria descendens, antè Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Ecclesia S. Petri veteri asseruatum, in genua prouolutus paulisper orasset, iterum gestatoriam sedem conscendens, ad locum in Ecclesia noua præparatum peruenit, vbi cum similiter super Faldistorium ornatè paratum, antè altare preces fudisset, mox ad solium in suggesto collocatum conscendit, & in sede Pontificia resedit, vbi sibimox Cardinales omnes de more, cæteriq; Prælati obedientiam detulerunt.

De

De solemni Canonizationis actu, grauissimoq; decreto à Papa super ea interposito. Cap. XXXXI.




EBITO obedientiæ munere persoluto, Paulus Alaleo Magister ceremoniarum, Odoardum Cardinalem Farnesium aduocauit, qui protinus cum Bernardino Scotto Consistoriali, & Regis aduocato ad Pontificem in solio sedentem accessit, exhibitaque reuerentia consueta, stante Cardinali antè infimum solij gradum, Aduocatus positis humi genibus, supplex primò rogauit, ac Regio nomine instanter postulauit (vulgus primam facere instantiam dicit) vt Beatus Raymundus Sanctorum numero adscriberetur, his verbis.

Beatissime Pater.

REVERENDISSIMVS Dominus Cardinalis Farnesius hic præsens nomine Catholicæ Maiestatis Philippi III. Hispaniarum Regis, instanter petit per Sanctitatem uestram pronunciari Beatum Raymundum de Peniafort Barcinonensem Ordinis Prædicatorum catalogo Sanctorum D. N. Iesu Christi adscribendum, & tanquam Sanctum venerandum ab omnibus Christi fidelibus.

Huic primæ petitioni Marcellus Vestrius Secretarius Domesticus nomine suæ Sanctitatis ita respondit.



Prima

Prima Responsio.



EGIAE postulationi Sanctissimus D.N. sic me iubet respondere. Iustorum quidem omnium magna est, & admirabilis dignitas. Nam semita bonorum operum, quibus ad perennem vitam gradiuntur, quasi Lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectam diem, cælestis nimirum beatitudinis, & æternę claritatis, sed illorum certè præstantia maior est, quibus propria laus eruditionis accedit: erit enim lumen eorum in cælo, veluti splendor firmamenti. Qui autem non sibi solum iusti sunt, uerum etiam ad iustitiam erudiunt multos, horum profecto amplitudo longè maxima est; siquidem fulgebunt, tanquàm stellæ in perpetuas æternitates. Meritò igitur pia Mater Ecclesia, quæ ab ipso iustitiæ, & Sanctitatis auctore Deo sanctificatur, & regitur, sacris, ac solemnibus Mistерijs intenta, & si omnes sempiternæ fælicitatis possessores debitis laudibus prosequatur, clarissima tamen mundi lumina, viros scilicet inclytos, & gloriosos doctrina, sanctitatę, miraculis illustres, præcipuis honoribus veneratur, & prærogatiua potioris cultus attollit. Cũ verò summus Ecclesiæ principatus a Christo Domino traditus sit Romano Pontifici qui in altissimo dignitatis Apostolicæ fastigio, & supremi sede iudicij constitutus, secreta diuini beneplaciti manifestat, et quæ fidei sunt, certißima dispositione determinat; idcircò eius est de iustorum innocentia, & miraculorum veritate rectam ferre sententiam, Sanctorum venerationem præcipere, et Christi fideles ad illorum inuocationem, & exemplum inuitare. Quamobrem S. D. N. egregios il-

gios il-

gios illos Ecclesiarum Regni Aragoniæ Antistites, summos Reges, & insignes Populos sapienter admodum, & religiosè fecisse existimat, cum Beatum Raymundum à Peniafort Barcinonen. Ordinis Prædicatorum, qui sua singulari scientia, morum sanctimonia, & operum admirandorum magnitudine Hispaniarum Regna, tanquam lucidissimum sydus iamdiu illustrauit, sanctis Confessoribus in Ecclesia Dei annumerari, suppliciter petierũt: etenim illi rẽ auctoritate Romanorũ Pontificum dignissimam, & eisdem Regnis perutilem, ac gloriosam postularunt. Magnopere autem Sanctitas sua lætatur Charissimum in Christo filium suum Philippum III. Hispaniarum Regem Catholicum, virtutum omnium, & præsertim pietatis laude clarissimum, omnibus tandem, quæ ad hanc rem peragendam requiruntur, absolutis, id vnum flagitare, nempe, vt Beatus hic vir, ex Hispaniarum Regnis, quæ superioribus sæculis multis viris sanctis abundarunt, secundus ætate nostra sanctus esse decernatur, qui ad totius Ecclesiæ tranquillitatem suo apud Deum patrocinio tuendam, communibus fidelium precibus inuocetur: In quo gratias agit Deo bonorum omnium largitori, quod eiusdem Regis pietatem hoc tempore, quo hæreticæ prauitatis sectatores sanctos inuocandos esse temerè adhuc negant, vt Catholicæ fidei veritas magis illustretur, ad hoc postulandum excitarit. Quocirca vt ea, quæ piè, & sancte hoc in genere instituta sunt, summo studio, & matura consultatione adhibita conficerentur, Sanctissimus D. N. acta vitæ, & miraculorum Beati Raymundi, viris diuini, & humani iuris peritissimis examinanda commisit, & ipse diligenter perlegit, in sacro Consistorio omnia recensuit; sententias Venerabilium fratrum suorum S. R. E. Cardinalium, & cæterorum Antistitum, qui tunc in eo interfuerunt,

attentè

attentè audiuit, illos ad eleemosinas, preces, et ieiunia tùm oratione, tùm exemplo inuitauit. Demum vt hæc præstantissima actio ad optatum finẽ perducatur, quæ supersunt, rite peracturus hunc celeberrimum diem, & locum in hac sacrosancta, & augustissima Basilica, fidelissimo, videlicet, Apostolorũ Principis, super quem verbo Domini ædificata est Ecclesia, ac mysteriorum redemptionis nostræ sacrario, cum magno, & solemni apparatu indixit: sed quoniam tanta est huiusce rei magnitudo, & difficultas, vt omnem humanam facultatem superet, hanc ob causam, antequam rem diffiniat, hortatur omnes simul in Domino secum orare, vt meritis, & precibus Sanctissimæ Virginis, *ac Matris* Dei *Reginæ Confessorum omnium, quibus magnus hic seruus* Dei *petitur aggregari, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, qui suo martyrio huic Vrbi fidem, & sanctitatem attulerũt, ac gloriosi Patris Sancti* Dominici, *ex cuius disciplina Beatus Raymundus prodijt, totius denique Curiæ Cælestis per Apostolicæ seruitutis mysterium, quo fungitur, si ita diuinæ bonitati placuerit, huius Beati viri cultus in terris, &* Sãctorum *lætitia in cælis augeatur.*

Hac respõsione absoluta, Papa de solio descendens ad Faldistorium positis genibus, cum mitra oraturus accessit.

Interim à duobus cantoribus Litaniæ decantatæ sunt, quibus cantorum chorus respondebat.

His absolutis, Papa iterum solium conscendit.

Rursus Magister Ceremoniarum Farnesium Cardinalem aduocauit vna cum Scotto aduocato, & eadem reuerentiæ ceremonia seruata, idem Cardinalis per eundem aduocatum instanter, & instãtius eisdem verbis pro Canonizatione peragenda summopere supplicauit. Tunc verò idem Vestrius Secretarius in hæc verba respondit.

Secunda Responsio.



AEC deliberatio, in qua de Beato Raymundo in numerum Sanctorum referendo agitur, tam sublimis, & ardua est, vt Sanctissimus D. N. *iterum communes, & publicas preces adhibendas esse censeat.* I*taque omnes etiam atque etiam monet orationi vnanimiter instare, vt spiritus sanctus, spiritus ille sanctificationis, & gratiæ, sine quo nihil sanctum est, diuinum hoc opus cælesti suo numine prosequatur.*

Quibus dictis, iterum Papa ex solio descendens, ad Faldistorium vnà cum mitra oraturus processit.

Tum Franciscus Cardinalis Sfortia Diaconus Cardinalis assistens a dextris Papæ, ad populum conuersus alta voce dixit: *Orate*: Illicò Pontifici fuit mitra detracta, & Cardinales, & Prælati omnes mitras deponentes genibus humi positis, secretò vnà cum Pontifice magna deuotione orauerunt, donec Alexander Perettus Cardinalis Montaltus Diaconus assistens à sinistro Pontificis latere, alta voce pronũciauit: *leuate*: nam mox Papa, & cæteri ab oratione surrexerunt.

Tunc Prælati assistẽtes librum ad Pontificem ante Faldistorium sine mitra stantem detulerunt; ex quo Papa Hymnũ *Veni Creator spiritus*: inchoauit: & iterum in genua procumbens, quod etiam cæteri Prælati fecerunt, tandiu genuflexi perstiterunt, quandiu primus versiculus expleretur: nam eo expleto Papa consurgens, accepta mitra, iterum solium conscendens, ibidem mox eadem mitra deposita, stans hymni finem expectauit, similiterque omnes sine mitris stantes constiterunt.

Hymno expleto duo Cantores versic. *Emitte spiritum tuum alleluia*

leluia: cecinerunt,& cantato similiter responso per Cantores; *Et renouabis faciem terræ, alleluia*: Papa ex libro, quem sibi Prælati assistentes detulerunt, orationem: *Deus qui corda fidelium*: recitauit.

Oratione finita, Papa suscepta mitra consedit; & tunc tertiò Magister ceremoniarum eundem Cardinalem Farnesium aduocauit, qui eadem ceremonia retenta pro Canonizatione tandem peragenda Regis nomine instanter, instantius, & instantissime supplicauit.

Ad hæc tandem Vestrius Secretarius his breuibus verbis respondit.

Tertia Responsio.

TEMPVS iam aduenisse existimat Sanctissimus D. *N. quo Beatus Raymundus meritorum, ac virtutum omnium, quæ sanctos decent, gloria cumulatissimus, auctore Deo, Sanctorum Catalogo adscribatur. Ad laudem igitur diuini nominis, & Catholicę religionis exaltationem, iuxta Apostolicas traditiones, & Sanctorum Patrum constitutiones, eum illi honorem in Ecclesia Dei decernere statuit, qui sanctis Confessoribus exhibetur. Quare Ordinis Prædicatorum Religiosi mementote Prępositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum* De*i, quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem, Christi fideles annunciate hoc in vniuersa terra, quoniam mirificauit Dominus sanctum suum, Lętamini in Domino & cōfitemini memorię sanctificationis eius.*

His omnibus ritè seruatis, & solemniter actis, Pontifex ex libro, quem sibi Prælati assistentes detulerunt, quorum vnus

ſupra caput ſuſtinuit librum, & alter candelam accẽſam cum Mitra in ſolio ſedens hanc Canonizationis ſententiã in hæc ipſa verba, pronuntiauit.


Ad honorem Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, exaltationem Fidei Catholicæ, ac Chriſtianæ Reli*gionis augmentum, auctoritate eiuſdem Dei omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus ſancti,* Beato*torum Apoſtolorum Petri, &* P*auli, & noſtra, de Fratrum noſtrorum conſilio decernimus, & diffinimus,* Bon*æ memoriæ* R*aymundum de* P*eniafort* B*arcinonenſem Ordinis Fratrum* P*rædicatorum, Sanctum eſſe, ac Sanctorum Catalogo adſcribendum, ipſumq; Catalogo huiuſmodi adſcribimus: ſtatuentes, vt ab Vniuerſali Eccleſia anno quolibet, in die ſeptima Ianuarij Feſtum ipſius, & officium, ſicut pro vno Confeſſore non* P*ontifice, deuotè & ſolemniter celebretur.*

Inſuper eadem auctoritate, omnibus verè pœnitentibus, & confeſsis, qui annis ſingulis, eodem die feſto, ad ſepulturam eiuſdẽ deuotè acceſſerint, eaſdem indulgentias concedimus, quæ cæteris dicti Ordinis Sanctorum Eccleſiis conceſſæ ſunt.

Dum hæc ſententia pronunciaretur Farneſius Cardinalis antè Pontificem ſtabat: Scottus verò aduocatus humi genua poſuerat: mox verò idem Cardinalis per eundem aduocatum. & ſententiam acceptauit, & gratias Pontifici egit, & litteras Apoſtolicas ſuper Canonizatione decerni petiuit, His verbis.

Bea-

Beatiſſime Pater.



DEM Reuerendiſsimus Cardinalis Farneſius hic præſens nomine Catholicæ Maieſtatis acceptat pronũtiationem per Sanctitatem veſtram factam, & ei immortales gratias agit, ac eodem nomine ſupplicat, vt Sanctitas Veſtra dignetur decernere literas Apoſtolicas ſuper hac Canonizatione facta.

Mox Pontifex manu facto crucis ſigno, more ſolito benedicendo dixit, *Decernimus*.

Statim autem idem Farneſius Cardinalis Procurator cõſcendens ſolium, oſculatus eſt manum Papæ.

Et eodem temporis momento, idem Scottus aduocatus conſurgens, & ad præſentes Protonotarios, notarioſque conuerſus eos rogauit, vt eius rei geſtæ fidem, ac teſtimonium exhiberent, vnum Inſtrumentum, vel inſtrumenta conficientes, his verbis.

Rogatur etiam R. P. D. Anſelmus Dandinus Protonotarius Apoſtolicus, & Notarius deputatus ſuper huiuſmodi Canonizatione, & omnes alij Protonotarij, & Notarij hic præſentes, vt ſuper huiuſmodi ſolemnis Canonizationis actu conficiant vnum, vel plura, publicum, ſeu publica, Inſtrumentum, vel inſtrumenta ad perpetuam rei memoriam.

Interim organa, Campanæ, tubæque varios, magnoſque lætitiæ, & gratulationis ſonitus edidere: & Bombardæ, cæteraque id genus bellica inſtrumenta, quæ in plateam Sancti Petri paulò anteà ea de cauſa deducta fuerãt, & quæ ad præſidium arcis Sancti Angeli aſſeruantur, immiſſo igne, vehementiſſimis exploſionibus reboabant, vt cælum ipſum tonare, vniuerſaq; vrbs ingenti fragore concuti videretur.

Peracta iam Canonizatione, conſurgens Pontifex, depoſita Mitra Hymnum: *Te Deum laudamus*, alta voce inchoauit, quem Cantores vſque ad finem miro vocum concentu proſecuti ſunt.

Eo finito Cardinalis Diaconus à dextris Pontifici aſſiſtẽs

ver-

versiculum Sancti recenter Canonizati cantauit, scilicet, *Ora pro nobis Beate Raymunde.*

Cui mox Cantores respóderunt: *Vt digni efficiamur promißionibus Christi.*

Papa autem adhuc stans sine Mitra ex libro, quem sibi Prelatus assistens detulit, orationem de Sancto Raymundo propriam, quam ipse paucis ante diebus matura consideratione composuerat, alta voce recitauit, his verbis:

Oratio.

DEVS, qui Beatum Raymundum, pœnitentiæ sacramenti insignem ministrum elegisti, & per maris vndas mirabiliter traduxisti, cócede, vt eius intercessione, dignos pœnitentiæ fructus facere, & ad æternæ salutis portum peruenire valeamus. Per Dominum.

Dú n Papa orationem recitaret, duo acoluthi stantes antè Papam propè infimum solij gradum, candelas cum Candelabris tenebant accensas.

Oratione finita, Papa adhuc sine Mitra stante, Cardinalis Aldobrandinus, qui cantaturus erat in Missa Euangelium, ad Papam accedens, stansque à sinistris Papæ in ipso plano solij, alta voce: *Confiteor Deo:* decantauit, & póst Apostolos *Petrum, & Paulum,* Sanctum Raymundum nuper Canonizatum nominauit.

Cardinali ad suum locum reuerso, Subdiaconus Apostolicus Epistolam cantaturus portauit crucem ante Papam, & positis humi genibus, statim Papa ex libro, quem sibi Prælatus assistens attulerat, alta voce cantauit: *Precibus, & meritis,* nominando etiam Beatum Raymundum, & benedictionem impartiendo.

Qua peracta, cùm tantisper quieuisset, mox consurgens ad aliam sedem se contulit, vbi inchoauit Horam tertiam, & indumenta Pontificalia ad Missam celebrandam induit. Missa verò consuetis ceremonijs fuit decantata, excepta celeberrima offertorij ceremonia, de qua mox agetur.

OB-

OBSERVATIO.




I quis paulò diligentius conferat hæc cum his quæ circa has ceremonias peragendas, vel antè aliquot sæcula obseruabantur, vel obseruari à Canonistis indicatur; proculdubio deprehendet longè meliori, augustiorique nunc modo hæc peragi solere. & in hac Canonizatione præstita fuisse: ex illis enim vix quid sibi velint, aut qua ratione ea gererentur, intelliges. [Canonistæ in cap. 1. de Reliq. & venerat, sanct. & alij citati suprà hoc lib. cap. 1. in fine.]

OBSERVATIO ALTERA.



LLVD præterea consultò à Romanis Pontificibus omissum est, quod in antiquis libris Ritualibus cõtinetur, videlicet, Pontificem solere protestari se per actum Canonizationis non intendere aliquid facere, quod esset contra fidẽ, aut Ecclesiam Catholicam siue Dei honorem. Cùm enim tàm exquisitæ diligentiæ præcedant, & tot probationum pondera adhibeantur, tot viri docti consulantur, tot egregij Doctores, tùm de Collegio Auditorum Rotæ tùm de sacro Collegio Cardinalium causam expẽdant, videantque, num fidei excellentia, puritas vitæ, & Canonizandi miracula sint probata, nec prius ad hunc actum deueniri soleat, quàm illi omnia iuxtà Canonicas sanctiones fuisse probata, præparataque pronunciauerint, nõ est amplius verendum, vt in actu Canonizationis aliquid committatur incautum, nec credendum permissurum Deum, vt Vicarius suus errare possit in cultu Sanctorum vniuersali Ecclesia proponendo: istis enim adhibitis firmissimè tenendum est, nec errare Papam, nec Ecclesiam decipi posse.



Absolu-

Absoluta Canonizatione, solemne Missę Sacrum a Pontifice celebratur, fitq; ritu mirabili offertorium. Cap. XXXXII.

DE hac actione in libris sacrarum ceremoniarum ita scriptum est.

His finitis, Pontifex incipit Tertiam, & accipit Sãdalia, vel si magis placet, dimissa Tertia, accipit paramenta omnia Pontificalia, & canit Missam solitis ceremonijs, vel de Sancto; vel si aliqua solemnitas esset, cantet de die cum commemoratione de Sancto, & si non posset, aliquis Cardinalis celebret pro eo. Dum cantatur, Credo, *tres Cardinales Commissarij descendunt ad portam inferiorem suggesti, & ordinant Offertoriũ: & debito tempore, antequàm Papa lauat manus in sede eminenti, veniunt ordinatè. Et primus, idest, Episcopus Cardinalis offert duos magnos cereos, & cùm eo primus Orator offert cereum suum, & canistellum deauratum cum duabus turturibus.*

Tum presbyter Cardinalis offert duos magnos panes cum mappulis, & secundus Orator cereum suum, & Canistellum argentatum cum duabus Columbis albis: vltimò Diaconus Cardinalis offert duo vasa vini, & tertius Orator suum cereum & canistellum diuersorum colorum cum varijs auiculis. Cardinales osculantur genu, alij pedem summi Pontificis, proceduur deinde in Missa, vt aliàs. [*lib. 1. sacr. cerem. sect. 6. cap. 2. §. His finitis.*

Hec actio in hac causa iuxtà hunc Ritum ità peracta fuit. Eo tempore, dum prædicta verba Symboli: *crucifixus etiam pro nobis*: cantarentur, tres Cardinales nempe Ptolomeus Gallius Episcopus Portuensis de Como nũcupatus, Augustinus Valerius de Verona presbyter, & Antonius Fachinetus Diaconus, & Farnesius Procurator, qui in illo actu pro Catholico Rege comparuerat, de suis sedibus consurgentes factis Cruci, & Papę solitis reuerentijs ad Abacum, seu Credẽtiam vbi res offerendæ collocatæ erant, accesserunt, easque per suos familiares accipientes hoc ordine ad Papam cum Mitra in

tra in solio residentem venerunt.

Primus Episcopus Cardinalis,& ad illius sinistram Cardinalis Farnesius,& post ipsos,duo familiares Episcopi Cardinalis clericali habitu induti gestabant duos magnos cereos, & vnus familiaris Cardinalis Farnesij clericali etiam habitu indutus gestabat cereum inauratum, & canistellũ cum duabus turturibus albis.

Secũdo loco veniebat Cardinalis presbyter,& post ipsum duo familiares clericali etiam habitu induti, qui gestabant duos magnos panes: Vnus scilicet panem inauratum, alter verò panem inargẽtatum,& alter familiaris Cardinalis Farnesij gestabat cereum inauratũ, & canistellum cum duabus columbis albis.

Tertio loco veniebat tertius Cardinalis Diaconus,& post ipsũ duo familiares clericali habitu induti,qui gerebãt duo vasa vini:vnus vas inauratum,alter vas inargentatum,& tertius familiaris Cardinalis Farnesij gestabat cereum inauratum, & canistellum cum varijs auiculis.

Hos Cardinales,quatuor Pontificis Clauarij,& Magister cæremoniarum honoris gratia anteibant.

Debitis ergo reuerentijs cruci,& Papæ exhibitis hoc ordine obtulerunt.

Primus Episcopus Cardinalis obtulit Papæ duos cereos magnos hac quidẽ cęremonia,vt singulos,dũ offerret, oscularetur: cum verò illos Pontifex tangeret,eũ manu,genuq. Pontificis dextro osculato,veneraretur: quam cęremoniam alij,dùm sua offerrent,obseruarũt,& mox oblatione peracta, hic primus Cardinalis ad sedem suam est reuersus.

Cardinalis verò Farnesius, post hunc primum Cardinalẽ obtulit cereum, & canistellum cum turturibus, & parum retrocessit.

Mox secũdus Cardinalis presbyter duos magnos panes, prius inauratum,& mox inargentatum obtulit, & ad sedem suam abijt; post hunc autem iterum Cardinalis Farnesius

ſecundum cereum, & caniſtellum cum columbis obtulit, & ſimiliter retroceſſit.

Pręterea tertius Cardinalis Diaconus duo vaſa vini ſimiliter obtulit, Primo loco inauratum, deinde inargentatum, & contulit ſe ad ſedem ſuam.

Denique poſt hunc, Cardinalis Farneſius tertium cereũ, & caniſtellum cum varijs auiculis obtulit. Atque ita offertorio peracto, ſedem ſuam petiuit, & Miſſa ſuo eſt ordine celebrata, cum Oratione, Secreta, & Poſtcommunione Sancti Raymundi nuper Canonizati: Orationem paulo ante retulimus, cætera nunc ſunt exhibenda.

Secreta.

Munera Domine maieſtati tuæ oblata ſanctifica, & intercedente B. Raymundo Confeſſore tuo, auxilium nobis tuæ defenſionis impende. Per Dominum noſtrum.

Poſtcommunio.

Quæſumus Domine Deus noſter, vt Sancti Raymundi Confeſſoris tui celebrata ſolemnitas, nobis indulgentiam peccatorum, & gloriam æternæ felicitatis acquirat. Per Dominum noſtrum.

Solemni Miſſæ ſacrificio peracto, Cardinalis Miſſæ celebrationi aſſiſtens, plenariam indulgentiam, quam omnibus tunc præſentibus Pontifex liberaliter indulſerat, eiuſdẽ Pontificis nomine publicauit.

Quibus omnibus rite peractis, Papa ad cõſuetam Aulam, vbi veſtimenta ſacra deponeret, eſt reuerſus; & Cardinales, & Prælatos cum benedictione dimiſit.

OB-

OBSERVATIO.

IN *vetusto Codice Sacrarum Ceremoniarum Bibliothecæ Vaticanæ, post illa verba initio huius capitis relata,* cum varijs auiculis, *hæc scripta reperiũtur:* si Sanctus Canonizatus fuit alicuius Regulæ, siue Ordinis approbati professus, post Diaconum Cardinalem & Oratorem ipsum sequentem, Generalis, & Procurator Ordinis huiusmodi etiã offerunt Pontifici; quilibet eorum vnum cereum album ponderis sex librarum. *Hæc ibi: quæ cum desiderentur in libris sacrarum ceremoniarum recens impressis, fortassis causam præbuerunt, vt hæc ceremonia, quæ mihi nullum placet, in hoc actu nunc non obseruetur.*

OBSERVATIO ALTERA.

D*VPLEX in hoc celeberrimo actu fit offertorium, vnum ab Ecclesiasticis de rebus in Ecclesia satis consuetis, et notis: tres enim Primi Cardinales, cereos, panes, & vinum obtulerunt; Alterum à Principe, seu Principibus Sæcularibus non ita frequens, nec consuetum, nec notum, quo duæ turtures, duæ Columbæ albæ, & varæ auiculæ offeruntur, quæ, vt imperiti quidam existimant, nec vanam, nec inanem Gentilium superstitionem sapiunt, sed per mysticam significationem mysteria nobis diuina referunt, & quasi quibusdam literis Hyeroglipbicis omnem nobis Sanctorum actionem, conuersationemq. repræsentant, vt in libris nostris de Canonizatione Sanctorum propediem edendis latè docuimus. Interim de eodem argumento discursum nobis, paucis ante diebus, quàm hæc scriberemus, exhibuit R. P. F. Petrus Ruissius à Visitatione Ordinis Minorum Sancti Francisci de Paula, qui omnia est diligenter prosecutus.*

De solemni translatione vexillorum ad Ecclesiā Beatæ Mariæ de Monserraio nationis Regnorum Coronæ Aragoniæ, & Ecclesiam B. Mariæ supra Mineruam Ordinis Prædicatorum. Cap. XLIII.



IN aliquot vltimis Canonizationibus Sāctorum ex aliquo ordine Regulari, cuius Conuentus, aut Monasterium in Vrbe extat, id laudabili consuetudine inductum, & obseruatum noui, vt vexillū imagine Sancti Canonizati decoratū, quod in solemni supplicatione, seu processione in die Canonizationis delatum fuerat, (quod deinceps in Basilica Sācti Petri suspensum remanere cōsueuerat) ad Ecclesiam illius Religionis, quam Sanctus Canonizatus professus fuerat, solemni processione deferatur. Id in hac Canonizatione hoc ritu peractum est.

Die 1. Maij. 1601. quo Sanctorum Apostolorum Philippi, & Iacobi Martyrium Catholica Ecclesia veneratur, Fratres Prædicatores ad Basilicam Sancti Petri numerosa multitudine profecti, post decantatas vesperas, consentientibus eiusdem Basilicę Canonicis, duo vexilla imagine Sācti Raymundi, die Dominico proximè præcedenti Canonizati, decorata, vnum, videlicet magnum, quod in die Canonizationis in processione delatum fuerat, & alterum minus habuerunt. Hæc cum Prædicatoribus traderentur, post cantatam Antiphonam de S. Confessore, orationem propriam de Sācto Raymundo Canonicus hebdomadarius Pluuiali indutus, alta voce pronunciauit. Mox processio ab eadem Basilica hoc ordine iter instituit.

Præibant primum puellæ, Dispersę nuncupatæ, cum cruce lignea, sine imagine tamen Iesu Christi Domini nostri.

Tum pueri de Litterato vocati (quos impensis Canonizationis, Ministri eam procurantes vestierant) cum simili Cruce sub-

cc sub-

ce ſubſequebantur. Vtrique faces ex cera alba accenſas manibus deferebant.

Procedebant deinde Fratres Prædicatores cũ ſolita Cruce bini, ac bini.

Tùm Fratres Ordinis B. Mariæ Redemptionis Captiuorũ cum cruce antelata proficiſcebantur.

Poſt eos, Fratres Sancti Franciſci de obſeruantia, cũ cruce etiam ſua incedebant: omnes verò faces accenſas ex cera alba manibus deferebant.

Tùm natio Hiſpanica, & pręſertim Regni Aragonię, Valẽtiæ, & Principatus Cataloniæ ingenti numero congregata, cum facibus incedebat accenſis.

Tubicines, Muſici, & Cantores vario concentu demulcẽtes aures, in cælum rapere corda, & Beati Raymundi gloriam, & honorem ſingulis momentis ad memoriam reuocare videbantur.


Tùm Magiſter Frater Paulus Iſareſius Mirãdulanus Procurator Generalis totius Ordinis Prædicatorum Sacris veſtibus, & Planeta indutus, quẽ aliquot alij eiuſdem Ordinis ſimili habitu ornati ſtipabãt, maius vexillum deferebat, minus aliud vexillum Magiſter Frater Michael Llot ſimiliter ornatus, manibus geſtabat.

Poſt vexilla, Nobiliſſimi quidam Hiſpani cũ accenſis facibus graui, mollique paſſu incedentes ſubſequebantur.

Dum per plateã S. Petri miro hoc Ordine proceſſio pertranſiret, bellica aliquot inſtrumenta, quæ propterea in plateam producta fuerant, immiſſo igne, reboauerunt.


Hoc ordine primum pompa ad Eccleſiam Sanctæ Mariæ de Monſerrato peruenit, ibidemque vexillum minus ad perpetuam memoriam Beati Raymundi Conciuis ſui Canonizati ſeruandum depoſuit. Tùm pompa eodem ordine per vicos, & plateas Vrbis latè progreſſa, ad Eccleſiam Beatæ Mariæ ſupra Mineruam tandem peruenit, vbi Magnum illud vexillum ſuſpenſum eſt.

FINIS.



INDEX CAPITVM
LIBRI PRIMI.

De ip-



INDEX CAPITVM LIBRI SECVNDI.

De mu-

INDEX CAPITVM LIBRI SECVNDI.

De mu-

INDEX CAPITVM LIBRI SECVNDI.

De mu-

INDEX CAPITVM LIBRI SECVNDI.

De mu-

Labo-

INDEX CAPITVM
LIBRI TERTII.

Pio V.

Errata.

Pagina 6. linea 12. poſt dictionem orbis, adde partibus. pag. 12. lin. 25. ſummos, ſummas. pag. 13. lin. 23. iuucutam, iuucutam. pag. 14. lin. 20. egatus, legatus. pag. 15. in margine, profeſſus, profectus. pag. 15. in margine, profeſſos, profectus. pag. 16. in margine abundat vnus numerus 98. deleatur. pag. 18. lin. 36. liberaliter, liberaliter. pag. 19. lin. 25. iocunda, iucunda. pag. 28. lin. 1. ſeruum, ſeruus. pag. 29. lin. 10. Donliuus, Dominus. pag. 38. in margine vniuerſionem, conuerſionem. pag. 49. lin. 15. celebranda, celebrandam. pag. 55. lin. vltima, maruritate, maturitate. pag. 56. lin. 24. ſecuis, ſecus. pag. 58. lin. 13. conditiones, conditiones. pag. 60. lin. 27. coleutes, colentes. pag. 62. lin. 32. nec is, nequis. pag. 66. lin. 16. primi. ſecundi. pag. 70. lin. 5. cius, cuius. pag. 72. lin. 1. eum, cum. & ibidem exemplo, extemplo. pag. 80. lin. 29. conſueuera, conſueuerat. pag. 83. lin. 7. ætatio, ætatis. pag. eadem lin. 15. ſtadia, ſtudia. pag. 85. lin. 12. dncum, ducum. pag. 87. lin. 2. vetuti, vetuſti. pag. 90. lin. 5. prædictione, prædicatione. pag. 98. lin. 3. affectum, affectum. pag. 110. lin. 15. foret, foret. pag. 114. lin. 24. hnmatum, humatum. pag. 116. lin. 19. od, ob. pag. 120. lin. 23. contingebunt, contingebant. pag. 124. lin. 19. reſuſciteretur, reſuſcitaretur. pag. 124. lin. 24. lætarghum, læthargum. pag. 125. lin. 26. reſpouderunt, reſponderunt. pag. 128. lin. 6. conſeruabuntur, conſeruabantur. pag. eadem lin. vltima oporteretr, oporteret. p. 140. lin. 19. peccatoris, pectoris. p. 148. lin. 21. ſolet, ſolent. p. 162. l. 12. ſcobe, ſcrobe. p. 171. lin. vltima, eſſare, ceſſare. p. 191. lin. 4. prateraa, præterea. p. 206. lin. 25. gratiarum, gratiarum. p. 216. li. 11. lirarum, literarum. p. 221. lin. 23. Militibus, militibus. p. 227. lin. 12. quæque, quoque. pag. 232. lin. 8. anhelat, anhelant. p. 236. lin. 11. obiulit, obtulit. pag. 240. lin. 2. diſti, dicti. pag. 251. in Rubri. cap. xvij. cauſam, cauſa. p. 253. lin. 4. interruptus, interruptus. pag. 255. lin. 15. coſtrum, noſtrum. pag. 260. lin. 16. Cardinales, Cardenales. pag. 263. lin. 17. illins, illius. pag. 264. lin. 2. necnou, necnon. pag. 264. lin. 28. ec, ac. pag. 275. lin. 23. ſciuit, ſinit. pag. 278. lin. 26. ect, eſt. pag. 279. lin. 30. congregationi, congregationis. pag. 279. lin. 42. ciuitatis, ciuitas. pag. 280. lin. 12. reſcrant, referant. pag. 291. lin. 2. beza, beſa. pag. 301. lin. 19. Nicolanm, Nicolaum. pag. 312. lin. 19. charitatiss, charitatis. pag. 317. lin. 15. ſolitaria, ſolitariæ. pag. 328. lin. 13. octo, ſex. p. 329. in Rubrica cap. 36, vi. xvi. pag. 330. 38. 37. pag. 341. lin. 29. octo, ſex. pag. 366. lin. 14. Regi, Regis.

Regeſtum

† A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.
Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm
Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz.
Aaa Bbb Ccc.

Omnes ſunt folia integra.

R O M AE,
Apud Hæredes Nicolai Mutij M D C I.

SVPERIORVM PERMISSV.